NEO-CO

PRACTIC

METHODU

MUNUS

In gratiam ju

aspirant

A R.P. JO

Societatis JE

in Univers

re, ac

ACCEDIT B

pro Dispensation

petendi

Casus quoque c

datam ab Au

editi

B O N

M D C

Sumptib

UTERIOR

NEO-CONFESSARIUS
PRACTICE INSTRUCTUS,

SEU

METHODUS RITE OBEUNDI
MUNUS CONFESSARII,

In gratiam juniorum ad animarum curam aspirantium publicè proposita

A R. P. JOANNE REUTER
Societatis JESU, Sacræ Theologiæ in Universitate Trevirensi Doctore, ac Publico Professore.

ACCEDIT BREVIS INSTRU[illegible] pro Dispensationibus, aliisque Gratiis petendis, exequendisque;

Casus quoque conscientiæ resolvendi juxta datam ab Auctore Doctrinam nuper editi superadduntur.

BONONIÆ,
MDCCLXVI.

Sumptibus Balleonianis.

SUPERIORUM PERMISSU.

PROCEMIUM.

CUM, teste S. Gregorio, & ipsa experientia, ars artium sit regimen animarum, atque in primis arduum munus Confessarii, utpote cujus est curare rectitudinem judicii sacramentalis, pœnitentes juvare, discrete monere, satisfactionem convenientem imponere, remedia contra relapsum præscribere, dispositos absolvere, indispositis absolutionem differre, aut negare; Ego autem ex Synodali pro excipiendis Fidelium Confessionibus approbandorum examine compertum haberem, Confessarios juniores potissimum in praxi, modoque tractandi Pœnitentes deficere, animum subiit desiderium eos sublevandi, existimavique utilem me facturum operam, si pro modulo meo SS. Theologiæ Auditoribus methodum publice proponerem munere illo sacro recte fungendi. Quod cum fecissem, expetierunt discipuli, ut quæ ad calamum dictaveram, typo darentur; id cum recusassem, primum non ignarus, plures utiliter hac de re scripsisse, esseque hodiedum libros permultos parum utiles, quorum nolebam augere numerum, institerunt ipsi, suaserunt & alii, quibus ut gratificarer, tandem annui. An magno cum animarum fructu, & eorum solatio, experiri licet. Opusculum divido in tres Partes. Prima tractat de iis, quæ generatim Confessario in sacro tribunali sunt observanda. Se-

cunda complectitur ea, quæ ad peccata magis obvia, personasque ætate, sexu, statu, vel conditione diversas spectant. Tertia agit de iis, quæ specialiter observanda sunt circa personas diversis vitiis, peccatis, defectibus tum physicis, tum moralibus obnoxias. Ceterum non est mihi tractatus cum viris eximiis, multa lectione eruditis, longaque experientia doctis, quos audire magis, eorumque praxim discere, quam docere exopto: sed cum Neo-Confessariis instructionis cupidis, & Theoria maxima ex parte instructis. His Opusculum offero, ut, quæ in eo placent, in praxin, ubi opportunum erit, redigant; quæ desunt, uberiore gratia adjuti & usu edocti addant, in quibus fortassis aberro, benigne corrigant, & mei in SS. Sacrificiis meminisse dignentur.

DIVI-

DIVISIO ET SERIES OPUSCULI.

PARS I.

De iis, quæ generatim Confessario in praxi sunt observanda.

CAPUT PRIMUM.

PARS II.

De iis, quæ Confessario sunt observanda tum in genere circa peccata magis obvia, tum in specie circa personas ætate, sexu, statu, vel conditione diversas.

CAPUT I.

CAP.

PARS III.

De iis, quæ Confessario specialiter sunt observanda circa personas variis vitiis & defectibus obnoxias.

CAPUT I.

FACULTAS Rev. PATRIS PROVINCIALIS.

EGo infraſcriptus Societatis JESU per provinciam Rheni inferioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi ab Adm. Rev. Patre Noſtro FRANCISCO RETZ Præpoſito Generali ad id facta, concedo facultatem excudendi Librum, cui titulus eſt: *Neo-Confeſſarius practice inſtructus cum Appendice de petendis Diſpenſationibus*, Auct. P. JOANNE REUTER S.J. In cujus rei fidem has litteras manu propria ſubſcriptas, & Officii Sigillo munitas dedi, Burenæ 13. Aug. 1749.

(L. S.)

Otto VVillemin S. J. Mp.

NEO-

NEO-CONFESSARIUS PRACTICE INSTRUCTUS.

PARS PRIMA.

De iis, quæ generatim in Praxi Confessario sunt observanda.

CAPUT PRIMUM.

Quæ Confessarius, priusquam Confessiones excipiat, observare convenienter debeat?

RESP. Sequentia: I. Magnam sui officii æstimationem concipiat, studiumque accedat, illud rite administrandi; quod ut assequatur, expendat inprimis sublimem dignitatem & honorem: Inter munia enim hujus mundi unum de dignissimis est. Nam Confessarius judex in tali causa est, quæ ex natura sua ad forum Dei pertinet. Offensus est Deus; Confessarius offensam, non ut perperam putarunt aliqui, solum remissam declarat; sed nomine Dei vere remittit, sed tollit reatum culpæ & pœnæ æternæ, condonat benigne debitum, pro quo naturæ viribus satisfieri non possit umquam; & cui aliquando judicum facta potestas, qua ex misero & reo faceret innocentem? Falso accusatum judices alii innocentem declarare pos-

1. Munus Confessarii magnæ dignitatis.

 sunt,

sunt, facere ex reo innocentem non possunt? Sed quid reliquos judices commemoro? Cui Angelorum similis collata potestas? Cui aliquando dictum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt?* Peccata, quæ quanto odio persequatur Deus, nemo verbis exprimere, nemo cogitando assequi potest; ad illa destruenda non solum Deus ordinavit omnia opera gratiæ, sed necesse quoque fuit, ut vitam suam profunderet Homo Deus; & tamen eorum destructio in manu est Confessarii; attollit hic manum & dicit: *Absolvo te a peccatis*, & ecce destructa sunt: reviviscit, qui erat mortuus; fit ex inimico amicus Dei, ex mancipio diaboli filius altissimi, ex reo inferni hæres cæli. Sacerdotibus omnibus, qui medio sunt statu Deum inter & homines, cum Deo homines, cum hominibus Dii, magna collata potestas est, magna dignitas. At eadem in Confessario in altiorem elata est gradum, ut de iis in primis dictum intelligatur illud *Psal.* 81. *Ego dixi: Dii estis.* Merentur quidem & hunc titulum Prælati, sacri Doctores, Concionatores, at speciali ratione Confessarii. Hi enim ad vitam spiritualem non solum, ut ii, disponunt consiliis, doctione, adhortatione, correctione; sed eandem quoque conferunt. Inde ponderet Confessarius, quantus in muneris sui functione pandat se meritorum campus; nam opera misericordiæ tam corporalis, quam spiritualis in hanc exercentur: docet enim Confessarius ignorantes, errantes in viam revocat, offensas remittit, mœrentes consolatur, dubitantibus bene consulit, pro periclitantibus de salute efficaciter Deum deprecatur, diræ servituti mancipatos redimit, vinctos peccatorum catenis exsolvit, nudos stola gratiæ cooperit, egenos & languidos cibo potuque spirituali reficit, ut merito a Deo misericordiam exspectare possit dicente: *Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Accedit

Et magni meriti.

dit meritum insignis patientiæ, mansuetudinis, abnegationis sui in gravibus sæpe molestiis & difficultatibus, quæ a pœnitentibus, rudibus, induratis, refractariis & obscœnis peccatoribus sæpe afferuntur; quæ omnia, si ex sincero zelo divinæ gloriæ & charitate fiant, ingens meritum deesse non poterit.

Resp. II. Confessarius, ne suæ & alienæ periculum salutis incurrat, accessurus ad sacrum tribunal magnam concipiat in Deum fiduciam, suæ sapientiæ & prudentiæ diffidens, lumen dirigendi animas, quas Salvator noster acquisivit Sanguine suo, auxilium difficultates sine offensione superandi imploret, obarmet se firmo proposito leges patientiæ & mansuetudinis observandi, formet intentionem absolvendi pœnitentes, prout cujusque exiget dispositio; nempe absolute vel conditionate, prout ipsa postulabit. 2. *Quomodo accedendum ad sacrum tribunal?*

Accedat ad sacrum tribunal prompto animo & cum gaudio, quod Deus ipso dignetur uti adjutore ad opus tam præcellens, memor se patris officio fungi, mittendasque a Deo ad se animas, quas cupiat per se dirigi, instrui, & ex servitute peccatorum extrahi.

Pœnitenti jam flectenti ex animo bene precetur his verbis: *Deus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut bene confitearis omnia peccata tua: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

CAPUT II.

Quæ observanda sint Confessario in decursu Confessionis?

RESP. Sequentia. I. Si pœnitens præsertim rudior non dicat a quo tempore sit confessus, quærat id Confessarius; uti &, an pœnitentiam injunctam expleverit? si non, an sciens & volens? 3. *Excipiat benigne Confessarius pœnitentem*

& rudem non facile sine absolutione dimittat, si non satis se examinaverit.

II. Non videtur expedire universim statim interrogare sub initium, cujus status sit pœnitens, ne curiositate videatur duci Confessarius, aut molestiam inde ferat pœnitens; sed ubi occasio erit ratione alicujus peccati, aut pro examine supplendo, id vel necessarium, vel expediens esse videbitur: verum interroget eum benigne quid mali ab ultima Confessione admiserit; si notet timorem, animet eum, ut pro anima sua non erubescat dicere verum, permittatque primo exponere quæ post examen ei occurrunt: si satis se non possit explicare, aut notetur quod non, prout oportuit, conscientiam suam examinaverit, non facile ideo rudem sine absolutione dimittat; sed excitet suaviter, juvet variis interrogationibus, percurrendo materias, in quibus labuntur fere ejusmodi. Deinde suggerat modum se recte examinandi, v. g. quid cogitatione, verbo, opere, omissione, domi, in templo, clam, palam, in hac illave occasione contra Deum, se ipsum, suos, aliosque proximos mali admiserit; rudes enim sine absolutione ideo dimissi, aut non revertentur, aut statim adibunt alium exacerbati & minime correcti, cum multi non sint capaces, prout par est, se examinandi; si tamen quis inveniretur in diversis materiis gravium reus, & numerum tantum conjectando diceret, admonendus is esset obligationis se diligenter examinandi, & suggesto modo id faciendi dimitti utiliter posset, & quandoque deberet, ut examinet rite conscientiam, & mox redeat, nisi forte circumstantiæ aliud exigerent.

Quid si aliquid necessario addendum omittat.

III. Si omittat pœnitens aliquid necessario addendum, & confiteatur ex scripto, statim id interrogetur; si autem confiteatur de memoria, putetque prudenter Confessarius se satis illius recordaturum, interrogationem ad finem Confessionis differat; si vero prudenter timeat ne illius obliviscatur, sinat adhuc unum

alterumve peccatum addere, & tum interroget, ne postea cum confusione & molestia nova teneatur peccata repetere pœnitens; ubi interrogationi satisfecerit, Confessarius peccatum ultimo dictum in mentem revocet, & jubeat ab illo pergere; sic enim reducetur ad narrationem antea mente conceptam.

Vel aliena peccata referat?

IV. Si pœnitens in Confessione incipiat aliorum peccata detegere, mox moneatur, ut sua confiteatur, de alienis autem ne detrahat, sileat, ut Confessio, quemadmodum oportet, sit humilis sui, non aliorum accusatio. Si adferat impertinentia, aut velut historiam contexat, dicatur ei, satis esse si sua peccata quoad speciem & numerum confiteatur, sine mentione occasionis & causæ; juverit quandoque, si notetur, ad cujus peccati confessionem narratio tendat, interrogare, an in hac illave materia se reum inveniat peccati. Demum, si nimis crasse vel impudice exprimat quædam, doceatur ea honestius eloqui, ita tamen, ut species exprimatur.

Confessarius nullum det signum, quod circumstantes advertant, vel pœnitens.

V. Caveat Confessarius, ne signa det manibus, pedibus, oculis vel quocumque motu corporis, quo circumstantes in suspicionem veniant, aliquid singulare in Confessione referri; quidquid audierit, nullum det signum admirationis vel indignationis, quod solus etiam pœnitens possit advertere: alias enim hic deterrebitur ab enarrandis reliquis ob eamdem causam, ne increpet ante Confessionem & examen absolutum; sed potius, quo graviora detexerit, eo suavius agat cum eo, magisque animet, ut totum virus evomat, paceque fruatur.

CAPUT III.

Quæ observare debeat circa examen pœnitentis?

4. *Qui non sint examinandi?* RESP. Sequentia. I. Necesse non est examinare eos, qui sæpe confitentur, raroque peccant graviter, & quos constat nosse omnia quæ spectant ad Confessionis integritatem: unde regulariter interrogandi non sunt Religiosi, Ecclesiastici, aliique in Theologia versati, nisi tamen certum videatur ab iis omitti aliquid necessario explicandum: tum enim, & non alias, prudenter præsumitur, quod aut nesciant suam obligationem, aut ad eam non advertant.

Quomodo examen faciendū, cum aliis? II. Si examine opus sit, fiat id convenienter ad ætatem, naturam, conditionem, sexum & negotia, & de illis tantum, quæ probabiliter ab illo pœnitente videntur forte admissa. In materia castitatis procedendum caute, ne forte pœnitens doceatur quod ignorat, & eum scire non convenit. Si neget cogitationes, non interrogetur de operibus, nisi forte pœnitens sit admodum rudis: ejusmodi enim sæpe non apprehendunt cogitationes velut peccata, saltem nisi voluerunt progredi ad opera: unde ordinarie tales examinandi sunt primum de operibus, dein de verbis, demum de cogitationibus. Si pœnitens cogitationes voluntarie habitas fateatur, interrogetur de colloquiis, aspectibus, tactibus; si hæc fateatur, interrogetur an forte opus aliquando pejus admissum sit, vel saltem concupitum, aut voluisset admittere, nisi pudor aut metus retraxisset: sunt enim rudes, qui nisi ita interrogentur, tacent, rati sat esse quod aliquid insinuando Confessario occasionem dederint interrogandi. Demum species & numerus interrogandus.

III. Et-

III. Etsi Confessarius pœnitentem ; si, ut pars est, conscientiam suam vel non aperiat, vel non excusserit, teneatur examinare, ut habet communis, & in praxi tenenda sententia; attamen in examinando nec curiosus sit, nec nimius Confessarius, ne aut sibi, aut pœnitentibus Sacramentum reddat odiosum, quod Christus cautum voluit, aut occasionem præbeat ruinæ spirituali. Præstat autem, Confessarium aliquando minus perfecte peccata intelligere, quam se, vel pœnitentem scandalo, aut Sacramentum odio exponere: Unde *In examinando non sit nimius; sed cautus & discretus.*

Primo. Non facile interroget circumstantias illas, quas & pœnitens sine maximo rubore suo non potest dicere, & Confessarius ex aliis adjunctis vel dictis potest intelligere. Hinc confitentem incestum non interroget in quo gradu fuerit, quia raro est in primo gradu, & in aliis gradibus probabiliter specie non differt. Nec conjuges interroget de debito conjugali, nisi prudenter dubitaret graviter esse contra excessum; & in hoc casu interroget, an inter se sint unanimes, an vir servet fidem uxori, an uxor in omnibus honestis & licitis viro obediat: & sic facile deprehendet, si forte negatum sit debitum conjugale; si uxor confiteatur se cognitam a viro modo non convenienti, non interroget particularia, sed in genere; an generatio sit impedita; an eo modo convenerint, ut generatio potuisset sequi, &c.

Secundo. Benignius examinet ægrotum minus capacem, aut minus dispositum ad attendendum, quam alium. Item, qui pluribus peccatis se gravatum sentit, quam qui paucioribus, quia examen debet esse accommodatum pœnitenti. *Lugo de pœn. d. 16. n. 594.*

Tertio. Nec ordinarie interrogandus pœnitens, qua conscientia in hoc illove processerit; id enim nimis grave esset Confessario, & per se loquendo præsumi potest, quod objectum ap-

prehenderit, ut secundum se malum est : Excipe, nisi aliud circumstantiæ suadeant : quia, ut dixi, rudes sæpe non apprehendunt malitiam delectationis morosæ in objecto turpi, & idem est de colloquiis turpibus, quos jocos vocant. Caveat demum Confessarius, ne de fabulis, & nescio quibus impertinentibus loquendo risui aliorum & dicteriis confessionem objiciat.

Qua diligentia teneatur Confessarius examinare pœnitentem?

IV. Sicut pœnitens in examinanda conscientia sua non tenetur ad maximam diligentiam, sed ad mediocrem tantum, seu qualem prudentes in magni momenti negotiis juxta capacitatem suam adhibere solent; sic Confessarius in examinando pœnitente tenetur tantum ad mediocrem & moralem respective ad pœnitentes, tempusque ab ultima Confessione elapsum : quod addo, quia ubi pœnitens diu non confessus est, majore opus est diligentia, quam si a tempore breviori. Ratio responsionis est, quia pœnitens tenetur per se & primo loco, cum in pœnitentiæ tribunali sit sui accusator & testis : Confessarius autem, utpote judex, tantum in defectu pœnitentis, cujus obligationem subit, ut integritas judicii procuretur. Hinc Lugo, Tambur. & alii inferunt, Confessarium non teneri ad majorem diligentiam, quam per se loquendo pœnitens, si nimirum modum se examinandi sciat. Ratio utriusque est, quia, si aut pœnitens aut Confessarius teneretur ad majorem diligentiam, quam moralem, & in magni momenti negotiis a diligentibus adhiberi solitam, Sacramentum pœnitentiæ fieret illis nimis grave & odiosum, exponeretque illos continuis & innumeris anxietatibus. Non terreatur tamen Confessarius illius pœnitentis auctoritate, sed ubi necessarium esse judicabit; examinet etiam Magnates, exemplo Confessarii, qui audita Caroli V. Imperatoris Confessione dixit : Confessus es peccata

Caro-

Caroli, jam confitere peccata Imperatoris: pœnitentes enim omnes in sacro hoc tribunali rei sunt; Confessarius judex loco Dei, neque Christus aliam legem condidit pro rusticis & plebeis, aliam pro nobilibus & magnatibus, sed eadem voluit omnes teneri.

CAPUT IV.

Quomodo instruendus & admonendus Pœnitens?

5. *Instruendus necessariis, si notetur ignorare.*

RESP. I. Quæ pœnitentes aut debent, aut utiliter saltem doceri & moneri possunt, sunt primo necessaria scitu necessitate medii. Secundo, Requisita ad dignam Sacramenti pœnitentiæ & Eucharistiæ susceptionem. Tertio, Quæ faciunt ad deponendos errores, quibus qnandoque laborant. Quarto, Obligationes, quas forte contraxerunt, v. g. restituendi famam, compensandi damna, corrigendi proximum, &c.

6. *Vel ad tempus remittendus, si instrui non possit, & mora permittatur.*

Resp. II. Si Confessarius notet etiam sub dubio pœnitentem ignorare scitu necessaria necessitate medii, vel ad Sacramenti Pœnitentiæ aut Eucharistiæ susceptionem, remittat eum ad alium diem, donec curet se melius instrui; aut si eum sine absolutione dimitti non expediat, auditis necessario audiendis, quoad poterit, spectatis circumstantiis eum doceat magis necessaria; ita ut prudenter judicare possit, satis jam apprehendere, ut fidem habeat circa necessaria, eliciatque cum eo actum fidei, spei, charitatis & contritionis, monitumque, ut magis se curet instrui, absolvat.

7. *Quid agendum Confessario, si pœnitens peccet ex ignorantia?*

Resp. III. Si notet aliquid haberi a pœnitente pro peccato quod peccatum non est, aut pro mortali quod veniale, doceat eum veritatem, ne pergat peccare ex conscientia erronea.

Similiter si pœnitens ex ignorantia vincibili putet aliquid non esse peccatum, quod revera peccatum est, sine dubio docendus est: uti, & si id

id putet ex ignorantia invincibili, sitque spes fructus; nisi tamen alteri grave inde immineret damnum, ob quod materiale peccatum pœnitentis permitti posset. Si autem modo prudenter non speretur ex eo fructus, relinquatur tantisper in errore inculpabili, ne a materiali peccato ducatur in formale. Ceterum recte monentur de turpitudine pollutionis, qui eam videntur ignorare, quia sæpe ignorantia non est invincibilis, sed juncta cum formidine vel dubio, quod imprudenter excutiunt aut retinent: sæpe etiam contrahunt habitum tam vitiosum, ut agnita dein malitia difficillime emendentur, immo & alios seducunt, persuadentes peccatum non esse. In dubio, an ignorantia invincibili laboranti profutura sit, an illi vel alteri obfutura monitio, conferenda est spes fructus cum metu damni, sique spes sit major, monendus est. Si talis interroget Confessarium de re aliqua, circa quam illum inquietat conscientia, aperienda est illi per se loquendo veritas; quia cum ea de re sit dubius vel anxius, ideoque teneatur inquirere, & nunc Confessarium interroget, tenetur hic veritatem aperire, ne tacite errorem videatur approbare. Cavendum tamen Confessario, ne, si fructus non speretur, plus dicat, quam necesse sit, v. g. obstrictus voto simplici castitatis inivit matrimonium valide, interrogat deinde, an possit licite uxori debitum reddere? respondendum illi affirmative, & tacenda obligatio non petendi; quia alias de peccato materiali adduceretur in præsens periculum peccati formalis. Dixi, per se loquendo; quia si veritatis cognitio esset gravius obfutura, dissimulandum foret a Confessario, ac si non audivisset; aut dicendum, opus non esse jam de hoc agere; interim posse eum facere, quo judicat Deum non offendi; quia in tali casu veritatem illi aperire esset ei porrigere gladium, quo se, vel proximum

gra-

gravius læderet. Demum si pœnitens, in præsenti non dispositus ad suscipiendam cum fructu instructionem, speratur dispositus fore alio tempore, differenda esset instructio; dicique illi posset: Cave peccata, ceterum operari poteris quod licitum tibi dictabit conscientia; erit alias occasio tibi uberius loquendi. Ratio horum omnium est, quia lumen naturæ dictat, & offensam Dei esse vitandam ubi potest, & non esse facienda bona, vel malum minus avertendum, si inde prævideantur secutura graviora: hoc enim non esset consulere honori Dei, & saluti animarum; sed magis officere. Unde dixit S. Augustinus: *Si scirem non tibi prodesse, non te monerem, non te terrerem.*

8. *Excitandi pœnitentes ad Christiane vivendum.*

Resp. IV. Excitandi sunt pœnitentes ad agendam vitam Christianam, quisque apposite ad suam capacitatem & dispositionem. Convenit adhortari omnes 1. ut ante omnia pugnent contra peccatum suum maxime scandalosum, periculosum, radicemque aliorum, seu in quod frequentior est lapsus, quod magis officit profectui, magis animam inquietat: si quid contra eveniat, ejus emendationem mane & vespere proponant, frequenter actus contritionis, implorent a Deo frequens auxilium, suam infirmitatem & inconstantiam confitentes. 2. Ut operibus suis mane præfigant rectam Deo placendi intentionem, hanc per diem quandoque renovent, præsertim ante actiones nobiliores, aut graviores. 3. Ad pulsum horologii, vel sæpius per diem meminerint præsentiæ Dei, eum adorando, laudando, amando, pro beneficiis gratias agendo, in eum confidendo. 4. Utile etiam quandoque erit suam vitam conferre cum vita Christi, eumque exemplar proponere in actionibus suis, in prosperis & adversis. Sic Pater Petrus Faber, primus S. P. Ignatii socius, quemdam ex Primatibus Hispaniæ, qui ab eo

instructionem quamdam petierat, admonuit ut hæc pauca secum perpenderet: *Christus vixit in summa inopia, & ego vivo in summa opulentia; Christus in fame & siti, & ego in exquisitis cupediis; Christus nudus, & ego pretiose vestitus; Christus in doloribus, & ego in deliciis*: Atque hæc apud eum tantum valuerunt, ut paulo post lauto adhibitus convivio, uno ex quatuor punctis animum subeunte, in lacrymas effusus, a mensa discedere, solitudinem quærere, in qua liberius sibi Deoque vacaret, coactus fuerit. Juvat quoque ex vita Sancti, cujus festum colitur, aliquid desumere, quod imitandum pœnitentibus proponatur. De his plura infra.

Quomodo admonitio & reprehensio facienda? Resp. V. Admonitio talis sit plerumque, ut non potius videatur reprehensio, maxime si pœnitentes sint seniores, vel magnæ auctoritatis, aut timidiores, vel pusillanimes, vel genii exulcerati: hi enim vel abjicient facile animum, aut exasperabuntur, & reprehensionem vix sine impatientia & contemptu excipient. Hinc Confessarius in reprehensionibus sit potius parcus quam prolixus, benignus magis quam severus; gravior tamen quandoque potest aut debet adhiberi admonitio illis, qui sunt naturæ durioris, parum de salute solliciti, præsertim si benigna admonitio fructum non habuit, modo fiat post exposita peccata, sitque talis, ut pœnitens intelligat quod procedat ex amore salutis suæ.

CAPUT V.

Quomodo pœnitentes ad dolorem & propositum disponendi?

10. *Signa præsentis doloris.* RESP. I. Etsi plerique pœnitentes, maxime pueri, rudes, & magni peccatores excitandi sint a Confessario ad dolorem supernaturalem, seriumque propositum; attamen quando

do adsunt signa eorum sufficientia; ad id non tenentur Confessarii. Signa autem sunt sequentia: Primum, si pœnitens dicat: Post commissum peccatum statim dolui, vel multum mecum sum luctatus ut hoc peccatum confiterer, vel, ah! sum miser & magnus peccator. 2. Si in initio se accuset de gravioribus, aut de omissis voluntarie antehac in Confessione, vel conetur omnia bene explicare anxius circa numerum & speciem. 3. Si ex se dicat: Volo vitare occasiones; vel, volo ablata restituere, aliisque obligationibus satisfacere, vel: Injungat mihi magnam pœnitentiam, &c. Ratio horum est, quia, cum pudor naturalis hominem retrahat a sui confusione, & adsit sollicitudo singularis, merito præsumitur, nisi aliud constet, quod talis sincere doleat ex motivo supernaturali, velitque emendare se: nec universim sufficiens doloris deficientis signum est, si pœnitens, dum subit confessionale, subrideat: qui enim sunt animi hilaris, passim subrident in actionibus etiam seriis.

Resp. II. Quamvis de adultis, qui apparent bene instructi, ordinarie præsumere prudenter possit Confessarius, quod sint bene dispositi, dolorisque signum sit seria peccatorum confessio; expedit tamen excitare, ut dolorem renovent, immo & pueros præsertim & rudiores interrogare, num, antequam ingressi sint confessionale, dolorem & propositum elicuerint: quia quidam, ut experientia docet, interrogati respondent, se id esse oblitos, aut putasse satis esse, si in confessionali elicerent: quod etsi verum sit, vix tamen fiet ut dolorem & propositum sincerum statim concipiant. Unde si pœnitens inveniatur non elicuisse ante dolorem cum proposito, monendus est ut deinceps post conscientiam discussam, ante ingressum in confessionale id præstet, proponendaque illi motiva doloris, & ad eum excitandus, dandumque tem- 11. *Qui præ aliis excitandi ad dolorem?*

pus,

pus, ut eliciat clam ipse, quia si Confessarius tantum præeat in verba, facile fiet ut ea simul recitet sine interno sincero dolore, serioque proposito. Ubi dispositus videbitur, jubeatur denuo se accusare in genere, quamquam hoc absolute non requiritur; quia dum pœnitens expectat absolutionem, eam reipsa petit, continuatque se reum confiteri, sicque satis dolor præcedit Confessionem. Si pœnitens dicat, se ante Confessionem elicuisse dolorem cum proposito, potest Confessarius acquiescere, nisi aliud circumstantiæ suadeant; potest quoque jubere, ut repetat dolorem pro parte pœnitentiæ. Præterea hortetur & instruat præsertim rudiores, vel gravis peccati reos, aut in eadem venialia sæpius plene deliberate relapsos, quæ media emendationis sint adhibenda.

12 *Motiva doloris.* Resp. III. Motiva doloris proponenda sunt pœnitentibus accommoda magis cujusvis capacitati: non enim omnes iisdem æque moventur. Proinde diversa in promptu habere debet Confessarius. Sunt autem motiva hæc: Primum, Jactura gratiæ & vitæ æternæ; aut si peccatum est veniale, retardatio a beatitudine, demeritumque majoris gratiæ, & hinc consequens periculum labendi graviter: *Qui enim spernit modica, paulatim decidet. Eccles.* 19. Per jacturam illam fit homo ex filio inimicus Dei & mancipium diaboli, ex hærede cæli miser, nudus, bustum inferni. 2. Pœna inferni & purgatorii gravissima, quibus, velut Judex justissimus, Deus punit peccata, & mortale quidem pœnis æternis: quæ autem stultitia major cogitari potest, quam quod homo ob lucrum temporaneum, glebam terræ, voluptatulam turpem bestiis communem, punctum honoris mundani tantis se bonis privet, & addicat pœnis æternis, æternæ Dei iræ, æternæ confusioni apud Deum, beatos, damnatos; æternæ cuidam necessitati, Deo, parentibus, diei, quo natus est, maledicendi; ut merito dixerit S. Thom. Duos tan-

tantum in mundo carceres esse necessarios; unum hæreticorum, in quem mittendi sunt qui non credunt; stultorum alterum, in quem conjiciendi qui credunt, per peccatum se alienari a Deo unico suo & summo bono, & æternis addici miseriis & cruciatibus, & tamen peccare non horrent. 3. Est turpitudo peccati, sita in eo, 1. Quod peccatum, præsertim grave, summa sit creaturæ in Deum creatorem suum & benefactorem unicum ingratitudo. 2. Grandis in Patrem amantissimum impietas & rebellio. 3. Enormis in supremum Dominum irreverentia & inobedientia. 4. Vilipensio & contemptus Dei: quia negligitur, & vilissimæ creaturæ postponitur. 5. Injuria Dei, quia abusus rerum Dei Domini contra voluntatem ejus. 6. Dehonoratio Dei negans supremæ Majestati cultum & subjectionem debitam, dicente Apost. *ad Rom. 2. Per prævaricationem legis Deum inhonoras.* 7. Superbia, qua peccans recusat subesse, reipsa dicens: *Non serviam.* 8. Recessus ab amabili Salvatore, & accessus ad diabolum hostem ejus. Crescit autem turpitudo illa ex eo, quod peccatum fiat in conspectu Dei, fiat eo tempore, quo Deus peccatorem conservat, eique dat esse, fovet, beneficiis circumdat, ad se paterne invitat, promittit, & vult dare salutem: quod peccans concursum Dei detorqueat in ejus contemptum suamque perditionem, & Deum faciat servire in pecccatis suis. Quod Christo, qui tanto pretio redemit animam ejus, sit opprobrio, exultante quodammodo diabolo: ipsum tam parvipendi ab iis, quos annumeravit Ecclesiæ suæ, & membra esse voluit Corporis sui mystici. Atque hæc turpitudo, ut abominabilis est Deo, ita abominabilem, quem inficit, reddit peccatorem, juxta illud Osee 9. *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt.* 4. Motivum sunt beneficia Dei, ut sunt creatio, seu translatio ad esse de nihilo, in quo alii tot relicti sunt, & in æternum relinquentur. Conservatio,

Turpitudo peccati exponitur.

Beneficia Dei.

tio, seu omni momento continuata productio; qua cessante in nihilum relaberetur homo. Redemptio per Sanguinem & ignominiosam Filii Dei mortem, collatio Baptismi, quo homo in amicitiam Dei admittitur, & filius fit Dei, quo tot alii carent, & ideo æternum perituri. Educatio a Catholicis parentibus, cujus defectu millies milleni pereunt, qui melius, eo beneficio donati, Deo fuissent servituri. Toties repetita peccatorum remissio, constans Dei amor, quo aberrantem revocavit, reduxit, prodigum suscepit, stola gratiæ vestivit, hactenus sustinuit & fovit; toties repetita ad mensam eucharisticam admissio, & innumera alia beneficia, quibus Deus hominem ita circumcinxit, ut quoquo respiciat, in oculos incurrant. Juvat pœnitentem quandoque interrogare: Quid ab homine utilitatis habet Deus? Nihil: Quid a Deo homo? Omnia. An tibi aliquando aliquid mali fecit Deus? Numquam. An non ergo indecens, quod sic Deum inhonoras? ei tam ingratus sis? Juvat quoque, si Confessarius recenseat beneficia pœnitenti in particulari facta, sicut Nathan Propheta recensuit Davidi a lapso 2. *Reg.* c. 12. ubi volens ostendere illi turpitudinem peccatorum suorum, dixit: *Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ego unxi te in Regem super Israel, & erui te de manu Saul, &c. quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* Porro beneficia Dei augentur ex infinita conferentis dignitate, ex amore infinito, quo conferuntur, ex indignitate creaturæ, cui conferuntur, & ex magnitudine donorum; & ex iisdem capitibus crescit ingratitudo. Quintum motivum est Deus ipse propter se dignissimus non offendi, dignissimus omni cultu, honore, amore, cujus vilipensio, contemptus, malum unicum est peccatum; malum eo gravius, quo major est dignitas offensi. Cujus proinde gravitas, etsi humanum excedens intellectum, ut ma-

gis appareat; expendatur serio quis offendatur, vilipendatur, contemnatur, a quo, propter quid, quibus auxiliis, ubi, quando? Quid pro ejus satisfactione Pater a Filio suo incarnato, qui peccatum non fecerat, sed nostra suscepit destruenda, exegerit; quas pœnas in hoc & futuro sæculo impœnitentibus infligat Deus, cujus natura bonitas?

Quomodo diversi ad dolorem excitandi?

Resp. IV. Ex his motivis id primum Confessarius proponat, quod pœnitentis capacitati & dispositioni magis videtur congruere: alii enim timore, alii amore magis ducuntur. Provectiores in virtute, & qui conantur proficere, facile excitantur considerando immensa Dei in nos beneficia, ejusque infinitam Majestatem. Rudiores & duriores concutiendi sunt primum timore pœnarum, & excitandi ad dolorem propter illas peccatoribus a Deo præparatas, deinde adducendi ad amorem ingenuum, doloremque ob offensum tantum benefactorem; demum ad amorem Dei propter se, doloremque propter ipsum offensum, & contemptum, cum proposito propter ipsum non peccandi de cetero: sic enim securius, si contritionem perfectam non assequantur, saltem attritionem concipient. Expedit omnibus proponere labores, sudores, passionem & mortem Christi. Quæ? quanta? quo fine? quo amore ista fecerit, passus sit? Ecce quæ fecit, & tulit pro te Salvator tuus, tui non egens, & quid tu rependisti? Captari etiam potest occasio excitandi ad dolorem ex circumstantiis v. g. festi, præsertim quo recoluntur specialia Dei beneficia; vel ex objecto, propter quod quis peccavit, ut si quis peccavit propter bonum utile vel jucundum, vel respectum humanum, dici potest: Potuisti amare bonum tam exiguum, tam inane, tam inconstans, & brevis temporis; quanto magis amare debebas Deum omne bonum, respectu cujus reliqua umbra sunt? Fidem consule: An quid cogitari potest Deo melius, & hunc tu non ames? Quidquid amas, ideo amas ut sit tibi bene; at co-

et cogita an tibi melius esse potest, quam habere Deum omne bonum? *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*; & tu Deum tam benignum, tam liberalem, &c. non diligas, doleasque a te offensum? &c. Notandum autem, necesse esse ut dolorem præcedat fides saltem virtualis, & spes; quia nemo actu supernaturali de peccatis dolere potest, nisi credat Deum peccatis offendi, esseque vindicem malorum, & bonorum remuneratorem, speretque veniam, de quo *n.* 104. 116.

CAPUT VI.

Quæ satisfactio pœnitentibus imponenda?

14. *Tenetur, per se loquendo, Confessarius satisfactionem aliquam injungere.* CErtum est, quod Confessarius teneatur sub culpa peccatis proportionatam pœnitenti absolvendo aliquam satisfactionem imponere, quia ad illum velut judicem pertinet procurare satisfactionem parti læsæ. Ut Minister autem Sacramenti debet ejus integritati consulere. De hac obligatione *Trid. sess.* 14. *c.* 8. loquens ait: *Debent autem Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne forte, si peccatis conniveant & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur: habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novam vitæ custodiam, ac infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam.* Hactenus *Trid.* At difficultas superest, quæ sit huic illive pœnitenti, his illisve peccatis proportionata. Pro qua metienda ad quæstionem propositam.

15. *Ut sit* Resp. I. Confessarius impositurus satisfactionem, primo attendat ad qualitatem peccatorum,

non,

non, ut iis æqualem, sed proportionatam, convenientem, & non nimis levem injungat. 2. Ad conditionem, facultates, & vires pœnitentis, ne nimis gravem, & facile omittendam, adeoque inconvenientem imponat. 3. Ad qualitatem operis, ut satisfactio sit vindicativa simul & correctiva vitæ prioris, & præservativa a relapsu: Confessarius enim, ut judex, debet punire delicta; ut medicus vero mederi infirmo, & a relapsu, quantum in ipso est, prohibere. Optime in hac parte fungetur officio suo, si injungat pœnitentias discrete afflictivas & efficaciter correctivas vitæ prioris; & quamvis spectanda sit qualitas criminum, magis tamen attendenda est natura, conditio, & utilitas pœnitentis.

proportionata tria spectare oportet.

Resp. II. Pro satisfactione imponi possunt; 1. Opera quævis pœnalia, ut jejunium, abstinentia a certo cibo, vel potu, & quævis carnis mortificatio. 2. Oratio, & quivis cultus Dei. 3. Eleemosyna, & quivis actus proximo salutaris: unde imponi possunt orationes, aliaque pia opera pro defunctis obeunda; & sic exercetur charitas, fitque eleemosyna acceptissima: neque sic pœnitens privatur omni vi satisfactoria, quia intentio applicandi, & vis satisfactoria operis, ut per claves elevati, ad satisfaciendum ex opere operato manet pœnitenti. 4. Injungi possunt actus mere interni Fidei, Spei, Charitatis; meditatio de morte, inferno, judicio, &c. quia & hi valde meritorii & satisfactorii sunt. Cum enim actus Charitatis in peccatore vim habeat delendi reatum culpæ mortalis, & reatum pœnæ æternæ; multo magis valebit ad delendum reatum pœnæ temporalis in justo. 5. Opera etiam præcepta, quia & hæc sunt satisfactoria, & elevari possunt ad rationem satisfactionis sacramentalis, sintque tunc sub duplici obligatione præstanda. Sic, si quis accusaret se de negligentia in audiendo Sacro, vel persolvendis Horis Canonicis, posset illi injun-

16. *Quænam injungi possint.*

injungi, ut ea aliquot vicibus devotius præstaret. Ceterum expedit semper aliquid non præceptum addere, ut sit pœnitentia magis vindicativa. 6. Cum valde salutares sint pœnitentiæ peccatis directe oppositæ, divitibus avaris & injustis utiliter imponuntur eleemosynæ, quia pecunia est illis nutrimentum & anima affectus inordinati: caveat tamen Confessarius, ne sibi, aut suis velit eleemosynam applicari. Similiter obnoxiis vitio carnis, ebrietatis, gulæ recte imponuntur macerationes corporis per jejunia, cilicia, flagellationes, subtractionem commoditatum in lecto, diuturniore somno, delicatiore victu. Invidis, iracundis, odio proximi laborantibus opera charitatis erga proximum, a quo est eversio, v. g. ut pro eo orent, honore eum præveniant, juvent, quibus commode possunt. Contraria enim contrariis curantur; estque generale & utile remedium adversus omne peccatum, ut in materia, in qua quis commisit illicita, abstineat etiam a licitis. 7. Qui non, vel vix tempus habent orandi, aut aliunde tenentur ad multam orationem, iis non imponantur longæ orationes, utpote vix illis utiles, sed pauca potius opera cum fervore, & in statu gratiæ facienda: his enim juvantur magis, quam multis tepide & in statu peccati peractis. Unde talibus parvæ potius, sed efficaces pœnitentiæ injungendæ sunt; v. gr. ut certis Festis confiteantur, quotidie legant libellum pium, aut meditentur, si capaces sint, per horæ quadrantem, aut diutius de certo mysterio, quo magis afficiuntur, aut de materia, qua maxime terrentur, ut de Passione Domini, de judicio, morte, inferno, gravitate peccati, amore Salvatoris in humanum genus, &c. vel usque ad proximam Confessionem mane proponant cavere illo die certum peccatum in honorem v. g. sanctissimæ Trinitatis, Crucifixi Domini, Beatissimæ Virginis, Angeli Custodis, &c. prout ipsis dictabit pietas;

tas; Vespere examinent conscientiam; de lapsu doleant, proponant emendationem, gratiam petant; vel post decubitum in lecto cogitent se morituros, & e lecto amplius non surrecturos; quæ sententia post mortem exspectanda malis, in quem locum mittendi, quid ibi æternum passuri? Ut mane surgentes sibi dicant: Hodiernam diem incipio, quam mihi dat Deus ut opere salutem meam, forte crastinam non habebo, & finis erit vitæ; at quando æternitatis? Ex his pœnitentiis injungat Confessarius quæ videbuntur pœnitenti magis accommodatæ; attamen uni non valde diversas: & experietur, si serio obeantur, esse admodum utiles, ut experientia docet, monstrantque exempla. Sic puellæ vanæ, cui ex variis pœnitentiis a Confessario oblatis nulla sapiebat, profuit ad vitæ emendationem hæc exigua: Quoties mane laveris manus, hoc tibi tacite dices: *Hæc caro erit aliquando esca vermium*. Juvenem carnis voluptatibus implicitum correxit hæc: Vesperi decumbens in lecto animo revolve: *Velles ne pro totius mundi imperio jacere per 30. annos immotus in hoc lecto etiam rosis strato?* Si non, quæ ergo insania pro modica voluptate æternis se addicere ignibus? Militem induratum emollit hæc: Dono, inquiebat Alexander Pontifex, hunc tibi ex manu mea annulum, ut illum gestes, & quoties eum aspexeris, recorderis æternitatis. Alium correxit hæc a Sacerdote ex Ordine S. Dominici injuncta: Per noctem unam jace immotus in lecto: mane enim accurrens ad Confessarium dixit, id sibi visum esse impossibile; cui Confessarius: Quomodo ergo jacebis in æternum in inferno compactus? 8. Injungi etiam potest idoneis, ut per diem mente versent aliquam ex Scriptura sententiam, ut: *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Matth.* 16. Vel: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Job* 21.

Job 21. Vel: *Quis poterit habitare de vobis cum ardoribus sempiternis? Isaiæ* 33. Vel: *O vos omnes, qui transitis, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus. Thren. c.* 1. Vel: *Vocavi, & renuistis: ego quoque in interitu vestro videbo. Prov. c.* 1. & alia ejusmodi, quæ & servient pro admonitione.

17. *Quando pœnitentia minor imponi possit quã alias imponenda fuisset.* Resp. III. Pœnitentia minor, quam alias injungenda fuisset, imponi potest: 1. Si pœnitens videatur valde contritus: 2. Si lucrandæ sint Indulgentiæ; quia, quamvis tunc pœnitentia medicinalis non sit imminuenda, minui tamen potest vindicativa: nam per Indulgentias quidem applicatur satisfactio Christi, & remittitur pœna, non cavetur tamen relapsus. 3. Si pœnitens sit infirmus, vel ita debilis, ut gravior sit ipsi valde difficilis. Unde luctanti cum morte sufficit injungere, ut sacra nomina ore, aut saltem corde proferat; potest infirmo gravior injungi sub conditione, si convalescat; item, ut acceptet, & statuat pro satisfactione perferre morbi molestias. 4. Si pœnitens merito timeatur graviorem omissurus, aut a Sacramento Pœnitentiæ avertendus, vel aditurus Confessarios minus idoneos, aut ruiturus in disperationem; quibus in casibus tutius est, inquit Gerson, pœnitentem cum parva pœnitentia implenda permittere purgatorio, quam cum magnâ vel omittenda, vel inutiliter implenda mittere in infernum. 5. Si ex minore pœnitentia speretur specialis utilitas; ut si credatur pœnitens sic alliciendus ad frequentem usum Sacramentorum. 6. Si constet, quod pœnitens multa opera satisfactoria facere consueverit. 7. Si, ubi opus est reprehensione, quæ tamen moderata esse debet, dicat Confessarius, priusquam reprehendat, ut se patienter audiat pro pœnitentia. 8. Si pœnitenti suas obligationes ostendat, v. g. se reconciliandi cum proximo, restituendi aliena, vitandi occasionem proximam, quas potest pro pœnitentia injungere, ut iis satisfa-

ciat . In hoc casu, inquit P. La Croix, non debet Confessarius multum angi circa peccatorem gravem, ne ita disposito non sat gravem pœnitentiam injungat, quia illæ obligationes per se sunt satis graves. 9. Si aliqua per modum consilii injungat, & ad illa pœnitens se paratum ostendat, v. g. ut opera quotidiana exactius ad tempus peragat. Etsi enim pœnitentia non sit tota injungenda sub puro consilio, cum non appareat quomodo Confessarius sic ut judex puniat, & sine peccato; alias posset Sacramentum Pœnitentiæ sua frustrare integritate: pars tamen pœnitentiæ imponi potest sub puro consilio, ut habet communis. 10. Si Confessarius exemplo S. Francisci Xaverii partem pœnitentiæ in se suscipiat; sic enim movebitur pœnitens ad dolorem, confusionem, ad frequentanda Sacramenta, vitamque Christianam, consequenter ad majorem satisfactionem. Ceterum, si justo minor pœnitentia injungatur, monendus pœnitens id justis ex causis fieri, ut sic animetur ad spontaneam satisfactionem, studeatque diligentius emendationi, & ad Confessarium alliciatur; secus enim gravitatem peccatorum suorum non æstimabit, quæ advertit a Confessario tam leviter puniri.

Resp. IV. Pœnitentia inconveniens est, primo ea quæ conflatur ex nimis multis diversis, v. g. jejunio, orationibus variis, &c. quia pœnitens facile obliviscetur, aut eas perfunctorie peraget. 2. Quæ est ad rigorem antiquorum Canonum, juxta quos olim pro quovis mortali publico dictabatur septennis pœnitentia, nempe, ut singulis hebdomadis jejunaret pœnitens in pane & aqua feria quarta, sexta, & Sabbato, quantum ante absolvebatur sacramentaliter. Ratio est, quia rigor ille modo non est conveniens, eumque temperavit Ecclesia; tum ne confessio ab Hæreticis reduceretur velut carnificina, fieretque odiosa pœnitentibus; tum ut homines magis allicerentur ad Sacramentorum fre- 18. *Pœnitentiæ inconvenientes.*

quen-

quentem usum, perque hunc a relapsu præser-varentur: tum denique, quia postremis temporibus frequentior concessio & participatio Indulgentiarum invaluit. 3. Si pœnitenti imponatur, nec certum peccatum amplius committatur; quia exponitur periculo gravius labendi. 4. Si sit perpetua, quia esset immoderata. 5. Si injungatur publica gravis, ordinarie est inconveniens; quia repugnat praxi Ecclesiæ, & facile ingeneraret suspicionem gravis peccati, vel caussaret diffidia. Dixi, ordinarie; quia ob peccata publice commissa sæpe utile, immo quandoque necessarium imponere publicam, ut scandalum amoveatur; estque potestas Confessario puniendi peccata, ubi necessarium: neque ideo violatur sigillum, quia obligatio tollendi scandalum aliunde est; adeoque, ubi pœnitens debet consentire, adest consensus ejus. Sic salvo sigillo columniatori imponitur, ut ab offenso petat veniam. 6. Si multum occupato imponerentur longæ orationes, delicatis rigidæ corporis castigationes, conjugibus longæ peregrinationes: tales enim pœnitentiæ non sunt proportionatæ viribus, statui, conditioni pœnitentium talium.

19. *Pœnitentia ab alio injuncta quando mutari possit?*

Resp. V. Si pœnitens absolutus redeat; egeatque nova absolutione, nova injungenda est pœnitentia; nisi forte prior videretur sufficiens, velletque eam de novo Confessarius injungere, uti potest, aut opus aliunde debitum. Si pœnitens petat sibi injungi aliam pœnitentiam loco injunctæ ab alio Confessario, illi annuendum non est, nisi status antecedens illius ex Confessione saltem confuse cognoscatur; quia judex nequit judicare incognita causa. Putant quidem Tamb. & Illsung statum pœnitentis antecedentem satis cognosci ex pœnitentia illi injuncta, ideoque opus non esse ut peccata, ob quæ injuncta fuit, denuo exponantur; at licet hoc forte aliquando verum esse possit, non tamen semper; quia Confessarii non sunt uniformes, nec omnes

æque

æque solliciti de pœnitentia præsertim medicinali imponenda. Unde, per se loquendo, pœnitens debet peccata saltem præcipua iterum confiteri. Quod si rediret ad eumdem Confessarium, hic modo adhuc in confuso recordaretur status prioris pœnitentis, aut eum ex præsenti Confessione intelligeret, juxtà omnes aliam pœnitentiam posset substituere, & juxta aliquos etiam extra Confessionem; quia judex potestatem habet circa pœnitentiæ impletionem, adeoque & circa illius mutationem. Ita *Lugo*, *Hau.* & *alii*. Demum, etsi pœnitentia ordinarie imponatur ante absolutionem, potest tamen & eam sequi illius impositio, tuncque adhuc procedit a potestate clavium; quia judicium necdum est finitum, utpote ad quod spectat punire delicta.

Resp. VI. In dubio de sufficiente pœnitentia, inclinandum in partem benigniorem; quia in ea minus periculi; & *sapientis medici est*, inquit S. *Thom. in* 4. *D.* 18. *Q.* 2. *A.* 1. *Qu.* 3. *a levioribus & minus periculosis medicinis incipere*, & *D.* 19. *Q.* 42. *A.* 3. *Qu.* 2. *paulatim procedendum est, ut quam minus potest fieri, gravetur ille, cui medicari volumus.* Juvat quandoque interrogare pœnitentem, quam pœnitentiam putet se melius implere posse; sique promptus inveniatur, expedit quandoque quæ diutius duret, per dies v. g. 15. aut etiam per mensem, ut non dentur oblivioni peccata, consuetudo aboleatur, & studium eam extirpandi nutriatur. 20. *In dubio, inclinandum in partem benigniorem.*

CAPUT VII.

Quomodo, & quando sit danda absolutio?

RESP. I. Ut Confessarius certo licite procedat, regulariter tenetur absolvendo uti saltem his verbis: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus* 21. *Forma absolutionis.*

sancti, Amen. Rituale Romanum sic habet: *Cum igitur pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius & ab eo acceptata salutari pœnitentia, primo dicit: Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus, Amen. Dominus noster Jesus Cristus absolvat te, & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges: deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, & merita Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.*

22. *Quæ verba sint necessario adhibenda?* Circa hanc formam observandum primo; dum dicitur: *Indulgentiam &c.* vel si verba illa omittantur, dum dicitur, *Dominus noster, &c.* Confessarius elevat dexteram versus pœnitentem. 2. Si pœnitens sit laicus, aut, ut tenent Gobat & Stotz, in minoribus tantum, omittitur vox, *Suspensionis*. 3. In Confessionibus frequentioribus, vel brevioribus, aut quando magnus pœnitentium concursus, aliave rationabilis causa est, licite potest incipere ab his verbis: *Dominus noster Jesus Christus, &c.* & omittere verba: *Passio Domini nostri, &c.* immo in gravi necessitate, v. g. periculo mortis sufficit dicere: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.* Extra illos casus reliqua verba prudenter adduntur, & per ultima illa, *Passio Domini nostri, &c.* juxta aliquos, quod tamen alii probabilius negant, elevantur omnia opera bona pœnitentis ad satisfactionem sacramentalem ex opere operato, & suppletur defectus impositæ nimis parvæ fortassis pœnitentiæ.

Putant

Putant quoque aliqui veniale peccatum fore, si sine rationabili causa omittantur verba, *Dominus noster Jesus Christus, &c.* eo quod, uti ordinarie adhibenda ex usu Ecclesiæ, sint recepta; sed *Gobat Tr. 7. num. 16. l. 1. num. 82.* aliique id negant, satisque esse censent, si dicatur, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, vel si timeatur, ne adsit censura: *Ego te absolvo a censuris & peccatis tuis*. 4. Verba absolutionis convenit pronunciare submisse, ne, si Confessarius assuescat pronuntiare altius, circumstantes advertant, dum forte neganda erit absolutio. An autem hæc danda sit aperto, vel tecto capite, spectanda est consuetudo & praxis regionis. In his Germaniæ partibus datur aperto capite in reverentiam Christi, cujus auctoritate impenditur; in aliis vero quibusdam datur tecto capite, ut ostendatur Confessarii qua judicis auctoritas. Ut servetur uniformitas, quæ ad decorem confert, quisque accommodet se consuetudini loci, in quo Confessarium agit.

Resp. II. Forma essentialis absolutionis proferenda est non deprecatorie, sed auctoritative, quia est actus judicialis, ut constat ex *Trident. Sess. 14. Can. 9.* dicente: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, anathema sit*. Deprecatio autem est actus supplicantis, non vero judicis. Constat quoque ex Scriptura. Nam Christus *Joann. 20.* non dixit: Quorum oraveritis, dimitti peccata; sed: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. 23. *Forma proferenda auctoritative.*

Resp. III. Absolutio non est danda sub conditione de futuro, v. g. Ego te absolvo, si intra triduum aliena restitueris. Ratio, quia effectus Sacramenti non est suspendendus; sic volente Christo, ut nobis declarat communis Doctorum sensus. Unde sic absolvens peccaret graviter; dari tamen quandoque potest sub conditione de præsenti, ut mox dicetur. 24. *Non est absolutio danda sub conditione de futuro.*

Resp. IV. Confessarius tenetur sub culpa gravi, per se loquendo, absolvere pœnitentem rite 25. *Absolu-*

tio dispo- confessum & dispositum, uti & in dubio de
sito dan- dispositione, si prudenter possit se resolvere in
da. favorem pœnitentis. Ratio est, quia pœnitens per Confessionem acquisivit jus ad absolutionem, neque in dubio, quod in ejus favorem resolvi potest, illo privandus; cum ejus possessionem fundet Confessio rite peracta: hac enim lege confessus est pœnitens ut absolveretur, nisi constaret eum esse indispositum. Dixi: *per se loquendo;* quia causæ quandoque esse possunt differendi absolutionem secundum dicenda capite sequenti.

36. *Regulariter danda absolute, quandoque sub conditione de præsenti.* Resp. V. Ubi rationabile dubium non est de requisitis ad absolutionem, absolvendus est pœnitens, per se loquendo, absolute; sub conditione vero, si dubium sit quod non possit absolvi, adsitque vel necessitas, vel magna pœnitentis utilitas. Ratio primæ partis est, quia id jus tunc habet pœnitens: ratio secundæ partis est, quia sic consulitur reverentiæ sacramentali, & saluti pœnitentis. Hinc conditionate absolvendus est, primo, si dubitetur de usu rationis, aut sufficientia dispositionis vel materiæ, nec certa haberi possit, adsit tamen necessitas, vel prudens ratio absolvendi. 2. Si moribundus dederit signa dubia pœnitentiæ. 3. Si prudens sit dubium de dolore, aut proposito efficaci confessi mera venialia, aut mera mortalia dubia, ita ut certum non sit peccasse saltem venialiter. Quod si adferret pœnitens sola venialia dubia, & alia ratio non suaderet, absolutio nec sub conditione videtur danda, ne, cum non sit necessitas, fiat irreverentia Sacramenti. Neque tunc pœnitens habet jus ad absolutionem, quia non affert materiam certam, consulendumque etiam est reverentiæ Sacramenti. Si tamen adesset prudens metus, ne fortassis sit in statu peccati mortalis, sub conditione foret absolvendus, cessaretque tunc periculum irreverentiæ. Posset fortassis etiam sub conditione absolvi, si lucrandæ essent Indulgentiæ, ad quas prærequi-

rere-

feretur Confessio, atque in his casibus non suspenderetur effectus Sacramenti valide; sed neque ordinarie difficile erit elicere peccatum certum ex vita præterita, id quod tentandum foret. Porro conditio potest quidem verbis exprimi, sed tamen necesse non est, ut habet communis; sed sufficit quod adsit intentio saltem virtualis, cui ut verba consentiant, faciunt præsentes circumstantiæ; virtualem autem intentionem habet qui ante statuit absolvere pœnitentes ad mentem Christi & Ecclesiæ, & ex ea intentione tenuiter perseverante operatur.

Resp. VI. Si pœnitens absolutus afferat novum mortale ex oblivione omissum, renovato, si cessaverit, dolore, iterum absolvendus est. Si mortale dubium foret, jubeatur iterum se accusare in communi de ante dictis, aut addere iterum veniale certum, nisi tamen mortale dubium certo fuisset veniale; si autem afferret tantum venialia, sine absolutione nova dimittendus foret, quia videtur contra reverentiam Sacramenti sine necessitate illud illico iterare: unde nec pœnitens potest esse rationabiliter invitus. Hoc autem in iterata illa absolutione observandum, ut Confessarius non absolvat elevata manu, & palam formata cruce, sed clam ad pœnitentem inclinatus, ne, si adstantes advertant iterum dari absolutionem, suspicentur reum fuisse peccati mortalis. Aliud foret, si præsentes essent nunc omnes alii ab iis, qui antea adfuerant, aut solus pœnitens.

27. Quid si pœnitens absolutus afferat novum mortale omissum?

Resp. VII. Si peracta Confessione, aut adhortatione Confessarius esset peccatorum in particulari oblitus, ita ut nullius in specie meminisset; quod fit quandoque, dum afferuntur tantum venialia, potest absolvere, modo adhuc ita teneat statum pœnitentis, ut possit pœnitentiam imponere, de qua inter confitendum jam inchoatur judicium. Sufficit enim ad absolutionem aliquando fuisse distinctam cognitionem peccatorum in Confessario; nunc autem esse

28. Quid si Confessarius ante absolutionem peccata pœnitentis esset oblitus?

adhuc confusam de statu pœnitentis; quæ consistit in eo quod meminerit, plura vel pauca specie distincta peccata esse exposita, aut nonnisi venialia; quamquam & facile dici posset, ut repeteretur ultimum veniale. Aliud foret si Confessarius sub enarratione peccatorum dormivisset, aut fuisset distractus: hoc enim casu, si non sit certus, talem pœnitentem non retulisse, nisi venialia, quærat graviores peccatorum species, præsertim in quas talis conditionis homines solent labi: non tamen sit nimius, ne Sacramentum fiat odiosum; pro quo mitigando posset Confessarius benigne dicere, humani se quid passum, & fuisse abreptum, vel somnolentum. Si sciat conscientiam pœnitentis, intellecto uno veniali, vel accusatione de totius vitæ peccatis facta, potest absolvere. Ubi hoc notandum, peccare per se graviter Confessarium, qui per somnum, aut alio modo est distractus, ita ut non intelligat peccata pœnitentis, sicque causa sit, ut pœnitens cum gravi sua molestia teneatur peccata repetere.

19. *Præmittenda absolutio a censuris, non tamen necessario impletio pœnitentiæ, vel probatio vitæ.*

Resp. VIII. Etsi absolutioni a peccatis præmittenda sit absolutio a censuris, saltem ubi prudens timor est ne aliqua subsit, v. g. excommunicatio ob peccata graviora, quæ pœnitens confitetur; non tamen necessario impletio pœnitentiæ, aut emendatio vitæ Confessario probata. Ratio primæ partis est, quia Ecclesia graviter præcipit, ut excommunicatus nullum Sacramentum suscipiat. Absolvitur tamen pœnitens, etsi censuram ignoret, nec eam advertat Confessarius, modo verba proferat, & facultatem a tali censura absolvendi habeat. Immo Suarez probabiliter putat, si Confessarius volens agere quod potest, dicat verba absolutionis a peccatis, tolli simul censuras, excommunicationem, suspensionem, & interdictum, a quibus duobus postremis absolvere post datam absolutionem a peccatis non foret mortale, quia non privant usu passivo Sacramentorum, ut excom-

muni-

municatio; quæ si a tali Confessario tollibilis non sit, juxta S. Anton. Vasquez, & alios, impedit valorem absolutionis a peccatis, eo quod Ecclesia sustulerit Confessariis jurisdictionem absolvendi a peccatis, priusquam ablata sit excommunicatio. Negant tamen *Lugo a* 22. & alii, si pœnitens bona fide procedat, & excommunicationem ignoret, eo quod nullibi legatur Ecclesiam jurisdictionem sustulisse, nec id præsumi possit, cum non sit in bonum fidelium; quia sic ignari suæ excommunicationis possent tota vita suscipere bona fide Sacramenta sine fructu. Ratio secundæ partis, quam docuerunt quidam Rigoristæ apud *La Croix l. 6. n.* 12. 30. est, quia sic differendo absolutionem plures exponerentur periculo multiplicandi peccata, & æternæ damnationis; manerent enim in statu mortali, adeoque minus armati contra tentationes, sicque in eo statu morerentur, quod fieri pronum est, æternum perirent. Deinde pœnitentia ante absolutionem non est sacramentalis, seu deletiva pœnæ ex opere operato, nec deficiente gratia remissiva pœnarum, utpote quæ non remittuntur prius, quam remissa sit culpa. Sicque pœnitentes sine absolutione dimissi nihil de condigno mererentur, & magna subirent damna, unde Alexander VIII. damnavit hanc propositionem inter damnatas septimam: *Per illam praxim mox absolvendi ordo est inversus.* Et hanc 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura id ipsum quodam modo dictante.* Ratio tertiæ partis est eadem, quæ prioris; cui accedit constans praxis Ecclesiæ, & finis Sacramenti, per quod gratia ad emendationem confertur. Dicunt adversarii, ex probatione, judicandum esse, an pœnitens verum dolorem & emendationis propositum habeat; at id aliunde satis intelligi potest. Dicunt item, praxim non absolvendi ante peractam pœnitentiam viguisse

per 12. sæcula prima; verum id falsum esse erudite ostendit *Nicolaus du Bois in apologia contra Synodum Bacematoriam*, probans a secundo sæculo ad duodecimum, facientibus publicam pœnitentiam datam fuisse Eucharistiam per decursum pœnitentiæ necdum expletæ, adeoque ante fuisse absolutos sacramentaliter. Absolutionem autem, quæ dabatur completa jam pœnitentia, sacramentalem non fuisse, sed reconciliativam tantum pro foro externo, & in testimonium pœnitentiæ fideliter expletæ.

30. *Non dimidianda ob concursum pœnitentium absolutio directa.* Resp. IX. Absolutio danda non est propter magnum concursum pœnitentium illi, qui non est confessus omnia mortalia. Ratio est, quia ex eo non est moralis necessitas Confessioni non integræ mortalium impendendi absolutionem, etsi aliqui non sint redituri; quia alibi, vel alio die confiteri poterunt. Unde Innocentius XI. damnavit hanc 59. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate confessos ratione magni concursus pœnitentium, v. gr. qualis contingere potest in die magnæ festivitatis, vel indulgentiæ.* Ob eamdem rationem non licet dimidiate confessos absolvere, si inveniantur multæ Confessiones invalidæ emendandæ, quæ tam cito repeti non possunt, quod a se practicatum ait Sporer. Idem est de peregrino, qui accedit bona fide non satis discussa conscientia, & ob copiam pœnitentium non potest examinari. Regulariter melius est, pauciores potius audire bene instructos ac dispositos, quam multos tumultuarie & minus dispositos cum exigua spe emendationis absolvere. Quando vero adest moralis vel physica impossibilitas integre confitendi, & necessaria absolutio, ut si moribundus videretur moriturus, antequam integre confiteretur, aut si ad eum veniens Confessarius invenerit opus esse Confessione generali, habensque apud se sacrum Viaticum & extremam Unctionem, non posset Confessionem protrahere sine scandalo populi exspectantis & gravi in-

famia

famia pœnitentis, non integre confessos licet absolvere: post tamen procuranda esset integritas Confessionis.

Resp. X. Absolutio nec licite, nec valide dari potest absenti, sed tantum præsenti, saltem moraliter. Ratio est, quia hæc fuit voluntas Christi, quæ nobis innotescit ex praxi perpetua Ecclesiæ, & ex CC. Nam ex *Flor. & Trid.* forma absolutionis sunt verba formalia, quibus Sacerdos alloquitur pœnitentem, dicendo: *Ego absolvo te, &c.* Verba vero formalia nemo adhibet ad absentem, sed humano modo loquimur præsenti: unde Clemens VIII. damnavit hanc propositionem: *Licet per litteras, seu Internuntium Confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eo absente absolutionem obtinere.* Insuper sub pœna excommunicationis prohibuit illam doceri vel practicari, tamquam aliquo casu probabilem. Porro propositio illa damnata est, quia volebat validam esse Confessionem factam absenti pro absolutione, ab eodem absente obtinenda. Si voluisset, validam esse factam in ordine ad absolutionem a præsente accipiendam, uti putavit Suarez, esset solum damnata propter partem ultimam; quia Confessio facta absenti in ordine adabsolutionem a præsente accipiendam invalida non est, uti declaravit Clemens *apud Decast. de pœnitentia disp. 9. num.* 23. Unde passa non est sententiam Suarez, qui tantum voluit Confessionem factam absenti pro absolutione a præsente accipienda esse validam: videri potest *Gormaz de pœnit. a num.* 232. *Viva in appendice ad damnatas* §. 10. Aliud est de absolutione a censuris, quæ, quia scripto, hinc & absenti impertiri potest. Dixi, *Præsenti moraliter saltem*, quia cum verba formalia ad præsentem moraliter usurpari possint, nihil obstat, quin is absolvi possit. Consistit autem præsentia moralis in ea conubicatione Sacerdotis, & pœnitentis, ut se invicem audire possint, ea voce lo-

31. *Non potest valide dari absolutio absenti.*

quentes, qua homines in communi colloquio uti solent, satis foret tamen, etsi aliquanto altiore voce utendum esset. Hinc, quamvis pœnitens jam exivisset ex confessionali, si tamen adhuc sit in morali præsentia, absolvi potest & debet, idque juxta *Eug.*, *Tamb.* & alios, etsi jam immixtus aliis, ut videri non posset; quia nihilominus est moraliter præsens, retinetque voluntatem absolutionis accipiendæ, quamdiu eam non accepit. Quod autem *Moya quæst.* 5. *num.* 32. dicat, manere moraliter præsentem, quamdiu videri aut sensu percipi potest, videtur nimium; quia longius libero oculo homo videri potest, quam ad eum fieri possit humana locutio. Multo minus sufficit, quod Confessarius domum videat, in qua decumbit pœnitens; quia pronomen *Te* satis demonstrare non potest pœnitentem, cum nullo sensu percipiatur a loquente, nec Sacerdotis verba humano modo percipere possit.

32. *Absolutio disposito etiam a solis venialibus danda.* Resp. XI. Dari quoque debet absolutio pœnitenti disposito, sola licet venialia confesso. Ratio est, quia venialia sunt materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, & pœnitens per eorum confessionem acquisivit jus ad absolutionem & augmentum gratiæ, quod confertur quoties Sacramentum illud digne suscipitur. Unde *Trid. sess.* 14. *cap.* 5. docet, venialia recte & utiliter citra omnem præsumptionem in Confessione dici. Probat quoque id piorum & sanctorum usus, & praxis totius Ecclesiæ. His ex parte contradicunt quidam DD. Lovanienses, ex quibus Huygens improbat, quod frequens absolutio petatur a venialibus, nisi pœnitens sit valde sanctus & clare discernat eorum malitiam. Alii adstruunt statum aliquem perfectionis, quem qui attingit, non indigeat confessione, dicuntque, primos Christianos in eo statu non fuisse solitos confiteri. Alii cum Oftraet putant, pœnitentes ignotos, qui nonnisi levia v. g. mendacia, distractiones in oratione, &c. confitentur, non

esse

esse passim absolvendos. Sed hi audiendi non sunt, si pœnitentes judicentur prudenter esse dispositi; quia doctrina illa repugnat praxi Ecclesiæ, sensuique Doctorum & sanctorum virorum, qui sæpe a solis venialibus absolutionem petunt, & absolvunt tum adultos, qui tantum venialia confitentur, tum adolescentes, qui numquam peccarunt graviter. Sapienter tamen suadent DD. ut tales ad sincerum dolorem & propositum sese sedulo excitent, relapsique sæpius in eadem venialia addant ex vita præterita saltem veniale gravius, aut magis deliberate commissum, quod jam emendaverint magisque detestentur, & cavere statuant, ut sic magis consulatur reverentiæ & fructui Sacramenti.

Resp. XII. Neque indispositus ad absolutionem quis censeri debet ex eo statim, quod merito timeatur relapsurus, aut etiam is id ipsum existimet; quia timor ille & judicium possunt esse de præsenti voluntate bona mutanda fortassis, non de vero defectu præsentis dispositionis. Unde judicium illud, utpote actus intellectus, stare potest cum sincero dolore præsenti & proposito. Itaque examinet Confessarius, unde judicium illud pœnitentis proveniat, an forte ex actuali affectu ad peccatum, an ex desperatione vel pusillanimitate, aut potius ex cognitione fragilitatis auctæ per actus frequentatos. Undecumque proveniat, conetur Confessarius mederi, media suggerat, animet ad fiduciam, excitet ad se humiliandum coram Deo, ut ambulet in conspectu ejus, ferventioribus precibus auxilium imploret, fiducialiter recurrat ad B. Virginem, peccatorum refugium. Ceterum caveat Confessarius, ne ulli periculosas hypotheses proponat, v. g. numquid nolles peccare, etsi hoc illudve malum deberes tolerare, si in hac illave fores occasione; sufficit, constare pœnitentem jam sincere dolere, & nolle peccare de cetero.

33. *Quid, si quis judicet se relapsurum?*

CAPUT VIII.

Quando, aut quomodo neganda, aut differenda absolutio.

34. *Quando differenda absolutio, & quæ signa indispositionis?*

RESP. I. Differenda est absolutio, primo, si afferatur reservatum, a quo Confessarius nequeat absolvere, nec sit urgens ratio nunc absolvendi. 2. Si prudens sit dubium de dispositione pœnitentis, quod resolvi non possit, nec adsit necessitas absolvendi; alias enim temerarie exponeretur Sacramentum periculo nullitatis. Signa autem dubiæ dispositionis sunt, si pœnitens contra fidem datam necdum deseruerit occasionem peccandi proximam; si aliquoties spoponderit scandalum tollere, redire in amicitiam, aliena reddere, aliisve obligationibus gravibus satisfacere, & promissis non steterit, cum posset. 3. Per se loquendo, si post Confessionem diu omissam, & frequentes relapsus appareat pœnitens negligenter examinasse conscientiam; quia tum magnum est periculum, ne absolvatur culpabiliter non integre confessus. Dixi: *Per se loquendo*; quia si pœnitens rudis, aut se melius examinare, aut reddere non posset, juvandus foret, & absolvendus, si judicetur dispositus. 4. Si pœnitens esset peccator publicus, v. gr. usurarius, vel concubinarius publicus, differenda esset absolutio publica, donec constaret de emendatione; quia alias scandalizarentur fideles. Posset tamen dispositus absolvi privatim, sed Communio publice danda non esset. 5. Si consideratis omnibus dilatio videatur pœnitenti profutura, ver. grat. ut magnum capiat horrorem peccatorum, gravitatem eorum magis apprehendat, firmetur magis contra relapsus, concipiatur major dolor, & firmius propositum, astringatur magis ad utendum mediis præscriptis, rem alienam restituat, damna compenset, aliasque obli-

gatio-

gationes impleat. Potest Confessarius quandoque laudabiliter ad breve tempus, licet videretur dispositus, absolutionem differre, saltem si non esset pœnitens omnino invitus. Est communis; & ratio est, quia Confessarius est medicus animæ, adeoque potest adhibere media, quæ prudenter spirituali ejus sanitati fore utiliora judicat; sicut potest imponere media præservativa, aut præexigere alicujus satisfactionis impletionem. Habet quidem rite dispositus jus ad absolutionem, sed non semper ad eam statim accipiendam; sicut Cathecumenus jus non habet ad Baptismum statim accipiendum, verum ubi judicio Confessarii magis expediet. Dixi primo, *Quandoque*, quia disposito non nisi raro differenda est absolutio; cavendumque ne differatur, quando sine nota non potest differri Communio, aut sunt lucrandæ Indulgentiæ, quas alio tempore lucrari non posset; vel prævidetur periculum, ne cogatur eadem peccata alteri confiteri, quia hoc injustum illi onus imponeretur; vel denique si exponitur periculo moriendi sine absolutione, aut ad longum tempus non posset redire. Dixi 2. *Ad breve tempus*, puta ad 8. vel paulo plures dies; quia dilatio diuturna in pœnitente disposito non videtur usurpanda, cum incertum sit, an habeat perfectam contritionem, adeoque sit meriturus de condigno aliquid, & non incursurus periculum damnationis. Dixi 3. *Si pœnitens non sit omnino invitus*; si enim estet omnino invitus, & disponi non posset ut acquiesceret, absolvendus esset; quia alias exasperaretur, aut ad alium iret, vel intra breve tempus non rediret. Ceterum, cui differtur absolutio, excitandus est ut frequentet actus charitatis & contritionis, ut ita acquirat vires majores contra tentationes; ut postea melius dispositus ampliores gratias accipiat, quibus compensabitur gratiæ augmentum per absolutionem alias modo

accipiendæ. Imponenda quoque pœnitentia, & monendus necesse non esse, ut peccata modo exposita, si ad eumdem Confessarium redeat, denuo confiteatur: potest enim is Confessarius ipsum ab illis peccatis absolvere, etsi eorum distincte non recordaretur, modo pœnitentiam ante imposuerit convenientem, aliquamque adhuc imponat.

35. *Quando absolutio neganda?* Resp. II. Neganda est absolutio illi, quem constat esse indispositum. Unde neganda est primo, si pœnitens nolit restituere rem alienam, aut satisfacere pro damno illato in bonis, seu fortunæ, seu famæ, & honoris, cum possit. Quod addo, quia si modo non possit, satis est si habeat voluntatem id faciendi, spondeatque facturum se, occasionemque quæsiturum. 2. Si nolit offensam sibi illatam condonare, gravem minitetur vindictam, differre velit plus, quam par est, cum aliorum scandalo reconciliationem cum proximo, aut nolit præstare, quod tenetur sub mortali, v. g. stipendia dare famulis, tegere decenter pectus, quod cum scandalo nudum gerit. 3. Si retineat voluntatem duellandi suo tempore. 4. Si habeat notitiam alicujus, ex quo grave damnum imminet alteri, & nolit congruo modo efficere ut avertatur, v. g. si sciat, aliquem esse in periculo gravis seductionis, nec curare velit ut res manifestetur illis, ad quos spectat corrigere, vel impedire. Ratio horum est, quia tales sunt in actuali gravi peccato. 5. Per se loquendo, si pœnitens ignoret scitu necessaria necessitate medii, nec possit nunc instrui, ut, si ignoret mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, &c. Quia fides horum etiam mysteriorum probabiliter est fundamentum justificationis. Dixi primo, *Per se loquendo*, quia in articulo mortis absolvi posset sub conditione ignorans mysterium Sanctissimæ Trinitatis, si instrui non posset; probabile enim est, illud non esse scitu necessarium necessitate medii.

Di-

Dixi 2. *Nec possit instrui*, nam si possit, instruendus esset, aut, si tempus etiam non patitur, monendus ut curet se instrui: atqui hæc satis clara sunt. Major difficultas est circa consuetudinarios vel constitutos in occasione proxima. Sed de his infra P. 3. a n. 169.

Resp. III. Si Confessario constet ex confessione alterius commisisse certum peccatum pœnitentem, quod nec confessus sit, nec modo confiteatur, ut, si sponsus confiteatur se a Paschate confessum non esse, fornicatum autem esse cum sua sponsa post Dominicam in albis; hæc dein pariter dicat, se a Paschate confessam non esse, de fornicatione autem mentionem non faciat, potest Confessarius more consueto eam examinare circa ea, quæ ejusmodi interrogari solent, v. g. an ipsam nil ultra angat, an nihil contigerit post contracta sponsalia, quod conscientiam gravare possit, quia ex scientia illa etiam sacramentali non amisit Confessarius jus interrogandi modo ordinario; quod addo, quia ad examen extraordinarium illa uti non licet. At si sponsa negat peccatum illud, quid agendum sit Confessario, controvertunt AA. *Gobat* & alii putant, absolutionem dandam esse sub conditione, eo quod non minorem fidem mereatur, quam complex peccati, adeoque jus ad absolutionem habeat. Admittunt hoc alii, si sit ratio prudens excusandi, eo quod non recordetur forte illud factum esse post ultimam confessionem, aut ex ruditate sua putet inculpabiliter licere copulam, eo quod, uti quandoque dicunt, existimarit se jam coram Deo esse conjugem, &c. Si vero tale judicium formari non possit, sitque Confessarius certus, quod peccatum illud clavibus non fuerit subjectum, recte tenent absolvendam non esse, sed prævia admonitione ordinaria de matrimonio digne ineundo, utpote ex quo pendet pars magna felicitatis in eo exspectandæ, deque diligenti præparatione, dicto, *Misereatur*,

36. *Quid, si pænitens taceat peccatum grave, de quo constat Confessario ex complicis confessione?*

tur,

tur, sine absolutione, insciam non datam esse, dimittendum, ne Sacramentum administretur invalide; tum quia potius accusanti se cum sui confusione, quam neganti forte ex pudore credendum est; tum quia Confessarius dando absolutionem, ei nihil prodest, nullumque ei commodum nec confusio inde oritur. Quod si Confessarius extra Confessionem ab aliis audivisset, peccatum illud post ultimam Confessionem, v. g. ante duos dies commissum esse, potius credendum esset pœnitenti. Si tamen esset longe major auctoritas testantis, & circumstantiæ prudenter moverent contra pœnitentem, absolvendus non esset saltem absolute. *La Croix N.* 1969. *& N.* 1753. *Illsung N.* 128.

37. *Si negetur absolutio, fiat id suaviter.* Resp. IV. Quando alicui neganda est absolutio, fiat id suaviter, ostendaturque id ad pœnitentis & Confessarii salutem necessarium; huic majorem potestatem non esse, quam contulerit Deus; sique attentaret absolvere, nihil acturum; & ne terreatur pœnitens, non imponatur pœnitentia nimis rigida, sed pars suggeratur sub consilio, dicatque Confessarius se pro eo oraturum; moneat insuper, ut, si ad alium eat, eadem peccata iterum esse confitenda, nec ad Communionem modo accedendum esse, &c.

CAPUT IX.

Quomodo pœnitentes sint generatim dirigendi ad vitam devotam, aut vere Christianam?

38. *Quæ sit vita vere devota?* RESP. I. Quisque pro suo statu & conditione, & capacitate poterit instrui præmissis, quæ dixi Num. 8. Quod vita vere devota non consistat in longis precibus vocalibus, non in diuturna mora in templis, non in pietate sensibili, ut quidem mulieres sibi

male

male persuadent; sed in eo, quod quis declinet a malo, statuique suo convenienter vivat, & agat sibi agenda ex intentione recta, seu motivo supernaturali virtutis, maxime charitatis erga Deum & proximum, pro cynosura voluntatis suæ habens voluntatem Dei, qui bonorum nostrorum non indiget. Quæ enim devotio, si materfamilias tempore quo liberis, quo rei domesticæ invigilandum, multas horas Sacris audiendis insumeret; si filia dum domi laborandum, dum parentes in victu aliisque necessariis comparandis adjuvandi sunt, templa visitaret, vel domi sacræ lectioni, aut orationi vacaret? Deus, magnus Paterfamilias, officia distribuit, cuique statum & functiones assignat; huic sanctæ voluntati qui ex majore charitate & reverentia magis se conformat, vitam magis devotam ducit; neque opus bonum est, nisi conforme voluntati divinæ. Certe Christus Dominus non placuit minus Patri, vitam privatam 30. annis agens; laborans in officina Nutritii sui, & Matri obsequens, quam postea regnum Dei prædicans, & patrans miracula.

Ingerenda magna æstimatio finis ultimi.

Resp. II. Ut magnam concipiat æstimationem finis sui, ad quem creatus est. Creatus est homo, ut in hac mortali vita sua Dominum Deum suum laudet ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. Reliqua autem sita super terram creata sunt hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suæ juvent. Hæc alte imprimenda sunt pœnitentibus, excitando eos ad fervens studium finis sui consequendi. Quidquid homo agit, quidquid patitur, quod eo non tendit, deperditis annumerandum est. Fine illo qui excidit, melius esset illi si natus non esset. Exponendum quoque, quam multiplicia, quam facilia, quam jucunda, quam excellentia dederit Deus homini media ad finem suum, immo ordinaverit, ut omnia seu prospera, seu adver- 39.

adversa diligentibus Deum cooperentur in bonum. Ac proinde inexcusabilis fit homo, qui divitias bonitatis Dei contemnit, vel iis abutitur. Denique ut conetur ad omnimodam indifferentiam, suscipiendo de manu Dei non minus lubenti & grato animo adversa, quam prospera; quia nescit homo, quid ad finem suum magis conducat, valetudo, an invaletudo; divitiæ, an paupertas; honor, an neglectus & contemptus.

40. *Ingens horror peccati.* Resp. III. Ut concipiat magnum odium & horrorem omnis peccati, in primis mortalis, considerando ejus malitiam; quæ, etsi transcendat humanum intellectum, magis tamen apparebit, si considerentur primo pœnæ, quibus Deus, justus vindex, unicum mortale in Angelis lapsis & Adamo excepit, & punit modo mortalia in æternum in inferno. 2. Satisfactio quam exegit ab Unigenito suo, qui peccata nostra in se suscepit eluenda. Neque enim satis habuit, quod unum obsequium, etsi infiniti valoris, exhiberet, sed ut nasceretur pauper, ab hominibus desertus, viveret ut egenus & quasi ignotus, toleraret opprobria, contemptum, calumnias, immo ignominiosam mortem crucis inter latrones subiret. 3. Quis per peccatum mortale offendatur, inhonoretur, contemnatur; a quo, & ob quid, in quibus circumstantiis, nempe in conspectu suo, eo tempore, dum homini dat vitam ex amore salutis ejus, eum fovet & sustentat, ut supra exposui sub n. 12.

41. *Suadenda consideratio vanitatis mundi & constantiæ æternorũ.* Resp. IV. Ut quandoque consideret inconstantiam omnium, quæ mundus offert, brevitatem vitæ, mortem certam, horam incertam, æternitatem deinde futuram felicem, vel infelicem: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Nihil proderit divitem fuisse, nihil fuisse in deliciis, honoribus, nihil fuisse Principem, Regem, totius mundi Monarcham.

Hac

Hac ratione consequetur amorem spiritualis paupertatis, & animus a terrenis avelletur.

Resp. V. Suggerantur illi media generalia consequendæ virtutis, quorum primum est magna virtutis æstimatio: virtus enim substantia est vitæ Christianæ, & rationalis naturæ dignitas, decor, pulchritudo, ornatus, & nobilitas. Hæc si desit, nil conferunt cetera; si adsit, hominem evehit ad Dei similitudinem; constituit enim eum prudentem, justum, fortem, temperantem, mitem, patientem, benignum, misericordem, aliisque perfectionibus exornat; ex quibus pulchra quædam Dei similitudo, & perfectionum ejus imitatio consurgit, immo filius fit Dei, filius autem refert patrem. *Similitudo Dei in nobis*, inquit S. Augustinus de Creatione, *in moribus cernenda est, ut, sicut Deus, qui hominem creavit ad imaginem & similitudinem suam, Charitas est, bonus, & justus, & patiens, & mitis, & misericors, & cetera virtutum insignia, quæ de Deo leguntur: ita homo creatus est ut haberet charitatem, ut bonus, ut justus, & mitis, & patiens, & mundus, & misericors foret; quas virtutes, quanto plus habet homo in seipso, tanto propinquior est Deo, & majorem sui Conditoris gerit similitudinem. Si vero, quod absit, aliquis per devia vitiorum & divortia criminum ab hac nobilissima sui Conditoris similitudine degenerans aberret, tunc fit de eo, quod scriptum est: Homo cum in honore esset, non intellexit.* Quantam autem similitudo Dei homini conferat excellentiam, quis explicet? *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes.* Vis esse ex iis? Sectare virtutem. *Secundum generale medium* est ardens, forte & efficax virtutis desiderium. Ardens quidem, ut quis ad eam feratur instar famelici ad cibum, instar sitientis ad potum: *Beati enim, qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Forte autem, ut animum contra difficultates erigat,

42. Suggerendam media consequendæ virtutis. Primum virtutis æstimatio.

Secundum ardens & forte ejusdem desiderium.

gat, & virtutis studio firmet: has enim qui horrent, virtutem solidam non consequentur. *Volunt*, inquit *Sanctus Gregorius L. 7. Moral. Cap. 12. esse humiles, sed sine despectu; esse contenti propriis, sed sine necessitate; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse pœnitentes, sed sine contumeliis: & cum adipisci virtutem quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud est, quam exhibere belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in urbibus de bello concupiscunt?* Denique desiderium efficax, quod ad praxim operationis externæ perveniat, contemptisque hominum dicteriis, & propriis commoditatibus, sectetur non consolationes spirituales neglecta virtutis substantia, instar pueri; qui butyrum pani allitum delingit, & panem negligit; sed virtutes constantes & firmas, quæ sibi in omni loco, tempore, & occasione constent. *Non ad mensuram*, inquit Sanctus Hieronymus *in Psal. 80. dat Deus, sed secundum dispositionem cordis nostri*. *Tertium* generale medium est frequens & humilis oratio, seu petitio virtutis; est enim virtus eximium Dei donum, quod sine oratione non obtinetur; sed vult Deus illius auctor agnosci, vult quadam importunitate cogi, ut discamus donum illud agnoscere, fontem adorare, & gratos nos exhibere; id quod fiet, cum magna nostra, non Dei utilitate. Et hinc toties nos adhortatur Deus ad orationem: *Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis*. Matth. 7. *Oportet semper orare, & numquam deficere*. Lucæ 18. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Debet autem oratio fieri cum fiducia, ut in nomine Christi, innitendo illius meritis, non nostris, & cum humilitate, referendo quod petitur ad gloriam Dei, ut glorificetur Pater in Filio; alias enim non petitur in nomine Christi. Demum modus petendi virtutem tri-

Tertium constans oratio.

plex

plex est; peti enim potest vel virtus in communi, exemplo Davidis *Psalm* 118. orantis: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me*; vel virtus in particulari in hac oratione, hac septimana, hoc mense toto una, alia alia: qui modus utilior est priore; vel ita ut iis consideratis, quæ ad virtutem, v. g. humilitatem, movent, exerceas illius actus, cum magno proficiendi desiderio. Ut vero oratio inflammetur magis, expedit, Deo proponere modo suam indigentiam, paupertatem, virtutis necessitatem, pericula, &c. modo charitatem, qua nos Deus ab æterno dilexit; misericordiam, qua revocavit aberrantes; longanimitatem, & patientiam, qua rebelles toleravit; modo labores, sudores, opprobria, cruciatus, mortem Christi; & hæc eadem proponi possunt Christo, & Beatissimæ Virgini. *Quartum* medium est, constans in virtute progrediendi conatus; sic enim crescit virtutis æstimatio, desiderium & habitus, qui actibus frequentatis augetur: atque conatus ille ad profectum necessarius est, ita ut non progredi in virtute sit regredi, ut Patres & spirituales Magistri docent. Cujus ratio est, quia tam parum cor nostrum sine amore esse potest, quam ignis sine calore; amor autem vel ordinatus est, & cælestis, vel inordinatus, ut plurimum terrenus: si terrenus, deficimus; si cælestis, progredimur: at cælestis non erit, nisi constanter pugnemus contra amorem proprium, naturamque vitiatam, & conemur progredi. *Quintum* medium est, operari ex memoria præsentis Dei, & omnia etiam secreta cordis nostri intuentis: *Ambula coram me, & esto perfectus*, id est, eris, ut exponitur. *Sextum* medium generale est, Christum, qui via, veritas, & vita est, sibi tamquam Magistrum & Exemplar virtutum proponere; & hac se cogitatione

Quartũ, constans proficiendi conatus.

Quintũ, ambulare corã Deo.

Sextum, Christum sibi proponere exemplar.

ne animare: Vita nostra militia est super terram, ut Job testatur, Dux & Imperator noster Christus; huic nomen dedi, hujus vexillum sequor, ipse laboravit, passus est sitim, famem, frigus, æstum, opprobria, contumelias, humiliavit se usque ad mortem crucis, ut me redimeret, & ita intraret in gloriam suam; invitat me ad illam, ast non vult me in partem illius venire, nisi cooperer, & compatiar. Non est servus major domino, nec discipulus supra magistrum; pudere deberet militem, si commodius & delicatius haberi vellet, quam Dux suus, Rex & Imperator; & nihilominus socius esse vellet regni & gloriæ.

43. *Exercere frequenter fidem, spem, charitatem.* Resp. VI. Doceatur sedulo exercere frequenter fidem, spem & charitatem; fidem quidem cum magna humilitate & reverentia, suum intellectum subjiciendo & captivando in obsequium supremæ veritatis circa Dei perfectiones, mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, Sacramenti Eucharistiæ, circa præmia justis, & supplicia æterna peccatoribus præparata. Spem autem cum magno desiderio Beatitudinis, cum magna fiducia in omnipotentia, benignitate, misericordia, & fidelitate promittentis Dei, meritisque Christi, quæ voluit esse nostra. Charitatem denique, gaudendo de infinitis Dei perfectionibus, se illi offerendo; optando ut illum omnes propter se ament; invitando omnes creaturas ad illum laudandum, & ei benedicendum; gratulando de gloria extrinseca in cælo & in terra; exultando de ejus cultu & honore; dolendo quod tot illum negligant, offendant, contemnant, & nos offenderimus; deplorando nostram & aliorum cæcitatem & tepiditatem in ejus agnitione, æstimatione, & obsequio.

44. *Et humilitatem.* Resp. VII. Inducatur ut se constanter exerceat in humilitate cordis, oris, & operis; atque ad hanc virtutem consequendam sæpe recogitet: Quid, quantusque est Deus, & quid ego?

Deus æternus, immensus, omniscius, sapientissimus, omnipotens, omne bonum: ego ante annos non multos fui nihil, jam ex me nihil sum, & quid per peccata? Post paucos annos quid ero, & quid in æternitate? Ut sic se humiliet sub omnipotenti manu Dei, ad eum in omnibus recurrat, suam agnoscens cæcitatem, paupertatem, impotentiam ad omne bonum, sibi attribuat solos defectus, Deo vero omne bonum, ut erga proximum sit benignus, misericors, omnium se postremum reputando. Est enim humilitas fundamentum omnium virtutum, sine qua nemo aliquem perfectionis gradum attigit: Deus namque superbis resistit, & humilibus dat gratiam; quia humiles Deo, qui gloriam suam non vult, nec potest dare alteri, omnia dona in acceptis referunt; superbi autem fures sunt in domo Dei, & raptores gloriæ ejus.

Resp. VIII. Ut in omnibus recta procedat intentione, spectans unice beneplacitum & gloriam Dei; ideoque diligenter invigilet suis affectibus & usui sensuum, eos ad examen sæpe revocet: alias enim amor proprius intentionem aut evertet, aut labefactabat; quia *sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Genes. 8.* 45. *Omnia dirigat agere recta intentione.*

Resp. IX. Ut præter examen generale de actibus totius diei vespere instituendum, familiare sibi habeat examen particulare, cujus praxis hæc est: Suscipitur ad certum tempus certa virtus exercenda per diem, vel vitium, aut passio mortificanda: mane fit propositum, prævidentur occasiones, per diem exercentur actus illius virtutis, aut mortificatio passionis, augendo indies numerum in bono, & minuendo in malo; vesperi initur ratio, elicitur dolor de lapsibus, vel negligentiis; examinatur profectus, major ne sit, an minor? Statuitur pro die altero. Pro quo primo assumenda vir- 46. *Doceatur examen generale, & particulare.*

tus

tus magis necessaria exercenda, aut passio prædominans imminuenda.

47. *Ut confessio & communio sit devota, & frequens.* Resp. X. Commendanda exacta Confessio & Communio frequens, devota. Ut Confessio sit devota, non tantum fiat præmisso examine, humilique & sincera peccatorum confessione, cum dolore vero & efficaci emendationis proposito; sed etiam media ad id indagando, occasiones eorum vitare statuendo. Suscipiatur absolutio animo demisso gratoque, tamquam a Christo; pro accepta postea agantur gratiæ, & conceptum antea propositum ei offeratur gratiis suis confirmandum: *Confirma hoc Deus in nobis, quod operatus es in nobis*. Ut Communio sit vere devota, debet primo homo mundus esse non ab omni solum mortali, sed veniali etiam peccato, omni ordinato affectui proinde omnes animi affectus bene sunt excutiendi. Ex fine intento agnoscentur. 2. Debet excitari ardens desiderium Christum suscipiendi, considerando suam indigentiam, cæcitatem, animi morbos, impotentiam, pericula; Christi autem divitias, potentiam, amorem, quo nobiscum esse desiderat, & nos ditare. *Qui sitit, veniat ad me. Joann. 7. Sitienti dabo de fonte vitæ. Apocal. 7. Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.* 3. Profunde se humiliare, considerando ex una parte suum nihilum, indignitatem maxime per peccata & ingratitudinem contractam; ex altera, Christi dignitatem. 4. Suscipere debet Christum viva fide, magna cum fiducia, ardenti amore & desiderio se illi perfecte confirmandi in agendo & patiendo, magna cum humilitate, attentione & reverentia. 5. Suscepto sponso animæ suæ gratias humiles agere, quod fit subjiciendo illi intellectum per fidem, eum adorando, amando, optando ut ab omnibus ametur, glorificetur; se offerendo, compellando eum jam Regem suum, jam sponsum, &c. petendo gratiam uberem, & per diem mortificationem subeundo aliquam, legendo sacrum librum, vitando vanam conversationem, &c.

CAPUT X.

An, quando, quomodo errores & defectus in sacro tribunali a Confessario admissi sint corrigendi?

Resp. I. Si Confessarius pœnitentem dispositum, peccati mortalis reum, ex oblivione, distractione, aut errore, vel omnino non aut invalide absolvit, tenetur eum dein absolvere, vel statim, si adhuc est moraliter præsens, secundum dicta n. 31. vel postea, si eum noverit præsentemque habeat post aliquot horas, immo etiam post diem, & juxta *Less. in Auct. V. Confessio, Casu* 3. aliosque multos cum *Gobat, Cardena in 2. Crisi Dissert. 2. n. 88.* post duos dies: quia cum Sacramentum Pœnitentiæ sit institutum per modum judicii, diutius durat moralis conjunctio inter partes, quam in reliquis plerisque Sacramentis. Hoc tamen casu, quo tantum temporis intercederet, si commode fieri posset, prius monendus esset, & renovandus dolor: si autem moneri non posset, foret forma absolutionis in ipsum prolata, absolvendus saltem sub conditione, præsertim si prudens esset timor, ne dolor sit retractatus. Ratio est, quia jus habet ad absolutionem, cujus etiam accipiendæ voluntatem retinet. Quod si dilata diutius occasione eum conveniendi, rediret confessurus eidem Confessario, dici ei posset, numquid accusas te & doles de omnibus peccatis totius vitæ, & annuenti dari absolutio, modo Confessarius adhuc in confuso memor esset status prioris: si autem nec rediret, nec reduci, nec post longum tempus occurrens moneri posset sine notabili offensione & scandalo pœnitentis, aut notabili confusione vel detrimento honoris & famæ Confessarii, (sicut plerumque fieri nequit, si tempus paulo longius intercesserit) commendet Confessa-

48. *Si reum mortalis dispositum non absolvit, quid agendum.*

rius rem Deo, & culpam, si admisit, expiet. Neque enim tenetur Confessarius cum scandalo, vel gravi damno suo integritatem Confessionis materialem procurare, cum & ipse pœnitens ex gravi causa ab ea excusetur. Hæc intelligenda sunt, si pœnitens prudenter credatur iterum confessurus ante mortem, & ita a priori peccato saltem indirecte absolvendus: si enim putaretur prius mortis subiturus periculum, salus illius esset damno famæ propriæ præferenda. Ceterum, secundum *Aversa & Burghaber Cent.* 2. *Casu* 60. confusio sola & infamia apud pœnitentem subeunda excusat Confessarium, dummodo prudenter putet, pœnitentem adhuc semel confessurum. Dixi in responsione, *Pœnitentem peccati mortalis reum*: nam si non nisi venialia habuisset, etsi absolvendus esset statim, dum adhuc est moraliter præsens, si tamen jam abivisset, facilius dissimulare posset; nisi forte esset prudens timor, ne sit in statu mortalis, & non amplius intra longum tempus confessurus.

49. *Quid si neglexit interrogare numerum & speciem?* Resp. II. Si Confessarius neglexit interrogare pœnitentem de specie & numero peccatorum gravium, potest & debet pœnitentem adhuc in sede confessionali flectentem interrogare etiam post datam absolutionem, & monere de obligationibus de quibus forte monitus non est. Nec opus est ad id veniam petere, quia judicium adhuc integraliter durat. Ita communis. Si autem pœnitens jam discesserit, regulariter ad nihil tenetur Confessarius, nisi forte ad pœnitentiam si culpa intervenerit; quia admonitio extra Confessionem vix fiet sine gravi confusione pœnitentis & Confessarii, ipseque non concurrit positive ad omissionem. Si tamen rediret idem pœnitens ad Confessionem apud eumdem Confessarium deponendam, monendus esset de defectu commisso: alias enim Confessio non fieret omnium, ad quæ confitenda tenetur pœnitens. Dixi, *Si neglexit interrogare*: nam si

posi-

positive falso dixisset, non esse opus horum peccatorum speciem vel numerum exponere, monendus esset, si sine gravi scandalo & detrimento pœnitentis & Confessarii monere posset; quia alias Confessarius pergeret esse causa, cur grave præceptum violaretur de omnibus confitendis quoad speciem & numerum. Verum quia magna ordinarie est confusio Confessarii, si delictum suum aut ignorantiam manifestet pœnitenti, cum homines, lingua facile labiles, proni sint ad talia aliis aperienda, videtur Confessarius ab hoc onere sæpe liberari, si nempe pœnitens non redeat ad ipsum. Docet enim *Lugo de pœnit. d. 22. a n. 57.* cum *Suarez & Vasquez*, non teneri, per se loquendo, monere pœnitentem ad corrigendum errorem etiam culpabiliter admissum, si prudenter timeatur scandalum aut detrimentum grave proprium, vel alienum, aut gravis offensa pœnitentis. Si tamen monendus esset, putant Suarez & Arriaga, extra Confessionem, non petita etiam venia, posse dedoceri errorem, dicendo: Si tale vel tale peccatum admitteretur, hoc vel illo modo confitendum esse. Melius est petere veniam, si extra Confessionem corrigendus esset.

Resp. III. Si Confessarius pure neglexerit monere pœnitentem de restitutione facienda, & ideo hanc ille omittat, non tenetur propterea Confessarius ad compensationem damni, etsi ex ignorantia vincibili, & cum culpa gravi processisset; quia ex justitia erga tertium non tenetur monere, aut ejus damnum impedire, sed ad summum ex charitate; ex qua etiam tenetur errorem corrigere, si commode possit; si autem non possit, rem Deo commendet. *Layman l. 5. tract. 6. cap. 9.* Excipit La-Croix, nisi ideo tacuerit, ut pœnitens non restitueret; eo quod tertius jus habeat, ne per dolum impediatur ab eo, quod ipsi debetur ex justitia. At silentium Confessarii vel est causa per se damni, vel non est; si primum, tenetur, 50.

Quid si neglexit monere de restitutione facienda?

etsi fraus non adfuerit; si non est, intentio interna non inducit obligationem compensandi, nisi actio externa sit causa efficax damni. Aliud foret, si intentio illa ita silentium qualificasset, ut pœnitens illo fuerit motus ad non restituendum: unde alii dicunt, teneri Confessarium in defectu pœnitentis, si hic silentio Confessarii motus fuerit ad non restituendum. At Stotz & alii negant, silentium Confessarii ordinarie esse tacitam approbationem juris retinendi, cum pœnitens nesciat, an non ex oblivione, aut justa de causa taceat.

51. *Quid si obligavit ad restitutionem, aut deobligavit per errorem inculpabilem?*

Resp. IV. Si Confessarius bona fide obliget pœnitentem ad restituendum dum non tenetur, aut deobliget dum tenetur, per se loquendo non obligatur ad compensanda damna; cognito tamen errore tenetur ex charitate, & probabiliter etiam ex justitia monere pœnitentem. Ratio primæ partis est, quia ubi nec culpa Theologica est, nec res aliqua etiam æquivalenter, illi in conscientia non est obligatio restituendi, nisi forte specialis contractus intervenerit, qualis hic non intervenit; sed sicut suscipientes officium advocati, medici, consiliarii non intendunt se obligare, nisi ad diligentiam communem, cavendumque dolum & culpam latam, quæ conjuncta sit cum culpa Theologica gravi, neque nisi ex hac in foro interno tenentur de damnis. Sic nec Confessarius obligavit se pœnitenti gravius, nec tenetur de damno sine culpa ipsius secuto. Ratio secundæ partis est, quia charitas postulat ut ubi commode possum, impediam damnum proximi. Ratio tertiæ partis est, quia tenetur impedire, ne actio sua moraliter perseverans pergat continuare damnum, sicut si sine culpa alium infamassem graviter, vel alterius domum incendissem, tenerer ex justitia resarcire famam, & extinguere, si possum, incendium. Dixi, *probabiliter*, quia *Navarr.* & *Sanch.* docent quoque probabiliter teneri tantum ex charitate,

ritate; quando sine magno incommodo monere potest, quia nec ex culpa antecedente, nec ex re aliena, nec jam ex officio tenetur monere, cum officium cesset: sicut, inquiunt, si a fure accepissem dono vas pretiosum, & bona fide donassem alteri, postea resciens fuisse furtivum, non tenerer ex justitia domino dicere. Prima sententia probabilior est, nec obstat exemplum: nam si donatio mea esset causa cur dominus vas non reciperet, teneret revocare illam, vel domino dicere ex justitia. Non tenetur tamen Confessarius, ubi, prout potuit, pœnitentem monuit, ipse restituere ex ratione data.

Resp. V. Si autem Confessarius ex ignorantia graviter culpabili, vel ex malitia positive deobligavit, tenetur ex justitia curare ut damna resarciantur, aut ipse resarcire, quia fuit causa illorum injusta. Procedit hoc etiam de Confessario Religioso, qui tamen, si non haberet, nec habere posset unde restitueret sine gravi sua infamia, vel incommodo, non teneretur ipse in defectu pœnitentis, vel alterius; quia irrationabiliter ab ipso exigeretur: si autem facile habere posset a superiore vel alio petendo ad usum pium, teneretur petere, & in defectu alterius restituere ob rationem data. 52. *Quid si per errorem culpabilem, vel malitiam?*

Resp. VI. Si temere, vel necdum adhibitâ a pœnitente diligentia pro inveniendo domino dixit ut res daretur pauperibus, manet obligatio inquirendi dominum, & invento restituendi; ad quod primo loco tenetur pœnitens, & in hujus defectu Confessarius. Ex quibus patet, quam caute procedendum Confessario in materia restitutionis, ut nempe ubi certus non est de obligatione, vel immunitate ab illa, non statim resolvat, sed moram petat rem expendendi, vel alios consulendi, dicatque pœnitenti: Numquid paratus es præstare omne id, ad quod intelliges te obligari? Si annuat, dicat, rem istam expendam, redi post tempus ad me; aut si nequeas, adi alium virum doctum, & casum expone. 53. *Quid si rem restituendam jussit dari pauperibus?*

54\. *An pro errore corrigendo necesse sit petere licentiam a pœnitente?*

Resp. VII. Si Confessarius dixerit valere contractum v. g. matrimonii, cum sit invalidus, aut non valere certum votum, cum valeat, tenetur monere pœnitentem, si possit; id quod fieri posset per alium, si ista non cadant sub sigillum, nisi tamen constet, pœnitentem nolle ista revelari alteri: non cadunt autem sub sigillum, si non sint manifestata ad peccatum explicandum. *La Croix l. 9. p. 2. n. 173.* An autem pro ejusmodi erroribus corrigendis Confessarius prius teneatur a pœnitente legitime obtinere veniam loquendi de auditis iis in Confessione, de quibus loqui ad corrigendum errorem necesse est, aut possit eum monere non petita licentia, non convenit inter TT. Communior tenet, si pœnitens sit absolutus, ad loquendum cum illo extra Confessionem de iis quæ sub sigillum cadunt, necesse esse ut ab ipso legitime sit obtenta venia, quia Sacramenti jam completum est; secus si vere absolutus non esset: dicere enim illi, eum absolutum non esse, non est revelare peccatum. Contra *Suar. Tillinc. Hurtado, Merac. Laym. & alii* probabiliter docent, opus non esse petere veniam; quia, inquit *Suar. d. 33. §. 5. n. 3. de pœnit.* tunc proprie non loquitur extra Confessionem, sed supplet & perficit eam, quæ ante inchoata est. Nihilominus melius consulitur reverentiæ Sacramenti si petatur venia, quam pœnitens tenetur dare tum ad corrigendum defectum & satisfaciendum obligationi suæ, tum quando malum communitatis, proximi, vel proprium, quod tenetur, & non potest avertere pœnitens, exigit dari licentiam utendi notitia ex Confessione accepta. Hinc si pœnitens eam negaret, absolvi non potest, quia foret in actuali peccato mortali. Declaranda illi esset obligatio communis in hoc genere, & jubendus consulere virum alium doctum. Vide *La-Croix l. 6. p. 2. n. 1774. & n. 1958.*

55\. *Post Confessiones*

Resp. VIII. Ut quicumque defectus, qui in Confessione quandoque intercurrunt, facilius

& exa-

& exactius corrigantur, expedit ut Confessarius, sicut suasit S. Franciscus Xaverius, post exceptas Confessiones, expendat quomodo munere suo sit functus, quomodo cum his illisve pœnitentibus processerit, quomodo instruxerit, examinaverit, quomodo ad dolorem excitaverit, dubia resolverit, quomodo melius agere potuisset, & deinceps possit; si dubitet de sua resolutione vel judicio circa peccatum, consulat libros aut alios viros doctos & expertos: sic enim fiet, ut expeditius deinceps exactiusque, & magno cum fructu officio suo fungatur.

Exceptas reflectat Confessarius, quomodo processerit?

NEO-CONFESSARIUS PRACTICE INSTRUCTUS;

PARS SECUNDA.

De iis, quæ Confessario observanda sunt tum in genere circa peccata magis obvia, tum in specie circa personas ætate, sexu, statu, vel conditione diversas.

CAPUT PRIMUM.

Quæ in Confessione sint Confessario observanda in genere circa peccata magis obvia, & quæ media contra ea suggerenda?

PEccata magis obvia sunt peccata capitalia, & quæ ex iis ordinarie magis consequuntur; sunt autem peccata capitalia septem, nempe: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia. Dicuntur capitalia, quia ex iis velut capitibus reliqua oriuntur.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid de superbia & præcipuis ejus partibus & remediis observandum?

36. *Quid sit superbia?* RESP. I. Superbia est amor inordinatus propriæ excellentiæ, puta personæ. Dixi, *inordinatus*, quia ordinate appetere excellentiam in se, malum non est; sed potest esse actus honestus, si debito modo & fine fiat. Consistit autem superbiæ inordinatio in eo, quod quis personæ suæ excellentiam vel dignitatem majorem apprehendat, quam ei insit; sicque erga illam ita apprehensam afficiatur, majorem apprehendat

quam

quam ei insit, sicque erga illam ita apprehensam afficiatur, majorem se æstimando, quam re-ipsa æstimari mereatur, atque ita mente & affectu supra se eat. Hinc superbus se inflare & tumefacere dicitur, quia apprehensione & affectu majore, quam par sit, se quodamodo facit majorem.

Resp. II. Superbia alia est consummata & perfecta, alia non consummata & imperfecta. Consummata est, qua quis ita se animo effert, ut Deo & superioribus subesse recuset, volens arbitratu suo vivere; aut ita se gerit, quasi a Deo sua non haberet, aut essent suæ naturæ debita. Dixi, *ita se gerit*, quia non requiritur ut ita judicet, (hoc enim esset hæreticum) sed sufficit quod dona Dei apprehendat tamquam sua, & non cogitans unde ista habeat, ita se gerat, ac si a se haberet; id quod fieri potest: sic pauper, fruens alienis, potest se efferre non secus, ac si propriis frueretur. Hæc superbia, præsertim primo modo accepta, est diabolica, & peccatum gravissimum, quia formalis aversio a Deo. Superbia non consummata est, qua quis, salva ad Deum & superiores subjectione, secluso que illo se gerendi modo, suam dignitatem apprehendit, æstimat, & amat supra id quod illi convenit, vel inest. Dicitur *imperfecta*, non quod proprie dicta superbia non sit, sed quod ad supremum superbiæ gradum non ascendat, primusque sit superbiæ actus, qui, per se loquendo, veniale tantum est peccatum; quia ex recepta regula, quando objectum est de se indifferens, adeoque honeste appetibile, ut sunt excellentia, dignitas, honor, laus, divitiæ, cibus, potus, appetitus illius inordinatus, per se loquendo, non excedit culpam venialem. Dixi, *per se loquendo*, quia per accidens fieri potest mortale, uti alia venialia, ratione scandali, finis adjuncti, &c. 57. *Et quotuplex?*

Resp. III. Filiæ superbiæ quasi primogenitæ sunt, ambitio, præsumptio, cenodoxia seu 58. *Filiæ superbiæ.*

vana gloria. Ambitio est inordinatus appetitus honoris, vel dignitatis, ut si appetatur honor non conveniens appetenti, vel meritis major: v. grat. Si quis honorari cupiat ob doctrinam quam non habet, vel ob divitias, vel velit ad officium elevari, quo indignus est. Præsumptio, ut hic accipitur, est appetitus aggrediendi aliquid vires, & facultatem excedens. Cenodoxia, seu vana gloria, sic dicta quod fundamento debito careat, est appetitus inordinatus humanæ æstimationis & laudis, ut si quis majorem de se opinionem & famam appetat, quam mereatur, aut ex rebus indifferentibus, ut sunt divitiæ, pulchritudo, &c. quæ de se laudem non merentur, vel de simulata doctrina & virtute. Si talis æstimatio & laus quæratur verbis, dicitur jactantia; si factis veris, inventio novitatum; ut si quis ob peregrinas vestes novumque modum videri vellet magnus, & laudari; si quæratur factis falsis, dicitur hypocrisis, ut si quis aliquid faciat, ut videatur bonus, cum non sit. Hæc ordinarie sunt peccata tantum venialia; fiunt tamen quandoque mortalia ex circumstantiis & effectu, ut si quis ambiret officium, ad quod scientiam vel idoneitatem non haberet, sicque prævi[illegible]et gravia damna aliis inde consecutura. [illegible]ulier quæreret luxum in vestibus cum gravi detrimento familiæ, aut ære alieno, cui dein solvendo non esset: si puella comeret se ut appareat pulchra, sicque alios alliciat ad amorem turpem; si, ne videretur scrupulosa, accederet nocturnas conventiones, prævidens lapsum in gravia probabiliter futurum. Si jactaret se de peccato gravi, si communicaret indigne, ne videretur aliis minus pia, &c.

59. *Alii superbiæ partus.* Resp. IV. Sunt & alii superbiæ mali partus; ut pertinacia, discordia, temeraria judicia, immo omne peccatum. Pertinacia est inordinata adhæsio suæ sententiæ. Discordia, ut hic sumitur, est contrarietas voluntatum circa bonum

Dei,

Dei vel proximi, seu circa bonum; quod quis tenetur velle. Dissensio est inordinata contrarietas opinionum, ut si quis dissentiat ab alio in objecto, circa quod deberet consentire, vel excedat in modo dissentiendi. Contentio est pugna verbalis inordinata circa veritatem aliquam, ut si quis se opponat animo contradicendi veritati agnitæ. Rixa est inordinata invasio privati a privato more canis ex vehementi ira procedens. Contumelia est injusta læsio honoris, ut cum quis alicui aliquid objicit in faciem, animo eum inhonorandi, vel cum dedecore injusto. Detractio est injusta læsio famæ alienæ, plerumque occulta. Temerarium judicium est firma sententia de proximi labe sine fundamento sufficienti. Hæc sunt peccata gravia, vel levia pro diversitate materiæ, vel modi.

Nativitas pessimæ hujus turbæ hæc est: Primo apprehendit quis excellentiam suam non attendendo suas imperfectiones, indigentiam, paupertatem, & dependentiam a Deo, ex quo fit, ut excellentia sua appareat illi major, quam reipsa sit; quia bonum pure ut tale apprehensum, apparet longe excellentius, quam apprehensum ut mixtum imperfectionibus. Ex hac apprehensione nascitur amor suæ excellentiæ, & æstimatio justo major. Ex his deinde fit, ut æstimet se idoneum rebus magnis, & mensuram suam excedentibus. Hinc appetit dignitates, aliaque, quæ ad excellentiæ commendationem pertinent, tamquam sibi convenientia; cupit ab aliis æstimari, honorari, laudari; hoc si non assequatur, dolet, irascitur: si cum aliis se conferat, censet se illis digniorem, aptiorem, potentiorem, ideoque illos vilipendit, contemnit; parvi facit quæ ab aliis magni quæ a se fiunt, oculos ad suos defectus clausos, ad alienos apertos habens; si alios videat sibi præferri, invidet, &c. Atque ex his patet, quomodo examinandus qui se de aliquo superbiæ actu accusat, interrogandus nempe, circa quod objectum, eo-

60. Quomodo nascatur superbia cum suis asseclis, seu pedissequis?

ram quibus v. grat. se jactaverit, dissenserit, contenderit, quod officium ambiverit, quod objecerit, de proximo dixerit, &c.

Remedia contra superbiam.

61. Remedia contra superbiã. PRimo, Constanter se dare exercitio humilitatis, secundum dicta num. 44. & animo volvere illud, *Quid superbis terra & cinis?* Vel illud Apostoli: *Quid habes quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris?* Vel illud: *Gloriam meam alteri non dabo.* 2. Considerare suam originem. Natus es in sordibus, nutriris in sordibus, morieris in sordibus. Tu ergo quis & quid eris? Corpus esca vermium, & anima ubi in æternitate? Tu quis es? Ex te nihil. Quid potes? Ex te nihil, nihil in naturalibus, minus in supernaturalibus; cadere potes, ruere in interitum, Deo te opponere, unicum tuum bonum deserere; at sine supernaturali Dei auxilio resurgere non potes, bonum tuum nec amare, nec quærere. Similis es infanti, qui in sordibus computresceret in cunis, nisi mater succurreret; ex te nec cogitare, nec petere tibi necessaria potes. Omni momento indiges Dei te sustinentis manu, alias relapsurus in nihilum; in omnibus ejus auxilio eges: nec ista indigentia te Deus liberare potest per omnipotentiam suam. Quid confers ad opera bona? Nihil præter consensum gratiæ auxilio, & is adhuc principaliter a Deo est. Tertium, Cogitare quid est, de quo superbis? Scientia? Hæc opinio est sæpe falsa: nihil scis, nisi quod fides docet aut recta ratio, quæ est lumen a Deo, dictat; reliqua ignoras pleraque omnia. Lucifer multo plura novit quam tu, & tamen miserrimus est. An divitiæ? Lutum sunt, pars terræ, aut terræ partus. Non majorem nec felicem te faciunt, sed potius alliciunt ut ruas in interitum. An laus & magna æstimatio humana? Laus est verbum volans; æstimatio humana umbra

bra est, simulacrum in cerebro aliorum effectum, sæpe falsum, inconstans, & vix unius diei, quo major non evadis; sed quod es in oculis Dei, hoc es, & nihil amplius. An nobilitas generis? Ex luto es non secus ac rusticus. Nobilitas est exemptio ab oneribus plebejorum cum quadam fortassis jurisdictione. Hanc majores tui aut meruerunt, aut emerunt; tu quid contulisti? Mors eam tollet, eris par, & fors inferior rustico. An pulchritudo corporis? Hæc sita est in fugace cutis colore, carnisque & ossium proportionata conjunctione. Corpus tuum, utut pulchrum, sepulchrum est dealbatum, intus plenum fœtore & sordibus. 4. Ponderare pericula & damna superbiæ: *Initium*, teste Ecclesiast. cap. 10. *omnis peccati est superbia: qui tenuerit eam, implebitur maledictis. Vidi satanam tamquam furgur de cælo cadentem*, ait Christus. 5. Vilem se reputare, omni dono Dei indignum, & servum inutilem, seque tamquam talem tractare, vilia appetere tamquam sibi magis convenientia, laudem fugere, contemptum amare, & de eo gaudere. 6. Conferre se cum Sanctis & Angelis: Quid es respectu illorum? Quid hi respectu Dei? Quid ergo tu? 7. Turpitudinem superbiæ perpendere. Furem te facis, proinde oriente superbiæ motu respice indignitatem tuam, ora Deum ne te permittat confundi: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Lapsus superbia, confundere tamquam fur in flagranti deprehensus, &c. 8. Attendere ad superbiæ indicia, uti sunt: Sua prædicare, expiscari aliorum de se judicia, turbari ad sui neglectum & ubi suscepta non bene succedunt, pulsari invidia dum alii laudantur, aut laudabiliter agunt, &c. & hæc mortificare.

QUÆ

QUÆSTIO II.

Quid de avaritia, ejusque partibus notandum?

62. *Quid sit avaritia, fraus, fallacia perfidia?* RESp. Avaritia specifice accepta, est inordinatus appetitus divitiarum. Est per se veniale tantum ob rationem datam sub num. 57. Transit in mortale, si inducat gravem violationem alterius virtutis, v. gr. charitatis, justitiæ, religionis, &c. Ex ea oritur duritia cordis erga pauperes, inquietudo animi seu inordinata sollicitudo de augendis & conservandis divitiis, dolus, perfidia, seu proditio, &c. Dolus est vitiosa inimici calliditas, quæ si in verba prodeat, dicitur fallacia; si in facta, fraus. Proditio, seu perfidia est deceptio proximi in ejus damnum contra fidem datam, ut violatio secreti commissi, apertio litterarum, &c. Dixi, *specifice accepta*, quia generice sumpta, est inordinata cupiditas cujuscumque rei sensibilis, sive utilis, sive delectabilis.

Hinc primo. Si pœnitens se accuset de duritia in pauperes, examinetur an duris, vel contumeliosis verbis compellaverit? An eleemosynam negaverit, ubi ad eam ex charitate tenebatur, ut in extrema, vel gravi proximi necessitate? An ab iis debita exegerit nimis rigide? 2. Si de fraude, vel fallacia; an cum gravi damno proximi, vel periculo ejus? 3. Si de

63. *An liceat revelare secretum?* secreto violato; an id fuerit commissum, vel tantum promissum? Si commissum, id est, ea lege ipsi scientia communicata & acceptata, ut taceret: hujus violatio est non tantum contra fidelitatem, sed etiam contra justitiam ob contractum onerosum intervenientem; estque peccatum grave, vel leve pro diversitate materiæ & damni inde sequentis; si autem fuit promissum tantum, id est, communicata jam notitia promiserit sine contractu antecedente tacere, an

obli-

obliget ex fidelitate tantum, vel simul ex justitia, pendet ex intentione promittentis, quæ, nisi aliud constet, ordinarie censetur tantum esse ex fidelitate; & hoc secretum violare secluso periculo gravis damni, vel læsione charitatis, est ordinarie tantum veniale peccatum, immo alquando nullum, si nimirum ob justas causas manifestetur: v. g. Si quis interrogaretur a superiore, vel judice, cui teneretur respondere, vel injuste læsus ab eo cui promisit, aliter famam suam tueri non posset, &c. id, quod etiam verum quandoque est de revelatione secreti commissi, ut si silentium vergeret in grave damnum communitatis, vel proximi innocentis, imminens a committente, quod aliter everti non posset. Immo, licet non immineret ab ipso, sed alio damnum commune, vel salutis animæ; quia pro iis casibus nemo se obligare potest. Extra hos casus debet attendi sub quam gravi malo proprio potius subeundo se quis obligaverit, an etiam sub morte subeunda, vel, ut fit communiter, tantum ad moralem & humanam, seu non nimis difficilem custodiam.

4. Si de litteris apertis vel lectis, examinetur quales fuerint illæ: etsi enim, per se loquendo, alienas litteras aperire & legere sit mortale; cum ordinarie non constet, an non contineant rem gravem, vel quam constare alteri, scribens valde ægre ferat; per accidens tamen potest esse veniale tantum, ut si ex curiositate aperirentur, & prudenter judicaretur certum, non continere rem magni momenti, & scribentem non esse graviter invitum; vel etiam nullum, ut si adesset consensus scribentis expressus, aut saltem tacitus prudenter præsumptus, & ex rationabili causa fieret: uti & si adesset legitima auctoritas, vel merito certum judicares grave damnum tibi vel alteri parari iis, quod aliter non posses avertere: licet enim contra injuriosas litteras tibi consulere: sed nec tunc plus legendum, quam ad illum finem serviat. 64.

An licet aperire, & legere alienas litteras vel scripta?

viat. Cavendum quoque, ne id temere judicetur. Idem dicendum de litteris apertis, quas aliquis casu perdidit, aut ex inconsideratione in loco publico reliquit. Quod si dominus illas dilacerasset, & fragmenta in locum publicum projecisset, an legi possint licere, controvertitur. Affirmat *Lugo* & alii satis communiter, eo quod eas videatur habere pro derelictis, & cedere jure suo. At contradicit cum aliis *La Croix l. 3. p. 2. n. 12. 36.* si in minuta frusta dilacerasset; quia sic satis ostendisset se velle earum contentum esse secretum; proinde fragmenta conjuncta non legerentur, per se loquendo, licite. Quod dixi de litteris, valet de alienis scriptis, quæ quis vult esse secreta, cum & in his jus ad secretum habeat: unde si ex his, aut litteris alienis per injuriam lectis damnum domino sequatur, legens tenetur ad compensationem.

Remedia contra avaritiam.

61. *Remedia contra avaritiã.* PRimum. Cogita quam inconstantes sunt hujus mundi divitiæ? Transeunt omnia illa *tamquam umbra*. Sap. 5. *Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus suis*. Psal. 76. *Quomodo*, inquit S. Augustinus, *qui videt thesauros in somnis, dormiens dives est, sed evigilabit, & pauper erit*. Secundum, Quo devenient divitiæ, quas tanta sollicitudine, forte cum jactura salutis meæ, comparo? Diripient alieni tandem labores meos. Hæredes mei aut nati eorum erunt prodigi, & dein quid mihi? Quin potius adhibita moderata diligentia ad necessaria mihi meisque acquirenda, committo me divinæ providentiæ? Deus novit quid cuique prosit ad salutem. Tertium, Quam vilia sunt hujus mundi bona? Extrinseca sunt, possessorem suum nec meliorem, nec beatum faciunt; sed inquietum, cæli immemorem, superbum, luxuriosum, divinorum contemptorem, crudelem in mise-

ros; dicente *Eccli. cap.* 10. *Avaro nihil scelestius: nihil iniquius, quam amare pecuniam: hinc enim & animam suam venalem habet.* Si beatum redderent divitiæ, non largiretur eas Deus hostibus suis, Ethnicis, Turcis, Hæreticis, sceleratis. Quartum, Unigenitus Dei, cum dives esset, propter nos egenus factus est; si fuisset melior ad felicitatem æternam via, quam divitiarum contemptus, eam is elegisset, & nobis ineundam demonstrasset. Quintum, Esto misericors in pauperes, & beneficus in proximum. Contraria contrariis curantur: *Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit miseriam.* Prov. 28. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* Prover. 19. *Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Matth. 25. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Hebr. 13.

QUÆSTIO III.

Quæ Confessario de materia luxuriæ sint specialiter observanda.

66. *Quid & quotuplex sit luxuria?*

RESP. I. Luxuria genetrice accepta est appetitus inordinatus delectationis sensualis: specifice autem, appetitus inordinatus delectationis venereæ. Pro quorum intelligentia

67. *Quid & quotuplex sit delectatio?*

Notandum 1. Delectatio simplex est complacentia potentiæ appetitivæ in objecto delectabili sine desiderio. Est autem alia spiritualis, alia sensitiva: Spiritualis est complacentia voluntatis; sensitiva est complacentia appetitus sensitivi in objecto delectabili. Illa, si contineat se intra solam voluntatem, & conjunctam non habet delectationem sensus, dicitur mere spiritualis; si autem hanc conjunctam habeat, dicitur mixta seu sensitivo-spiritualis. 2. Delectatio sensitiva fit cum aliqua alteratione corporis per motum spirituum animalium; & divi-

dividitur in mere sensibilem, & carnalem; carnalis in veneream, & non veneream. Mere sensibilis est, quæ præcipitur ex objecto sensibili non apto de se movere ad venerea; ut quæ percipitur ex olfactu floris, auditione musicæ, sapido cibo, visu modestæ imaginis, tactu holoserici: & hæc de se mala non est. Carnalis est, quæ percipitur ex objecto carnali, id est, vel venereo, vel saltem remote apto de se movere ad venerea. Venerea est, quæ percipitur ex objecto venereo, v. g. turpi tactu, vel aspectu: hæc sentitur circa partes genitales ex commotione seminis & spirituum generationi servientium, qui sunt subtilissimus sanguis velut in aerem extenuatus; & facillime mobilis. Oritur autem illa commotio vel ex imaginatione objecti turpis, vel ex mordacitate seminis, aut ex ejus & spirituum genitalium copia; & dicitur venerea, quia servit ad generationem, cui Ethnici Venerem, tamquam deam, præsidem statuerunt. Delectatio carnalis non venerea est, quæ concipitur ex objecto carnali quidem, sed de se non turpi sine delectatione venerea, apto tamen saltem remote ad hanc movere. Talis esse potest, quæ concipitur ex tactu manu mulieris, ex aspectu formosi vel formosæ adolescentis, &c. hæc sentiri solet circa pectus cum aliquo calore, & quasi emotione sanguinis & spirituum animalium. 3. Cogitatio de objecto turpi alia est practica, alia speculativa tantum. Practica est, quæ repræsentat objectum modo delectabili, id est, vel tamquam præsens modo ponendum, vel tamquam delectabili sensui, adaptat illud cogitanti tamquam conveniens. Speculativa autem est, quæ repræsentat aptum secundum se, & quasi superficialiter sine modo illo; qualemplerumque habet, qui studet casibus, considerando distinctionem specificam peccatorum in ordine ad Confessionem: & hæc de se peccatum non est, uti nec delectatio de scientia jam acquisita. 4. Delectatio venerea plene delibera-

te,

te, vel in se admissa, vel in sui causa per se efficaci indirecte volita, est in solutis peccatum mortale ex toto genere suo, ut habet communissima nunc omnium & certa sententia; quia omnis delectatio venerea ex natura sua ordinatur ad seminis effusionem, estque hujus inchoatio; quæ in solutis, si voluntaria sit in se, vel in sui causa per se & efficaci, est mortale; quia cum in hominis natura per originale corrupta, potestate non sit admissa leviore delectatione majorem impedire, adsitque periculum in hanc consensus, recta gubernatio generis humani exigit illam graviter prohiberi, ne sequatur corruptela & confusio generis humani totius, & matrimonii fini graviter præjudicetur; qui est propagatio generis humani, ut augeatur numerus servorum & filiorum Dei. 5. Delectationes vero sensitivæ non venereæ, nec de objecto turpi admissæ ex honesta causa, dum abest periculum consensus in delectationem veneream forte orituram, de se peccata non sunt; ut quæ percipiuntur ex amplexu, manuum contactu, osculis factis ex urbanitate, vel benevolentiæ honesta causa; quia de se non sunt impudica, nec per se saltem propinque tendunt ad venerea, & fiunt ob rationabilem causam. Ita communis cum *S. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 4. Dixi 1. *admissæ*: nam delectationes illas sensibiles intendere valde periculosum est, cum in natura corrupta nunc vix absit delectatio venerea, in quam simul feretur consensus, unde ob illam voluptatem osculans feminam peccat graviter. Et Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Dixi 2. *admissæ ex honesta causa*; quia si fiant oscula ex levitate, vanitate, delectatio culpa non vacat. Dixi 3. *de se*; quia si quis sci-

sciret se solere, illas admittendo, consentire in delectationem veneream, graviter peccaret, exponendo se periculo, nisi aliam cautelam adhiberet.

68. *Quid si pœnitens accuset se de turpibus cogitationibus.*

Resp. II. Si pœnitens se accuset de cogitationibus turpibus, interrogetur, an voluntarie & cum voluntaria delectatione iis inhæserit? Si neget, ulteriore examine de his opus non est. Si dicat: Sensi delectationem; petatur an eam libenter & voluntarie admiserit, an vero statim eidem repugnaverit? Non nocet sensus, ubi deest consensus, sed meritum est iis strenue repugnare. Si annuat, quæratur an fuerint de objecto contra castitatem, de scurrili, v. gr. de excrementis humanis, &c. etsi enim cogitatio & delectatio turpis, specifice accepta, sit venerea; accepta tamen generice est omnis, quæ dedecet hominem ingenuum & pudibundum, & a rudibus sæpe confunditur. Si fateatur consensum in delectationem veneream, debet, nisi aliunde constet, primo exprimere, an sit liber, vel voto obstrictus. 2. Numerum. 3. Speciem: nam aliud est specie peccatum delectari de fornicatione, quam de sodomia, bestialitate, &c. saltem si delectatio feratur in ista, ut talia. Sed de his vide *Theolog. moral. par. 2. num.* 209. 4. Passus delectationem veneream voluntariam, interrogandus an non quid turpe fecerit, aut facere voluisset; Si ita, exponere debet quid aut fecerit, aut facere desideraverit, & cum quibus personis; desideria enim tendunt in objecta ut a parte rei ponenda, ab iisque malitiam omnem quam habent, si cognoscatur, contrahunt: unde si desiderasset peccare cum conjugata, contraxisset malitiam adulterii; secus est de delectatione simplici ex copula, nisi esset de ea, ut cum conjugata; quia tendit in objectum tantum, ut delectat.

69. *Quid si*

Resp. III. Si accuset se de aspectu, explicare

care debet primo, an voluntarius fuerit objecti de se turpis sine rationabili causa, an voluntarie admissa delectatio venerea. Si ita, debet iterum explicare qualitatem suæ personæ, id quod semper in hac materia, nisi aliunde innotescat, faciendum: probabiliter tamen, si abfuit desiderium, necesse non est exponere an sit conjugatus; quia incertum est ân conjux mentem etiam comparti obligaverit, ut obligat vovens castitatem. Deinde examinandus est, ut supra. Si nihil nisi simplex delectatio admissa sit, personæ aspectæ qualitatem probabiliter necesse non est explicare. 2. Si aspectus ex objecto non fuit turpis, petatur quo animo aspexerit, v. g. feminas? An ex curiositate tantum & aspectu non fixo? Si ex curiositate tantum & aspectu non fixo, citraque periculum probabile consensus in delectationem veneream, peccavit tantum venialiter: est enim curiositas cupido præcise sciendi, quæ si debito fine caret veniale est. Si autem aspexit animo venereo, per se patet quod graviter peccarit, si plena adfuit deliberatio seu advertentia ad malitiam; hinc iterum examinandus, ut supra dictum est. Si autem ex honesto fine & urbanæ conversationis, aut salutationis causa, per se loquendo, nullum admisit peccatum.

de aspectu?

Resp. IV. Si pœnitens dedit causam motibus turpibus vel pollutioni, triplex causa distinguenda est: nam alia est causa per se efficax, alia per se inefficax, alia causa per accidens. Causa per se efficax est, quæ ordinatur ex natura sua ad effectum, ita ut eum necessario necessitate vel morali, vel physica inducat: talis respectu commotionis venereæ est cogitatio practica vivacior de venereis, tactus obscœnus diuturnior, aspectus obscœnus nudæ feminæ voluntarie continuatus: hæc enim, si vivacius feratur in obscœna, determinat ad de-

70. *Quid si de causa data turpibus motibus, vel pollutioni? Triplex causa motuū turpium?*

delectationem; si vehemens sit, determinat ad pollutionem. Causa per se, at inefficax est, quæ quidem ex natura ordinatur ad effectum, sed in eum non influit notabiliter & hinc cum eo non conjungitur, ut plurimum. Tales causæ in præsenti sunt tactus levis vel jocosus feminæ, non obscœnus, aspectus curiosus ejus formæ, vel pectoris nudi non fixus, confabulatio amatoria ob vanitatem, vel vanum amorem conciliandum; quibus a *Sanchez* respectu pollutionis annumerantur amplexus, oscula, compressio manus feminæ, intorsio digitorum ex vanitate, vel levitate. Causa per accidens est, quæ ad effectum per se non ordinatur, sed indifferens est, ut cum eo conjungatur, vel saltem proxime in eum non influit, Tales in præsenti sunt equitatio, situs corporis magis commodus, conversatio cum feminis ad eas instruendas in virtute, esus calidorum, ut sunt ova, aromata, v. g. piper, cinamomum, &c. aliæque actiones etiam illicitæ extra materiam veneream, ut potus intemperans, comestio cibi vetiti, ex qua prævidetur secutura commotio venerea.

71. *Quando & quomodo peccetur dando illis causam?* Ex his judicandum, quomodo pœnitens peccaverit: nam primo qui intendit commotionem veneream, vel pollutionem per actionem etiam licitam, & de se indifferentem, peccat graviter, quia vult in se aliquid repugnans graviter castitati. 2. Qui ponit causam illius per se efficacem, reus quoque fit peccati mortalis, si eam ponat sine rationabili causa; quia volens causam per se efficacem effectus, nisi aliunde excusetur, velle effectum censetur: eadem enim lege, quia talis effectus prohibetur, etiam prohibetur causa per se efficax illius. Dixi: *Sine rationabili causa*: hæc enim si adsit, & absit periculum probabile consensus in venerea, sine culpa poni talis causa seu actio potest. Sic licet Medico vel Chirurgo mederi vulneri in partibus obscœnis corporis alterius, Confessario le-

ctio

ctio casuum ad audiendas Confessiones, professori ad instruendum alios, quando & quomodo in hac materia peccetur, & quomodo peccata sint confitenda, &c. etsi prævideren t motus venereos inde orituros. Hinc causa moralis per se efficax censentur in præsenti omnes actiones in materia venerea graviter prohibitæ, positæ sine rationabili causa, ut sunt omnes cogitationes, aspectus, tactus ex objecto valde turpes, qui nec necessarii, nec utiles sunt ad finem honestum; sed tantum hic & nunc servire possunt ad Venerem. At si adsit rationabilis causa, & servire possint ad honestum finem, censentur causa per accidens, & honestantur ex fine. 3. Qui ponit causam per se quidem, sed inefficacem motus venerei, qualis est actus solum venialiter malus in materia luxuriæ, uti esse possunt joci turpes non valde obscœni, tactus vel oscula levia ex petulantia, delectatio inde prævisa & secuta, si absit periculum probabile consensus in illam, per se loquendo non imputatur nisi ad culpam levem. Ita *Vasq. Ponac. Lessius*, *Gobat*, *Sporer*, aliique plurimi teste *La Croix l. 3. p. 1. num. 923. contra Mendo*. Ratio est, quia est tantum volita in causa, estque potius effectus naturæ corruptæ, quam potentiæ generativæ: velle autem talem causam, veniale per se non excedit. Ita *Vasquez*, *Sanch.* & alii communiter; aliud tamen dicendum foret, si adesset probabile periculum consensus, ut si quis experientia sciret, se non raro solere consentire, dum tales actiones ponit. 4. Qui ponit actionem, quæ sit causa per accidens, ex qua prævidetur secuturus motus venereus vel pollutio, si absit intentio illius, & periculum probabile consensus in illam, non peccat contra castitatem, saltem graviter; immo, quando actio est honesta, vel non mala, per se nullum est peccatum, saltem si adsit vel necessitas, vel ratio honesta aut utilis ponendi, vel continuandi talem actionem. Ratio primæ partis est,

est, quia causa per accidens non est vere causa effectus secuti. Hinc pollutio tunc non foret effectus virtutis generativæ, sed expulsivæ; quia causa venerea adhibita non esset. Ratio secundæ partis est, quia effectus præter intentionem sequens non imputatur, nisi fuerit obligatio non ponendi causam. At talis obligatio non est, quando adest necessitas, vel ratio honesta, vel utilis ponendi talem causam; sed tunc jus nobis est ad illam, potiusque tunc patimur quam ponimus tales effectus. Quod nisi verum esset, innumeras actiones utiles, honestas, immo necessarias teneremur vitare; quæ obligatio cederet in detrimentum, & eversionem generis humani, & esset intolerabilis, proinde esse non potest, cum lex omnis debeat esse in bonum commune; immo plus boni, quam ejus negatio afferre. Dixi: *Non peccat graviter saltem contra castitatem*: nam si actio esset graviter mala contra aliam virtutem, mortaliter peccaretur contra illam, ut si quis se inebriaret prævidens secuturam pollutionem in somno. Putat tamen *Sanch.* peccari venialiter contra castitatem, eo quod videatur levis aliqua deordinatio contra illam. Idem dicit *Layman* & *Platelius* si ponatur causa, vel actio de e non mala sine justa causa. *Rhodes* & *Ariaga* tenent, non peccari contra castitatem, quia illa non prohibet actiones, nisi per se inductivas ad venerea; non vero alias etiam malas, multo minus bonas aut indifferentes: unde tam parum repugnat castitati comedere carnes die vetita, quam alia. Hinc, per se loquendo, culpa vacat motus venereus vel pollutio prævisa in legente ex justa causa casus de materia venerea, audientes Confessiones, Chirurgo ex officio vel charitate medente vulneri, ex tactu honesto & amplexu juxta morem Patriæ, locutione necessaria vel utili honesta cum feminis, ex equitatione etiam recreationis causa suscepta, ex situ corporis commodo, si absit probabile periculum consen-

sus.

sus. Suadendum tamen, ut tales actiones non suscipiantur sine rationabili causa, ut eo magis recedatur ab amore venereo, & periculo lapsus. Similiter non peccat graviter contra castitatem, qui citra periculum venerei consensus habet cogitationem brevem de venereo objecto non valde turpi ex mera curiositate; aut cum semiplena tantum advertentia ad malitiam gravem; peccat tamen venialiter, & periculum consensus venerei raro abest; nisi cogitatio sit languida, quæ suo tepido modo & obiter advertente ad objectum venereum parum commoveat. His non obstat sententia communis, quod in materia venerea non detur parvitas materiæ, quia intelligitur de delectatione venerea vel directe in se, vel indirecte in sua causa per se efficaci volita, aut acceptata.

Resp. V. Si pœnitens se accuset de verbis turpibus, explicare debet suam intentionem, vel affectum, modumque proferendi, & personas, coram quibus; nam primo, si ex petulantia, levitate, vel rusticitate sine affectu venereo citra discursum cum aliis, vel ex præcipitantia quis illa proferat, ut faciunt quandoque moribus parum exculti, per se loquendo est veniale tantum. 2. Si autem proferantur cum affectu venereo, constat ex dictis mortale esse in solutis. 3. Si animo aliam personam inducendi ad turpem actum, v. g. concubitum, exponenda est personæ qualitas. 4. Si verba fuerint valde turpia, aut discursus turpis cum aliis, explicandum est quot & quales fuerint personæ, coram vel cum quibus discursus habitus; quia in hoc casu præsens periculum est scandali & ruinæ vel præsentis, vel postfuturæ tam in propria persona, quam in aliis. Sic enim inclinatio in venerea excitatur & augetur, & pessimum malarum cogitationum semen ingeritur, quod postea aut naturaliter, aut a dæmone excitatum etiam post multos annos tentationes causat, & ruinas: sicut semen lolii

72. *Quid si se accuset de verbis turpibus vel colloquiis?*

agris insitum, si non statim, alio tamen tempore oritur, & bonas segetes supprimit, agrisque graviter nocet. Unde turpia loquentes gr[illegible]er sunt dehortandi: *Væ homini, per quem scandalum venit.* Dabis rationem de animabus, quæ per te in ruinam, & forte in æternam infelicitatem ducentur. Tot peccata committis, quot personis malum exemplum & scandalum præbes. Et quid, si fuerint innocentes, qui sibi a malo cavere necdum satis norunt, qui adhuc pietatis teneræ, & in utramque partem admodum flexiles? Si dicat: Erant conjugati. His, si sis causa ruinæ, hæc gravior erit. Si dicat: Non sum ipse locutus, risi tamen ad verba turpia: an cum delectatione venerea, vel de rebus venereis, aut in risum prorupisti citra plenam deliberationem ex naturali quasi impetu, vel risum voluntarie continuasti, verbis attendisti? Ridentes ad turpia movent alios, ut audacius & diutius turpiloquia protrahant. Qui præbet alteri occasionem turpiloquii continuandi cum suo, vel aliorum periculo lapsus, vel auctoritatem illi præstat, peccat graviter peccato scandali, etsi interius non approbet illud; quia approbatio exterior rei mortalis, est mortale. Hæc pariter valent de turpibus cantilenis, gestibus, spectaculis, lectione librorum turpium; hos legere cum probabili periculo consensus venerei, culpa gravi non vacat; secus, si hoc periculum absit, & fiat tantum ex curiositate, quod tamen periculosum est, nisi adsit justa causa, & bona intentione legantur.

73. *Quid si de pollutione nocturna?*

Resp. VI. Si pœnitens se accuset de pollutione nocturna in somno orta, petatur, an illam in se intenderit, aut causam per se efficacem & proximam dederit, prævidens illam secuturam; an in illam evigilans veneree plene consenserit? Si unum horum factum, reus est peccati gravis; si autem nihil horum admiserit, culpam non habet, nisi forte venialem ex con-

sen-

sensu semipleno; quia talis pollutio ipsi voluntaria non est. Circa quam notandum 1. Pollutio alia dicitur naturalis, alia innaturalis. Naturalis dicitur, quæ sponte evenit, natura semen abundans expellente; quo casu est tantum alleviatio naturæ, & evacuatio superfluitatis, nec est objective mala, sive in somno, sive in vigilia eveniat, nec præjudicat generationi, quam natura moderate intendit; neque est actus hominis voluntati subjectus, sed actus & evacuatio naturæ, sicut sudor; unde juxta *S. Anton. S. Thom. in 4. d. 9. a. 4. q. 1.* & alios, licet de ea jam præterita gaudere, & etiam desiderare ut naturaliter veniat, secluso periculo delectationis venereæ, præcise quatenus est alleviatio naturæ, aut mitigatio tentationis. At consultius est, ab eo gaudio & desiderio abstrahere mentem, & se Deo committere. Pollutio innaturalis dicitur, quæ primario provenit velut ab extrinseco per appetitum sensitivum ad hoc irritatum, v. g. per imaginationes turpes, desideria venerea, quibus occasionem dant aliquando turpes sermones, tactus, aspectus, amplexus antecedentes. Hæc est semper objective mala, adeoque numquam objectum desiderii, aut gaudii liciti, qualis est etiam in somno propriis manibus procurata, non tamen ex nimio potu proveniens. 2. Cui pollutio naturalis sua sponte provenit, si absit periculum consensus in delectationem veneream, non tenetur quidem eam jam cœptam in somno reprimere, quia patitur, & non agit, estque causa permittendi ne noceatur sanitati, & dein tentationibus diutius agitetur; consultius tamen est impendenti obsistere, & jam cœpta mentem ad Deum convertere oportet, eumque sine ullo attactu quietisque manibus rogare, ne permittat lapsum in delectationem. Neque patiens inordinatam propterea tristitiam admittat: est enim miseria naturæ corruptæ, a qua etiam Sancti non fuere omnes liberi. Hinc scripsit

S. Athanasius Eremicolis sui temporis de illa miseria questis, curandas non esse illas naturæ evacuationes, provenientes sine ipsorum culpa. 3. Non licet tamen cœptam naturaliter pollutionem proprio conatu promovere aut complere, quia hoc non esset tantum pati, sed operari ad seminis expulsionem, quod soluto numquam licet.

Remedia contra luxuriam.

74. *Remedia contra luxuriam.* PRimum. Humiliter petere donum continentiæ fatendo cum Sapiente, *Sap. 8. v. 21. Non possum esse continens, nisi Deus det.* 2. Dei legibus & dispositioni se humiliter submittere. Humilis obedientia spiritus impetrat subjectionem carnis. 3. Abstinere a nimio alimento corporis: quod enim superfluit sustentationi individui, a natura aut rejicitur si inutile est, aut convertitur in propagationem speciei, & hinc ex superfluitate tentationes venereæ, quæ mitigantur jejunio & victu moderato. Hoc remedium post gratiam Dei præcipuum est. Bacchus & Venus amici sunt. 4. Diligenter custodire sensus, & in nullum tentationis periculum se temere immittere: *Qui amat periculum, peribit in illo.* 5. Vitare otium, & familiarem conversationem cum feminis, iis non blandiri; sed ubi cum iis agendum, modestiam & animum virilem præferre. 6. Legere pios libros, meditari de Passione Domini & Novissimis. Frequenter suscipere Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, uti flagello & cilicio, exemplo Apostoli 1. *Cor.* 10. dicentis: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* 7. Ambulare in conspectu Dei, & pulsante tentatione cogitare: Deus videt; aut dicere: Domine amo te; & alio mentem avertere. Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam, inquit S. Augustinus vel signo Crucis cum fiducia in Christum fron-

tem,

tem, vel pectus munire. Per hunc victus est hostis in cruce, hujus ad signum fugit confusus. 8. Per tacitum contemptum hostem negligere; hic timentem ferocius invadit, animosum & Deo nixum fugit non valens sui ferre contemptum. 9. Fidenter recurrere ad Christum Ducem, amatorem castitatis, dicendo: Domine, tuus ego sum, salvum me fac; si me deseras, pereo. Sed quid tunc facies magno nomini tuo? 10. Cum fiducia confugere sub præsidium Beatissimæ Virginis, dicendo: Per mundissimam Virginitatem tuam, & immaculatam Conceptionem tuam munda cor & carnem meam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. 11. Proponere sibi fœtidum cadaver, & audire has voces: Memor esto judicii mei: sic enim erit & tuum: Mihi heri, & tibi hodie. 12. Considerare damna luxuriæ: nam excæcat mentem, ad terrena & bestias abjicit, nauseam creat cælestium, horrorem futuri sæculi, amorem mundi, odium Dei, &c.

QUÆSTIO IV.

De invidia, & ejus partibus quid notandum?

RESP. I. Invidia est tristitia vel dolor de bono proximi prout apprehenditur velut imminutivum invidentis excellentiæ: unde invidus dicitur quasi non videns, quia sine dolore videre non potest alterius bonum: ut si quis doleat de alterius virtute vel doctrina, quia putat suam excellentiam inde imminui. Invidia est peccatum ex genere suo mortale oppositum Charitati, potestque esse veniale ob parvitatem materiæ, ut si quis tristetur de condiscipuli laude, quia apprehendit suam excellentiam inde minui. 75. *Quid sit invidia.*

Resp. II. Filiæ invidiæ sunt: 1. Detractio, teme- 76. *Filiæ invidiæ.*

temeraria judicia, de quibus supra. 2. Gaudium de proximi malo. 3. Desiderium ut alteri malum eveniat. 4. Susurratio, quæ est occulta oblocutio contra proximum, nata dissolvere amicitiam inter amicos, & generare discordiam; unde peccatum ex genere suo mortale est gravius, quam detractio; quia tollit amicitiam, quæ præstantius bonum est, quam famo. 5. Contumelia, quæ est injusta alterius honoris læsio, quæ, si defectus vel vitium alteri objiciatur, seu præsenti seu absenti, cum dedecore injusto, dicitur convitium; si præsenti in faciem dicitur improperium, si risui seu præsens seu absens factis vel verbis objiciatur, dicitur irrisio; si autem cum aliqua deceptione vel ludificatione objiciatur risui, dicitur illusio; si denique per gestus aliosve indecoros corporis motus, dicitur subsannatio.

77. *Quot modis possit esse tristitia de alterius bono?*

Resp. III. Tristitia de bono proximi, ut notat *S. Thomas 2. 2. q. 36. a. 2.* potest contingere quatuor modis: nam 1. Potest dolere de bono alicujus, v. g. non quia illi bonum est, sed quia prudenter judicat, quod ex eo sumpturus sit occasionem sibi, vel aliis injuste nocendi; ut si alter evectus esset ad officium, vel potestatem, qua prudenter judicaretur usurus ad premendos innocentes, vel in detrimentum communitatis; & hæc tristitia per se licita est: secus, si timor vel opinio foret temeraria, vel tristitia ex eo, quod juste sit puniturus delicta. 2. Potest quis dolere de alterius bono, non quia is illud habet, sed quia ipso carere se videt: hæc affectio dicitur æmulatio, estque bona, si sit circa bona animi; ut si quis videns alterius virtutem, doleat sibi eam deesse: sic enim excitatur ad imitationem; si vero sit de bonis temporalibus, potest esse bona, si bonum conveniens & debito fine; mala vero, si inconveniens vel malo fine appetatur. 3. Potest dolere de alterius bono, quia is illo

indignus est. Hæc affectio dicitur indignatio; potestque esse bona, ut si quis doleret de alterius bonis, quia ad iis utendum, v. g. officio fungendum ineptus est, vel quia illi injuste collatum est. Potest quoque esse mala, ut si sit de bonis spiritualibus vel temporalibus, quatenus a Deo peccatoribus obveniunt. 4. Potest quis dolere de bonis proximi, in quantum hic illum æquat, vel superat bonis illis; & hæc est invidia, & affectio mala est, quia dolet de eo, de quo gaudendum est, scilicet de bono proximi. Invidia quoque foret, si doleret, v. g. mercator de accursu emptorum ad vicinum, quia is ipsi bonus est, & ideo ipse negligitur. Putat tamen *Burghaber*, non fore grave peccatum, quia non doleret de bono proximi absolute, sed in quantum facit se bono carere. Si autem doleret, non quod alteri bonum adveniat, sed quod non potius vel æque sibi obveniat, esset æmulatio licita, estque sæpe talis dolor in concurrentibus ad beneficium obtinendum, in discipulis scribentibus pro primatu; & is sæpe sine peccato: sicut enim mercator emptores licite ad se potest citra fraudem attrahere, de venientibus ad se gaudere; ita licite potest dolere, quod non ad se potius, quam ad alium veniant. Idem est in aliis exemplis. Putat quoque *Tamb. in Decalogum l. 5. c. 1. §. 37.* non esse invidiam, si quis doleat de alterius bono, in quantum est vere imminutivum excellentiæ suæ, eo quod possit dolere licite de imminutione illa, adeoque & de causa qua tali; sicque doleat non de proximi bono secundum se, sed ut suum malum est. Verum non apparet causa justa doloris: si enim per bonum alteri adveniens mihi bonum nullum decedat aliud, sed solum sim jam illi inæqualis, non ideo minor sum, quam ante: sic si civis unus elevetur ad Magistratum, non fit per hoc minor civis alter si unus ditescat, alter sua retinens non fit pauperior: unde cum alium

tamquam ſibi in Chriſto fratrem reſpicere debeat, gaudendum illi potius eſſet. Hinc

78. *Accuſans ſe de invidia, vel odio quomodo examinandus?*

Reſp. IV. Si pœnitens ſe accuſet de invidia, diſtinguendi ſunt hi affectus, qui a pleriſque confunduntur, & interrogandus in quo affectu patet ſitam fuiſſe ſuam invidiam. Et idem eſt, ſi ſe accuſet quod habuerit odium proximi, & gaudium de ipſius malo, aut inefficax illius deſiderium. Eſt enim odium duplex; alterum perſonæ, quod inimicitiæ dicitur, quo quis ex diſplicentia perſonæ vult ipſi malum quia malum ipſi eſt, apprehendens id tamquam aliquid ſibi bonum; & hoc eſt ſemper peccatum grave: vel leve pro diverſitate materiæ. Differt ab invidia, quia tendit in malum ut malum; invidia autem in bonum ut imminutivum propriæ excellentiæ. Alterum eſt, odium non perſonæ, ſed qualitatis in ea repertæ, diciturque odium abominationis, quo quis averſatur perſonam proximi non ſecundum ſe, ſed ſecundum aliquid ipſi adjacens, quatenus id communitati, ſibi, vel alteri malum eſt: ut ſi oderim alterum, ſeu malum ipſi velim, quia mihi moleſtus, contrarius eſt, quia magnæ auctoritatis mihi noxiæ. Hoc odium, cum non tendat in perſonam, ſed qualitatem, poteſt eſſe licitum, ſi ſervetur ordo charitatis; illicitum vero eſt, ſi is turbetur. Turbatur autem ordo charitatis, ſi majus malum velimus, ut minus evitetur.

79. *Quando liceat, & non liceat proximo vel ſibi optare malum ut impeditivum alterius mali.*

Unde primo illicite optas mortem proximo; ut evites damnum particulare temporale. 2. Illicite optas tibi mortem, ut libereris tuſſi, modico dolore capitis. 3. Illicite gaudet filius de morte patris, aut eam optat ob pinguem hæreditatem ipſi obventuram, quia bonum minus præfertur majori. 4. Licite pater obſtat filio mortem nunc in gratia, quem certo prævidet futurum improbum. 5. Licite opto mortem Turcæ potius, quam ut vincat Imperium Romanum, vel Eccleſiam; quia bonum ſpirituale temporali, & publicum privato prævalet. 6. Li-

cite

cite alteri opto mortem, a quo certo prævideo alias me injuste occidendum. 7. Licite opto mortem mihi, prævidens alias me grave malum animæ esse passurum. 8. Licite potest quis sibi optare mortem, ne ultra Deum offendat, ne tamdiu retardetur a beatitudine, ut evitet miseriam morte amariorem, v. gr. perpetuam carcerem, spoliationem omnium bonorum. Idque valet, per se loquendo, quando malum vitandum est præponderans, saltem si servetur ordo charitatis etiam inter personas, qui exigit ut diligam magis mihi conjunctas. Ratio horum est, quia sic non optatur malum ut malum, sed quatenus impeditivum est majoris mali. Et hoc ipsum evenire potest in tristitia de alterius bono. Possum enim de eadem re sub diversa formalitate tristari & gaudere licite, sic filius potest dolere de morte patris quatenus ipsi mala est, & de illa gaudere quatenus intelligit immissam a Deo in salutem ejus. Sic & tristari voluit Christus de morte sua imminente, quatenus erat malum naturæ, & tamen gaudens eam sustinuit confusione contempta, eamque voluit quatenus erat a voluntate Patris in redemptionem nostram. Ad hæc contingit, ut qui ab alio injuriam passus est, longo tempore sentiat displicentiam & aversionem; hæc per orationem quidem & obsequia charitatis expurganda est: quamdiu tamen involuntaria est, peccatum non est: si voluntaria sit, inquirendum, an optaverit mala, an voluerit inferre?

Remedia contra invidiam.

PRimum, Petere a Deo sinceram proximi charitatem. 2. Gaudere de bono proximi tamquam suo, quia frater est; & gloria ejus in cælis erit pars gloriæ tuæ. 3. Gratificari illi, contra quem invidia pulsaris; orare pro ejus bono; 80. *Remedia contra invidiam.*

bono; gratias Deo agere pro beneficiis ipsi collatis tamquam suis. 4. Mundana vilipendere, & se omnibus indignum reputare; proximum autem donis Dei digniorem. 5. An, quia invides, bono illo caret proximus, aut tu plus habes? Habes minus, quia per amorem proximi ejus bonum facis tibi commune, & thesaurum mereris in cælo, quem invidendo perdes. 6. Invidia facit diabolo te similem, quia, ut ille, Deo gloriam invides, quæ ex proximi bono provenit: ex eo enim elucet Dei bonitas, sapientia, clementia, misericordia. 7. Invidus est tortor sui sine fructu, & magno cum damno. Tandem debebit proximo bene velle, aut salvus non erit; cur non modo? 8. Christus quanto amore quæsivit salutem nostram, & tu bono proximum privatum velles? &c.

QUÆSTIO V.

Quid de gula & ebrietate observandum?

81. *Quid sit gula, & quot modis ea peccetur?*

RESP. I. Gula est inordinatus appetitus & usus cibi & potus. Inordinatio fit quinque modis. Primo, Si excedatur in quantitate, plus sumendo quam conveniat. 2. Si in qualitate, appetendo victum nimis lautum, vel nimis studiose conditum, vel præparatum, quam personæ conveniat. 3. Si in modo sumendi, ut si edatur nimis ardenter, nimis propere vel voraciter. 4. Si in tempore excedatur, ut si sæpius, quam oportet, aut extra tempus sine rationabili causa. 5. Si contra finem, ut si sumatur tantum voluptatis causa: nam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Comedere & bibere usque ab satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Pro quo intelligendo

82. *Justa*

Notandum primo. Ad satietatem comedere, significare potest tantum comedere, quantum requiri-

quiritur, ut satisfiat fami; & hoc peccatum non est. Potest quoque significare plus comedere, quam requirat sustentatio naturæ, vel conveniat. Et in hoc est inordinatio; quia cibus & potus tantum ad naturæ sustentationem & convenientiam ordinatur. Non est autem eadem quantitas conveniens omnibus, nec eadem uni constanter; sed debet esse accommodata necessitati, infirmitati, utilitati, personæ, tempori & loco, & idem est de qualitate, quæ accommodari debet simul statui, conditioni, facultati, personæ, ne fiat excessus. *quantitas cibi quomodo statuenda?*

2. Si quis comedat propter voluptatem in ea sistendo, quod Ethnicis est & Theologis voluptate frui, peccat; quia pervertit ordinem naturæ, ordinando non medium ad finem, sed finem ad medium: Deus enim usui cibi & potus annexuit voluptatem, ut ad eorum usum alliceremur. Si autem voluptas, quæ est usu cibi & potus, referatur ad honestum finem, v. gr. sustentationem naturæ, quod est ea uti, non peccatur; quia in eum finem usui cibi & potus Deus voluit inesse voluptatem: unde talis non comedit & bibit propter solam voluptatem, sed propter solam sustentationem, ad quam voluptatem refert. Is vero propter voluptatem comedit, eaque fruitur qui in ea sistit, velut fine intento; quod censetur facere is qui comedit & bibit nimium, vel nec necessarium, nec utile ad sustentationem vitæ, ad quam saltem virtualiter refertur, si ad eam utile sit. Idem est de aliis oblectamentis sensuum, quia, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 141. *art.* 6. regula omnium delectabilium in hac vita est vitæ aliqua necessitas aut utilitas, vel convenientia; unde olfacere florem ad confortandum caput, aliumve finem utilem, culpa vacat; non vero si fiat solius voluptatis causa. Idem est de auditione musicæ, &c. 83. *Cur sit peccatum comedere ob voluptatem?*

Resp. II. Excessus in cibo (qui opponitur abstinentiæ, quæ est virtus moderans secundum 84. *Excessus*

In cibo quale peccatum? præscriptum rationis, appetitum, usum, & voluptatem in cibo) est per se loquendo peccatum tantum veniale; idem est de excessu in potu, (qui opponitur sobrietati, quæ virtus est ex præscripto rationis moderans appetitum, usum, & voluptatem in potu) nisi tamen excedatur ad privationem usus rationis. Ratio est, quia sunt actiones circa res indifferentes honeste appetibiles. Dixi, *Per se loquendo*, quia per accidens peccari potest mortaliter 1. Si quis immoderato usu illorum graviter lædat valetudinem, v. gr. podagram contrahendo, aut alium defectum gravem; quia homo non est dominus sui corporis, sed administrator tantum & custos: unde ageret non tantum contra charitatem propriam, ex qua juxta *Less. & alios*, non minus sibi, quam alteri tenetur non nocere in naturalibus, sed etiam contra jus Dei. 2. Si ad officium, ad quod sub gravi tenetur, se ineptum reddat. 3. Si excitet se, & revomat cibum vel potum, ut ad serviendum voluptati, iterum comedat vel bibat. Hoc enim est plus quam bestiale, hominemque Christianum præsertim valde dedecet. Idem dicunt aliqui de eo, qui se ita cibo vel potu ingurgitat, ut debeat vomere: alii tamen hunc a mortali excusant. 4. Si reddat se imparem solvendis debitis, vel sustentandæ, ut debet, familiæ, aut liberis in statu conveniente collocandis. 5. Si ponat, saltem interpretative, finem ultimum in illa voluptate, ut si ob illam paratus sit Deum graviter offendere, aut cælo vellet renuntiare si ea frui semper posset, juxta illud *Philipp. 3. Quorum Deus venter est*. 6. Si excessu suo det grave scandalum, vel gravis peccati probabili periculo se exponat. Denique si voluptatis causa, vel citra necessitatem vescatur carne aut sanguine humano. Hoc enim recto naturæ instinctui repugnat, horrentque omnes Gentes, nisi admodum barbaræ. His tamen alteratis in medicina uti quandoque licet, quia per alte-

alterationem desinunt esse caro & sanguis humanus.

Resp. III. Præcipui gulæ excessus magis ordinarii sunt comessatio & inebriatio, seu ebrietas active sumpta. Comessatio est inordinatus usus cibi vel victus in conviviis intempestivis; comessari enim dicitur, qui indulget illis: ver. grat. mane, a prandio, post cœnam. Dicitur etiam crapula, & sumitur pro frequentata potatione & voratione. Ebrietas est excessus in potu usque ad violentam perturbationem, vel privationem rationis. Dividitur in imperfectam, & perfectam. Imperfecta est excessus in potu usque ad perturbationem rationis aliquam, salvo adhuc ejus usu aut potentia proxima utendi, quantum sufficit ad agendum moraliter; hæc potentia adhuc adesse potest, etsi phantasia sit non nihil turbata, lingua titubet, pedes vacillent, oculi videant duplicia, vel domus videatur gyrari; adeoque necdum censetur adesse plena ebrietas, modo adhuc possit discernere inter bonum & malum morale: ita *Stotz* cum communi. Ebrietas perfecta est excessus in potu usque ad violentam privationem rationis, ejusque potestatis proximæ. Theologi complures dividunt ebrietatem perfectam in formalem, & quasi materialem; formalem dicunt, excessum in potu voluptatis causa usque ad privationem rationis: materialem vero, excessum in potu sine justa causa factam usque ad privationem rationis. Primam formalem vocant, quia sicut sobrietas est virtus moderativa voluptatis in potu; ita ebrietas illi opposita moveri debet voluptate. Alii censent, sobrietati opponi etiam ebrietatem per potum, etsi non fiat voluptatis causa; ut si amicus amici gratia etiam cum molestia biberet usque ad privationem rationis; aut si duo potu cum nausea contenderent usque ad privationem rationis; quia ad sobrietatem videtur spectare etiam talem usum potus moderari. Aliqui denique ebrie-

85. *Quid & quotuplex ebrietas?*

ebrietatem etiam vocant omnem excessum in potu inebriativo citra rationis perturbationem, & comessationem nominant omnem excessum in cibo; sed hæc impropria locutio est: sic enim excedens tam parum ebrius dici potest, quam refrigerationis gratia in potu aquæ excedens.

86. *Quale peccatum sit ebrietas?* Resp. IV. Ebrietas vel inebriatio imperfecta culpam venialem per se non excedit; quia grave malum non est parum per excessum in potu turbare rationem, salvo ejus usu circa bonum & malum morale. Ebrietas autem formalis perfecta est peccatum lethale, saltem si diu privet usu rationis. Ratio est primo. Quia est gravis deordinatio deformitasque, potentia proxima utendi ratione, qua homo supra bruta est elevatus, sine justa causa, præsertim voluptatis gratia, se violenter privare, & ita ineptum reddere ad agendum humano modo, quæ ad virtutem, officium, necessitatem animæ & corporis pertinent; sicque deturpare imaginem Dei, & ad brutorum conditionem dejicere. 2. Nemo est dominus suæ rationis, sed administrator tantum & usufructuarius: ergo sicut mortale est sine justa causa sibi manum abscindere, quia nemo est dominus sui corporis; ita mortale erit voluptatis gratia aut sine justa causa se privare usu rationis & potentia ejus proxima, utpote quæ est magnum hominis bonum, eumque a brutis discernit. 3. Mortale peccatum est contra charitatem propriam in naturalibus se privare magno bono; ergo & privare se violenter usu rationis, ejusque potentia proxima. Unde qui se potu voluptatis causa inebriat, peccat contra charitatem & sobrietatem: contra charitatem quidem, quia privat se mango bono in naturalibus sine justa causa; contra sobrietatem autem, quia se tali modo illo privat. *Nec obstat* quod liceat per somnum se usu rationis privare; tum quia hæc privatio violenta non est, naturæ repugnans, sed naturalis, institu[ta] ab auctore naturæ,

turæ ; ad restaurationem virium & spirituum animalium ; tum quia per somnum potentia utendi ratione non ita tollitur , quin homo usum rationis statim post somnum recuperare possit , sicque semper possit expeditus esse ad agendum humano modo , id quod non potest ebrius . Dixi : *Saltem, si diu privet usu rationis* ; quia *Ang. Tann. Fagund. Gobat* apud *La Croix num.* 327. universaliter loquendo , docent : Ebrietatem nullam esse mortalem , nisi privet diu usu & potentia rationis : hinc nemo damnat mortalis eum , qui subita ira , gyrando se , redditur rationis impos per Pater & Ave . Longum tempus Patri La Croix videtur esse hora . *Nec obstat*, inquit , quod usus rationis sit magnum bonum : nam multa bona in ordine superiore secundum se magna censentur, in certis circumstantiis absolute exigua . Videri de hoc post *Lugo de jure & justit. d.* 14. *num.* 24. At hæc non videntur tenere de ebrietate per potum inducta , quia non facile depellitur , nisi quis medium haberet , quo statim pelli posset .

Porro signa plenæ ebrietatis sunt Primum : Si quis ita perturbaverit usum rationis , ut inter bonum & malum amplius discernere non possit . 2. Si quis postridie non meminerit quid dixerit , egerit , quomodo domum redierit , &c. 3. Si ea fecit , quæ numquam integra mente solet facere , ut si turpia vel absurda locutus sit , cum aliis sit pudicus & prudens : si juraverit , blasphemaverit , vel familiam perturbaverit ; cum alias sit modestus & benignus . Si tamen cum his duobus postremis steterit discretio inter licitum & illicitum , non fuit plena ebrietas , etsi pedes vacillarint , &c. Ex his deduco sequentia : *Signa plenæ ebrietatis.*

Primo . In nullo casu excusatur a mortali , qui ex nimio potu propter voluptatem , vel sine rationabili causa cum plena advertentia se privat ratione ; quia id intrinsece malum est . 87. *Peccata contra sobrietatē.*

2. Pec-

2. Peccat graviter qui, etsi non intendens se inebriare, tantum bibit, quantum potest, non curans an sequatur ebrietas, vel non sequatur. 3. Qui probabiliter putat, vel suspicatur secuturam ebrietatem, & pergit bibere; quia exponit se ejus periculo, sicque eam vult interpretative. 4. Item si periculum advertere possit, & negligat; etsi privatio rationis sequatur post unam alteramve horam: potuit autem advertere, si prudens suspicio de ea inciderit, & se non resolverit prudenter. Vere docet S. Thomas, quod is, qui frequenter est ebrius, semper advertat, aut saltem possit & debeat advertere, adeoque semper peccat mortaliter. 5. Qui scit se exhausta una amphora solere inebriari, si domo exeat ad aerem, non vero si non exeat; potest quidem amphoram sine gravi peccato bibere, si habeat firmum propositum non exeundi, illudque soleat servare; secus non potest. 6. Si experientia scit, si vigesies v. g. adeat certam domum, consortium, vel hoc modo bibat, se solere decies circiter inebriari, peccat quoties facit sine nova cautela, licet forte non inebrietur; quia exponit se formali periculo, saltem probabili, se inebriandi. 7. Mortale est se inebriare fumo, tabacco, cubando in lupulo, quia sic etiam evertitur ratio & proxima ejus potentia. Hæc inebriatio specie distinguitur ab ea, quæ per potum inducitur: unde in Confessione explicanda foret. Idem est de eo, qui pane ex malignis granis confecto se ratione privaret. 8. Licet ad hilaritatem bibere; non licet tamen se inebriare ad pellendum gravem mœrorem, neque ad non sentiendum dolorem, si pes esset abscindendus; quia potus tantum est ordinatus ad sustentationem vitæ. An autem liceat ex præscripto medici se inebriare ad curandum gravem morbum, qui aliter curari non potest, controvertitur. Affirmant permulti probabiliter apud *La Croix l.* [illegible] *num.* 320- quia licet

licet inebriare ſe voluptatis cauſa ſit intrinſece malum abſolute , & in omni caſu , non tamen ſi fiat ad vitam conſervandam : ſicut licet ſit intrinſece malum ſibi manum vel brachium abſcindere , non tamen ſi id neceſſarium ſit ad conſervationem vitæ . Dein talis inebriatio eſt quaſi materialis tantum ; quia temperantia permittit hoc ſumere , quod ad vitæ conſervationem eſt neceſſarium , ut habet *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 141. *art.* 6. Hinc inferunt multi , licere ſe inebriare ſi quis ſtricto enſe mortem intentet , niſi ſe inebriet , immo cum *Gobat* multi docent , licere ſi aliter caveri non poſſit gravis morbus . At contradicunt alii , quia privatio rationis non eſt medium ex ſe ordinatum , vel medicamentum ad vitæ conſervationem , ſicut non eſt pollutio , & hinc nullo caſu licita ; immo , teſte Hypocrate , ebrietas eſt valde periculoſa corporis ſanitati , nec ratio allata videtur convincere ; quia pars minor majori , & utraque toti corpori ſubordinatur ex natura ſua , unde licet abſcindere partem , v. gr. brachium , ut ſervetur corpus : ſic enim agitur ſecundum ordinem naturæ . At ratio non ſubordinatur ex natura ſua vitæ corporis , ſed animæ : hinc ſi illa in bonum corporis deſtruatur , invertitur ordo naturæ . *Nec juvat* , quod amiſſio vitæ ſit malum phyſicum gravius , quam privatio rationis ad tempus ; quia amiſſio vitæ quoque eſt malum phyſicum gravius , quam pollutio : &tamen hæc ad vitam conſervandam non eſt licita ; quia non ordinatur ſemen humanum ad depellendum everſiva vitæ , ſed ad propagationem generis humani . Hæc ſententia probabilior eſt : pro qua affertur textus S. Auguſt. *ſermone* 32. *de tempore* , ſed incertum eſt an ſit S. Auguſtini ; in eo enim citatur Beda , qui floruit anno 751. S. Auguſtinus 420. adeoque hic 331. annis ante illum . Illi ſermones ſunt certo Auguſtini , quibus præfigitur , *Sermo S. Auguſtini* : ſi autem

unde

inde ponatur sermo v. gr. II. III. est dubie S. Augustini, quod semel pro semper notandum est. 9. Peccat graviter qui ex amicitia vel urbanitate alium invitat ad haustus, quibus probabiliter prævidet inebriandum; quia invitat ad aliquid intrinsece malum, quodque alter sine peccato facere non potest, eumque inducit in ebrietatem, aut saltem in probabile ejus periculum. Idem est de iis, qui alios ad æquales haustus provocant, cogunt, aut se invicem obligant; quia se, aut saltem alios conjiciunt in periculum probabile ebrietatis, si non statim saltem postea secuturæ; quod est grave, etsi prius in somno sequeretur. Similiter & illi, qui ebriosis vel ebrietati proximis vinum subministrant, vel non impediunt ne alius inebrietur, dum commode possunt. Quod si alter negato vino prævideretur v. gr. blasphematurus, permittenda esset ebrietas, utpote minus peccatum, quam blasphemia. Neque per vim est aliquis impediendus, nisi immineret extremum malum, quia vi impedire publicæ est potestatis. 10. Qui alium suasione ad potationes adducendo causat gravia damna prævisa, v. gr. ut labores suis necessarios negligat, aut sit impar solvendis debitis, tenetur ad compensationem iis quibus injuriam fecit. Qui autem suo exemplo ad ebrietatem alium adducit, peccat peccato scandali, nisi alius esset talis, ut absque eo se inebriaret. 11. Qui stultum, vel puerum, necdum rationis compotem, semel vel bis inebriat, non peccat graviter, quia non tollit rationem; si tamen sæpius faceret, ingeneraret malum habitum, noceretque ejus valetudini, peccaret proinde pro gravitate damni. 12. Peccat Judex inebriando reum, ut crimen eliciat, quia inducit ad ebrietatem, & formam juris non servat: unde non potest ex ea notitia procedere ad torturam, vel sententiam. Item qui inebriat damnatum ad mortem, ut dolorem non sentiat; quia hic nec est finis potus, nec adest causa suffi-

ciens tollendi rationem, tum maxime necessariam. 13. Qui injuste detinetur in carcere, licite quidem offert custodibus vinum, quo prævidet inebriandos, ut ipse fugiat; quia non cooperatur formaliter ad eorum inebriationem, nec ad peccatum formale, si præter intentionem suam inebrientur. Idem est de eo, qui ob rationem gravissimam, v. gr. ad detegendam proditionem urbis ab altero vult elicere secretum, quod is tenetur revelare; an autem possit inducere ad ebrietatem (non formalem quidem, seu voluntariam ipsi, quod numquam licet) sed materialem, seu ipsi non prævisam & involuntariam, iterum non convenit inter AA. Affirmat *P. La Croix l. 5. num.* 342. forte ex hac ratione, quod probabiliter liceat inducere ad peccatum minus non ut peccatum est, sed ut impeditivum majoris: custodes autem peccant saltem magis materialiter, injuste detinendo innocentem, quam se inculpabiliter inebriando: negat tamen licere si quis juste detineretur in carcere, seo quod induceretur ad aliquid de se malum sine causa rationabili. At alii negant id licere in ullo casu, quia esset inducere ad aliquid intrinsece malum, quod licet *Layman* dicat non esse scandalum activum, attamen non videtur licitum, saltem probabilius.

Remedia contra gulam.

PRimum. Vita quoad potes irritamenta gulæ, ut sunt ciborum suavitas, varietas, & condimenta; si non potes, non fruere, sed utere cibo, usum ejus referendo ad honestum finem. 2. In mensa tibi semper aliquid subtrahe, præsertim palato gratius, quod adhuc licite posses sumere: sic disces te vincere, & gratiam augebis. 3. Semper in potestate plena contine appetitum: hinc si major sit propensio, non nihil cessa, vel sume tardius: senties ex hoc a Deo solatium. 4. Cogita quam turpe sit volu- 88. *Quid consulendum contra gulam?*

voluptati cum bestiis communi servire: hæ nec fustibus adigi possunt ad plus sumendum, quam natura postulat. 5. Quot mala ex gulæ vitio! Corpori morbos, menti tenebras affert: sancta desideria extinguit, carnem facit rebellem spiritui, luxuriæ fomenta subministrando. Quis hostem suum contra se roboret? 6. Cogita quam vilia sint, quæ appetuntur: & quo tandem superflua abeunt? 7. Propone tibi exemplum Christi & B. V. & considera quam modeste, quam moderate, quam vulgari victu contenti & usi fuerint. 8. Et præcipuum: Expende tempore, quo famem & sitim non experiris, præteritas experientias, commoda & incommoda, ex quantitate & qualitate victus; superfluum proinde subtrahe & vita, quæ expertus ex noxia, nec umquam te sinas voluptate a præscripto abduci. Si gula provocet, cogita: si modo cedo, fiam debilior ad vincendum; si non cedo, gratum Deo offerro sacrificium, cui si tantillum negem, merito negabit mihi gratiam ad vincenda graviora. Hæc exigua mortificatio nec vitam auferet, nec nocebit valetudini. Si contingat te vinci, erubesce quod tam exiguæ voluptati succubueris, & per severiorem abstinentiam vindica. Pro quantitate victus statuenda, expedit etiam sibi plus subtrahere, dum experientia doceat quæ quantitas necessaria, quæ superflua sit ad functiones ordinarias. 9. Si honestæ, vel recreationis, vel societatis gratia tibi vis plus indulgere, ut crapulam & excessum vites, primum bibe tarde, ut stomachus non obruatur, sed roboretur, ad convertenda dona Dei in bonum; deinde explora quandoque, an non jam incalescat nimium sanguis? An caput adhuc serenum, an adhuc appetitus subsit rationi; aut contra jam incalescat, sisque debilior ad eum continuandum? Si hoc? Frœnum injice. Demum dum forte exhilarescis, cave ne te effundas, & appetitus te supplantet. Experientiam consule. Turpe est donis Dei abuti.

abuti. Proinde *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Gen. 4.

QUÆSTIO VI.

Quid de ira, & ex ea consequente maledictione & blasphemia?

RESP. I. Ira generice est appetitus vindictæ. Hæc sine peccato & justa esse potest; ut si parens filii, superior subditi, magister discipuli delictis cum moderamine irascatur, eaque arguat, vel puniat. Accepta vero specifice est appetitus inordinatus vindictæ. Hic inordinatus esse potest vel ex parte modi, ut si expetatur vindicta nimis excandescendo; vel ex parte objecti, si nempe expetatur, vel sumatur vindicta sine justa causa, aut auctoritate legitima, vel justo gravior, vel ex mera libidine vindicandi & satiandi animum malevolum. Prima ordinatio est plerumque tantum veniale, posset tamen fieri mortale, si ira in furorem vel insaniam excrescere sineretur: ut si quis sciens & volens ita habenas iræ laxaret, ut erumperet in enormes gestus, clamores, spumas, membrorum contusiones, vel ut privaretur ratione. Altera inordinatio est ex genere suo peccatum mortale repugnans charitati, & quandoquæ justitiæ: charitati quidem, quatenus vel ex odio, vel ex mera libidine vindicandi proximo malum optatur, aut infertur; justitiæ autem, si vindicta sumatur sine justa causa, aut justo major.

89. Quid sit ira, quando, & quale peccatum?

Resp. II. Filiæ iræ sunt hæ: Prima est indignatio, quæ est aversio a proximo, eo quod indignans apprehendat se indigne ab eo tractari; quæ tamen, si ex justa causa & cum debito moderamine fiat, potest esse sine culpa. 2. Est tumor mentis, quæ est cogitatio, varios vindicandi modos exquirens, & iram coquens, qua me[...] quodammodo intumescit.

90. Filiæ iræ.

3. Est

3. Et rancor, quæ est aversio perseverans, seu vetus. Ex ira & his sequuntur alia peccata externa, ut contumelia, qua quis alterum dehonorat, v. gr. in faciem aliquid cum ejus dehonoratione illi objiciendo, aut etiam absentis litteras lacerando, vel comburendo. Item calumnia, qua quis alteri falsum crimen vel defectum imponit. Item irrisio, illusio, subsannatio, de quibus supra; denique maledictio & blasphemia. Maledictio est dira imprecatio, qua quis alteri optat malum sub ratione mali. Blasphemia est convitium vel contumelia in Deum, ut si quis Deo tribuat falsa, vel neget vera, vel tribuat creaturis quæ Deo debentur, vel etiam dicat vera quæ ad ejus dehonorationem vel vilipensionem tendunt, v. gr. per modum ei indignantis, contemnentis, vel expostulantis contra eum; vel usurpet verba, quæ hic & nunc continent, vel judicantur continere imminutionem reverentiæ erga Deum, seu vilipensionem excellentiæ divinæ, etsi directe non intendat Deum inhonorare.

91. *Quomodo examinandus se accusans de maledictis?*

Resp. III. Si quis se accuset de maledictione seu dira imprecatione mali, vel blasphemia, 1. Interrogetur quibus verbis sit usus: rudes enim confundunt blasphemiaam cum imprecatione, & hanc cum juramento: immo si diabolum nominaverint, aut alium ignominioso nomine compellaverint, dicunt se maledixisse. 2. Si vere imprecatus fuerit, exponat quibus, an rebus inanimatis, an pecoribus, an hominibus? Quo animo? An voluisset ut eveniret? An in faciem, an coram aliis, an multis, an uni? ex animo; quæ mala? Quamquam hoc necesse non sit, si in mala, tetenderit præcise sub ratione communi mali, ut sæpe fit; nisi tamen illa mala voluisset inferre si potuisset. Ratio horum est, quia diversimode peccatur diris imprecationibus.

92. *Quomodo*

Primo namque si quis ex ira vel impatientia rei inanimatæ imprecetur v. gr. ligno, lapidi, ad

ad quem offendit, vel labori ex voto non succedenti, per se veniale tantum est contra mansuetudinem. 2. Qui ex ira vel impatientia optat: Utinam non essem natus; fuissem factus brutum; vel: Maledictus dies, quo natus sum; vel, Quo te primum vidi; vel, Te conjugem accepi, peccat graviter, si deliberate intendat optare sibi vel alteri homini malum; essetque blasphemia, si fieret cum relatione, vel indignatione ad Deum: si autem tantum intenderet maledicere diei nativitatis, v. gr. vel conjugii, quia causa est tot malorum, culpæ, vel pœnæ, per se videtur tantum fore veniale, quia censetur tantum velle significare diem illum valde infelicem; immo posset esse nullum, si cum moderamine fieret. Sic Job maledixit diei nativitatis suæ. 3. Qui maledicit pecoribus sine animo ut eveniat, per se quoque peccat tantum venialiter; si autem ex animo, ut vel sibi vel alteri grave malum ita eveniat, peccat graviter; nisi impetus plenam advertentiam vel deliberationem prævertat. 4. Homini imprecari grave malum ex animo, v. gr. diabolus te rapiat, fulmen te percutiat, est mortale, & sæpe non tantum contra charitatem, sed etiam contra justitiam: ut si effundatur maledictio gravis in præsentem, cum gravi ejus dehonoratione. Malum tamen leve tantum sine gravi dehonoratione imprecari, solum veniale est. 5. Si pater filio, herus ancillæ, vel famulo sine animo ut eveniat, imprecetur, modo absit gravis læsio honoris, vel grave scandalum, culpam etiam venialam per se non excedit, immo nec si extraneo fieret, 6. Qui ex ira devovet se dæmoni, etiam sine animo ut eveniat, non excusatur a mortali per se loquendo, quia nimia fœditas & perversitas in eo apparet, ita ut natura exhorreat audientis. 7. Si filius maledicat parenti vel avo in faciem, peccat graviter etiam contra pietatem, etsi faciat sine animo ut eveniat. Idem est si fiat iis, quo quis loco parentum

peccetur diris imprecationibus?

tum habere debet, vel superiori a subdito. Item, per se loquendo, si conjugi a conjuge. Si vero fratri vel sorori a fratre, sæpe non nisi veniale est contra pietatem, etsi mortale contra charitatem, si ex animo fiat, esse possit. 8. Ex ira nominare diabolum sine imprecatione parum decet Christianum, & posset esse grave ratione scandali si abeat in consuetudinem. 9. Imprecantes, etsi sæpe excusentur a gravi culpa propter inadvertentiam, vel defectum seriæ voluntatis, & verbis imprecatoriis utantur quandoque tantum velut interjectionibus ad significandam iram, vel ad terrendum alios; sunt tamen dehortandi ob indecentiam. Immo parentes liberis suis præsentibus oretenus gravia mala, etsi sine animo ut eveniant, sæpe & quasi per consuetudinem imprecantes, peccant graviter, si non emendent consuetudinem illam: quia suo exemplo docent illos sibi invicem & aliis male precari, faciunt contumaces, inobedientes, tollendo illis æstimationem parentum & reverentiam, quod grave malum est; unde frustra parentes pro excusatione obtendunt liberorum inobedientiam, hujus enim tales sunt causæ. 10. Imprecatio etiam continere potest blasphemiam, ut si quis dicat: Perdant te Sacramenta, sanguis, vulnera, mors Christi, & similia, quæ ad animas non perdendas, sed salvandas pertinent: in his enim magna contra Deum apprehenditur irreverentia, etsi sine animo ut malum eveniat proferantur; unde qui talium verborum consuetudinem habent, tenentur sub mortali conari illam emendare, secus incapaces sunt absolutionis. Si quis tamen ex ira, non indignando contra Deum, unde nominet v. g. sacra Dei, septem Sacramenta, mors Dei, absitque scandalum grave, nec importetur ex circumstantiis vilipensio Dei vel divinorum, est usurpatio vana divini nominis, & grave veniale; at quia raro abest scandalum, & apud audientes censetur Deus & divina inhono-

Quando contineat blasphemiam?

honorari; sæpe a mortali non excusantur. Unde ordinarie si loquens advertat ad vilipensionem, quam verba illa præseferunt, peccat graviter: si semiplene tantum advertat, erit veniale defectu libertatis plenæ: si nullo modo, nullum erit peccatum, sed motus primo primus: manet tamen obligatio gravis consuetudinem emendandi: immo si quis ex joco proferat verba blasphema, non intendendo directe inhonorationem Dei; si tamen cum joco illo apud audientes conjuncta sit inhonoratio Dei, manet, & est blasphemia. *Tamb. l. 2. c. 6. p. 4. n. 5.* Qui tamen, ne blasphemet, dimidiat, vel parum immutat verba, v. g. dicendo pro pessima illa blasphemia, Mort Dieu, dicit marjus, non blasphemat quidem, quia non significat Deum vel sacra cum vilipensione; posset tamen peccare ratione scandali & impatientiæ. Circa hanc materiam notandum, interrogandos esse pœnitentes, etsi merito censeantur non habuisse affectum malum, ut, quod apprecantur malum, eveniret, an frequenter imprecentur? ut advertatur an habeant consuetudinem? quam aliqui per plures annos confitentur, non adhibendo conatum ut emendent, proinde propositum non habent, nisi forte languidum & inefficax.

Resp. IV. Si pœnitens se accuset de verbis contumeliosis, vel conviciis, exponere in primis debet personas, quas iis impetivit. Nam 1. Si mulieres, pueri, infimæ sortis homines se conviciis impetant, appellando se sagas, meretrices, adulteras, nebulones, &c. communiter non peccant graviter; quia dicentes non ita sentiunt, nec intendunt inferre gravem infamiam; audientes autem non credunt similibus verbis, quia advertunt ex passione dici. *La-Croix l. 3. p. 2. num. 1124.* 2. Si parens filio, superior subdito animo corrigendi, humiliandi verbum contumeliosum objiciat, & modum correctionis non excedat, nec subditus gravius dehonore-

93. *Quid, si se accuset de contumeliis?*

noretur, quam per delictum mereatur, peccatum non est. Sic Christus Discipulos euntes in Emmaus, vocavit stultos, & Apostolus Galatas insensatos. 3. Si contumelia sit parva tantum, vel sine animo dehonorandi; nec sequatur læsio magna honoris proximi, est tantum veniale: & sic excusantur a mortali parentes multi, qui filios vocant asinos, &c. Si joci causa & per convenientem recreationem leves defectus objiciantur, secundum *D. Thom.* 2. 2. *q.* 72. *a.* 2. est urbanitas, modo alter non contristetur, aut ad iram moveatur. 5. Si autem graviter proximus dehonoretur, grave peccatum erit. Et sic graviter peccant etiam parentes, qui suas proles passim vocant diabolos, sagas, &c. præsertim quia eas exasperant, faciunt rebelles, suo exemplo trahunt ad imitandum, quod grave malum est. Porro qui per contumeliam alterius honorem læsit, tenetur hunc reparare, etsi fama non sit læsa. Illud autem fieri potest per amicam salutationem, per amicabilem conversationem, exhibitionem honoris, petitionem veniæ, &c.

Remedia contra iram, maledictiones, blasphemias, &c.

Quid dicendum iracundo? PRimum: Propone tibi exemplum Dei. Quot injuriis in horas singulas lacessitur? & tamen quam benigne, quam clementer nos tractat, quot beneficiis coronat etiam inimicos suos peccatores? Adversa, quibus punit, optat a nobis converti in bonum nostrum, &c. Si toties feriret, quoties meremur, ubi essemus? 2. Exemplum Christi. Quam ille mansuetus, quam humilis a nativitate usque ad mortem? Quam benigne egit cum rudibus, cum persecutoribus suis, calumniatoribus? *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* 3. Cogita non posse fieri, ut non occurrant molesta, injuriosa, ignominiosa, &c. Ubi homines,

ibi infirmi; ubi infirmi, ibi defectus. Numquid & tuos habes, quos ferre debent alii? Si infirmo serviens ab eo delirante, vel aberrante offendaris, non irasceris, sed compateris. Proximus tuus, liberi tui, contubernales infirmi sunt, cæci, ignari, reflectere ad omnia non possunt. 4. Ira te reddit ineptum ad rite fungendum munere tuo, ingratum proximo, alios a te avertit, impedit illustrationes Dei, & fructum in proximo. Contraria omnia habet mansuetudo, irarum moderatrix: *Docebit mites vias suas.* Psalm. 18. *In mansuetudine perfice opera tua, & super gloriam hominum diligeris.* Eccl. c. 3. 5. Dum iram oriri sentis, dic: Mansuetissime Jesu, amo te! & iram suaviter supprime, aut si non potes, cede loco, vel mentem ad aliam converte, discursum alium incipe, &c. 6. Esto corde humilis, verbo suavis, operare pacate, sine præcipitantia, & pertinacia consequendi quod intendis: hæc enim; re non succedente, ad iram movet. 7. Accessurus ad tractandum cum aliis, memento in multis tibi contradicendum cum tuo etiam contemptu, & præpara animum ad patientiam amore Christi. 8. Cogita qualem cupias erga te proximum, & talem te illi exhibe, irato responde suaviter: *Responsio mollis frangit iram.* 9. Animo ne umquam coquas iram, etiam contra te ipsum ob defectum admissum; quia animo sic comparato facile contra alios impinges. Lapsus dole, defectum compensa, & concepta in Deum fiducia acquiesce. Hæc eadem contra imprecationes, blasphemias, & convicia valent. Domita enim ira, ista vix consequentur. 10. Maledicis præterea exponenda turpitudo maledictionis, scandala, & damna etiam temporalia inde eventura: *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* Deus non intendit nobis, nisi benedictionem; & nos invicem nobis maledicamus? Lingua nobis data ad Deo benedicendum;

Quid maledicês?

 quo-

cuomodo lingua, in qua toties habes diabolum, Deo benedicis? Quomodo eadem audebis Christum suscipere? &c. His, si consuetudinem habeant, pœnitentia saltem per modum consilii injungenda, ut usque ad Confessionem proximam singulis diebus mane proponant non maledicere illo die; sique maledixerint, percutiant pectus, & doleant, &c. 11. Blasphemis autem enormitas maxima exponatur, qua, velut a vipera, invaditur ipse Deus a vili homuncione, sed raro sine vindicta, etiam in hac vita; jubeatur vitare occasiones v. g. lusum, &c. sique consuetudinarius est, indies vesperi examinare conscientiam, mane & sæpius per diem invocare auxilium Dei, & proponere firmiter non blasphemare, sæpius repetere *Gloria Patri &c.* Si autem non ex prava consuetudine, sed ex alia occasione bis terve blasphemavit in mense, injungatur illi nihilominus gravissima pœnitentia: sic enim mandat Concilium Lateranense his verbis: *In foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ reus, absque gravissima pœnitentia, severi Confessoris arbitrio injuncta, possit absolvi.* Hoc exponat Confessarius pœnitenti, injungatque pœnitentiam convenientem, quam judicat & posse præstari a pœnitente, & præstandam esse. Tales possunt esse frequens Confessio, jejunium certis diebus in pane & aqua, eleemosyna, humilis deosculatio mane & vesperi terræ per octiduum, frequens actus fidei & contritionis, &c. Quod si pœnitens ab ultima Confessione serio conatus est consuetudinem emendare, excitandus est ut serio pergat, etsi semel iterumve relapsus sit. Si autem aut nullum aut exiguum emendandi conatum adhibuit, neque præsefert magnum animum præscriptis utendi mediis, differenda est illi absolutio.

Quid Blasphemis?

QUÆSTIO VII.

Quid in Confessione circa acediam sit advertendum?

RESp. I. Acedia late sumpta est quodvis tædium, seu animi remissio in exercitio virtutum, ob laborem, molestiam, vel difficultatem illis adjunctam, citra vilipensionem tamen virtutis in se: ut si quis tristetur, quod in frigore debeat interesse Sacro, in quadragesima abstinere a carnibus, aliove præcepto mere positivo obligetur, & ideo languide satisfaciat; seu ob difficultatem, quæ in eo reperitur, seu ob amorem commodi vel lucri, quod in opposito apprehenditur. Sic sumpta, acedia est vitium generale, oppositum omni virtuti, cujus exercitium remisse ex illa peragitur. De se est tantum veniale; fit tamen mortale, si ex illa omittatur, ad quod est gravis obligatio; v. g. die præcepto Sacrum. 95. *Quid Acedia?*

Resp. II. Acedia specifice accepta est tristitia & tædium de amicitia Dei apprehensa ut mala; quia per laboriosa virtutum exercitia & voluptatis mundanæ fugam quæri & conservari debet: ut si quis tristetur, quod sub pœna damnationis teneatur gloriam Dei per mandatorum observationem procurare, velut finem ultimum; vel quod ad Deum, velut finem, creatus sit, debeat ei per fugam voluptatum adhærere pro consequenda felicitate. Hæc est peccatum ex toto genere suo mortale, utpote directe opposita amori benevolentiæ erga Deum. 96. *Quale peccatū?*

Resp. III. Filiæ acediæ sunt, 1. Odium spiritualium, quo quis vellet ea non esse, contemnit Dei beneficium, v. g. vult se non agnovisse Christum, exigentem abnegationem sui pro consequenda felicitate; se non esse vocatum ad religionem, ob difficultates in ea superandas. 97. *Ejus filiæ.*

2. Pusillanimitas in aggrediendis illis, quæ ad Dei obsequium spectant. 3. Desperatio de superandis difficultatibus & consequenda salute. 4. Rancor seu indignatio adversus eos, qui ad virtutem inducunt, & fervorem exigunt. 5. Torpor seu languor animi, in implendis præceptis. 6. Evagatio mentis in oratione, aliisque exercitiis spiritualibus; quorum gravitas tum ex objecto, tum ex affectu, quem inducunt, consideranda est.

Remedia contra acediam.

93. *Quid suadendum contra acediam.* PRimum. Considera quanta fecit pro gloria Patris, & salute animæ tuæ Christus Salvator & Rex tuus, tui non indigens; & tu parvi pendas? 2. Quidquid Deus operatur ad extra, ad animarum nostrarum salutem operatur, omnia desideria ejus, omnis cura providentiæ, omnes misericordiæ effectus eo tendunt, ut eum amemus & colamus, sicque salvi fiamus: an non meretur amorem & obsequium hæc paterna cura & affectio? 3. Quam exiguus, quam brevis labor a te exigitur pro immensa & æterna mercede? An non omni confusione dignus es, si ne illum velis pro felicitate tua impendere? 4. Actio minima pro Deo facta millecuplo plus valet, quam omnia Heroum facinora pro vanitate suscepta: fatigas te pro vanis? quid non convenit facere pro æternis bonis? 5. Quid sentires de servo tuo, qui pro ampla mercede negligenter serviret? Et tu negligentius servias Deo, tanta præparanti; quam mundani serviant dæmoni offerenti mendacia? 6. Tepidus injurius est Deo, diffamat ejus servitutem, quasi non mereretur obsequium, aut mercedem justam non præparasset: dedecori est Christo, cui minus ferventer servit, quam mundo. 7. Inter duo extrema es: eris, aut æternum felix, aut infelix: si tepidus, in summo es damnationis periculo; nam *maledi-*

ctus,

ctus; qui facit opus Dei negligenter. Jeremiæ cap. 48. *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Apoc. 3. Demum revoca in memoriam peccata tua, brevitatem vitæ, rigorem judicii, inferni supplicia, & agnosces necessitatem excutiendi teporem.

CAPUT II.

Quæ in Confessionem puerorum, & utriusque sexus adolescentum & juvenum Confessario sint observanda?

MAsculi dicuntur usque post tertium annum infantes, pueri ad annum duodecimum, quo incipit prima lanugo crescere, completum: deinde adolescentia ad vigesimumsecundum, quousque corpore in longitudinem crescunt: post vigesimumsecundum dicuntur juvenes a juvando, eo quod apti tunc sint ad labores perferendos: post trigesimum dicuntur viri a viribus jam robustis: post annum quinquagesimum incipiunt vires deficere, præsertim ab anno sexagesimo. His temporibus sunt senes. Anno octuagesimo senes decrepiti. Sic pariformiter loquendum de femellis, quæ usque ad annum duodecimum dicuntur puellæ, seu pueræ; hoc enim anno completo sunt nobiles: deinde dicuntur adolescentes, mulieres, &c. Jurisconsulti infantes appellant septimum annum necdum egressos, pupillos ad annos pubertatis, seu matrimonio aptos: ab anno decimooctavo adolescentes: a vigesimoquinto juvenes. His præmissis sit 99. *Qui infantes, pueri, adolescẽtes, &c.*

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ circa pueros & puellulas observanda?

100. *Usus rationis exponitur.* RESP. I. Sequentia: Primo, Ante usum rationis nemo capax est meriti & demeriti, seu peccati. Est autem usus rationis, de quo hic sæpe dubium est, in actu primo spectatus, seu potentialis capacitas ferendi firmum & constans indicium de objecti, vel actionis, aut omissionis bonitate & malitia morali: in actu secundo, seu actualis, est cognitio intellectus de bonitate & malitia morali, procedens ab homine in tali statu, ut firmum possit constansque de illis judicium ferre: hoc si ferat, erit usus rationis actualis perfectus; secus imperfectus, qualis est in semisopito. Unde ad usum rationis sufficientem ad merendum & demerendum non sufficiet quæcumque cognitio intellectus; cum etiam amentes & ebrii intellectu utantur: neque quicumque discursus, quia dormientes quandoque discurrunt, disputant, concludunt; & tamen usum rationis non habent requisitum ad bene vel male moraliter agendum, ut fatentur omnes; quia deest firmi judicii potentia de moralitate: intellectus enim ligatis per quietem sensibus & cerebro, non est in statu, in quo possit consultare in utramque partem, & insistere satis objecto alicui dijudicando, & fluctuat nimium, sicque deficit facultas eligendi. Resistit quidem non raro homo tentationibus in somno; verum eo sufficit apprehensio excitata per horrorem peccati, in vigilia conceptum? aut si adsit quandoque forte cognitio indifferens de honesto & inhonesto, est illa valde languida & insufficiens, ut deliberate procedatur: unde, licet talis resistentia indicium sit animæ peccata valde aversantis, tamen meritoria non est. 2. Pueri usum rationis moralem prius adipiscuntur in quibusdam ma-

magis aperte honestis vel inhonestis ; quam in obscurioribus , & magis reconditis , uti experientia docet ; id quod etiam in aliis quoque locum habet : immo quidam in una materia delirant ex vehementi imaginatione vel affectu , usum rationis eripiente , & in aliis sunt prudentes : uti refert *Sanchez* de quodam Pastore , qui in ceteris prudens , delirabat in eo quod timeret , ne cogeretur fieri monachus , ideoque rogabat per chirographum fidem sibi fieri , se ad id cogendum non esse . Ratio autem hujus est : quia pro diversa affectione & impressione diversæ imaginationis diversa oritur alteratio & dispositio principii sensorii , seu cerebri ; & hinc firmum potest esse judicium & consultatio in una materia , & non in altera . 3. Verosimilius pueri quoque potentiam usus rationis obtinere possunt prius ad peccatum veniale , quam ad mortale sufficientem : fieri enim potest , ut puer unus , immo & adultus in certa actione apprehendat malitiam gravem ; alius vero levem tantum . Eo modo fieri potest , & fit , saltem aliquando , ut puer agnoscat in materia alias gravi prius malitiam ut levem , quam ut gravem : sicut enim qui habet oculos debiles , montem videt quidem , sed illi non apparet tantus , quantus habenti oculos sanos & acutos : ita propter insufficientem organorum dispositionem ex copia humoris cerebro innatantis puer potest advertere malitiam aliquam in objecto , quin possit advertere esse gravem . 4. Signa usus rationis ad peccandum , saltem venialiter , sunt sequentia . Primum : Si Peccata sua distincte explicent , quæstiones a Confessario propositas bene percipiant , ad illas apte respondeant . 2. Si pudefiant ob mendacium , vel actum turpem commissum . 3. Si magni faciant obedientiam & pietatem , sciant quæ bonis , & quæ malis eventura sint . E contra , si nihil per se dicere possint , vel recitent quædam tamquam narratiunculas pueriliter , aut formu-

Signa usus rationis.

las tantum a parentibus ipsis inculcatas, vel ad omnes quæstiones affirmative respondeant, etsi sint ante propositis contradictoriæ: si digitis ludant in clachris, si sæpe respiciant ad ea quæ extra geruntur, si pileo vel rosario gesticulentur, indicia sunt usus rationis necdum obtenti. Putat quidem *Gobat*, in Germania puellas post annum octavum, & pueros post nonum & dimidium prius adipisci ordinarie usum rationis. At rectius *Layman* ait, id non ex sola ætate, sed multo magis ex ingenii & educationis qualitate, aliisque indiciis colligendum esse: nam fiunt maturi prius in Regionibus calidioribus, quam in frigidioribus; etsi non omnes æqualiter, sed pro diversa corporis dispositione: non secus, ac fructus in uno loco prius, quam in alio, maturescunt.

101. *Pueri adepti usum rationis statim tenentur lege naturali; non tamen positiva humana ante septennium.*

Resp. II. Quia pueri ordinarie annum septimum potentiam utendi ratione non consequuntur, licet, si maturius eam obtineant, teneantur legibus naturalibus, utpote quarum obligatio per lumen naturæ, sic exigente recta Reip. rationalis gubernatione, intimatur; non tamen legibus humanis mere positivis ante completum annum septimum: quia Legislatores humani non censentur velle obligare, nisi secundum ea quæ communiter contingunt: communiter autem ante annum septimum usus rationis ad obligationem gravem sufficiens non adest. Ubi autem hunc usumque rationis, & discretionem legi proportionatam adepti sunt, iis, nisi specialiter excipiantur, ut fit in lege jejunii, obligantur. Ratio est; quia ubi lex tempus non determinat, statim incipit obligatio in subjecto ejus capace, ne elusioni sit locus. Unde in tali casu tenentur abstinere a carnibus diebus vetitis, interesse Sacro diebus festis. Dixi: *& Discretionem proportionatam*; putant enim aliqui apud *Illsung. Tr. 1. disp. 2. n. 18.* Præceptum de annua Confessione & Communione obligans omnes, ubi ad annos discretionis venerint, intelli-

telligendum esse de speciali discretione proportionata illis Sacramentis. Hinc censent, pueros non obligari ad annuam confessionem ante annum ætatis nonum, vel decimum, & ad Communionem nonnisi post annum undecimum; eo quod ante illam ætatem, saltem in Germania aliisque locis frigidioribus, proportionatam discretionem non habeant. Verum, si periculum non sit irreverentiæ, satisque sint instructi & dispositi, quod curare & judicare debent Parochi, per se loquendo tenentur legibus illis, ubi post annum septimum adepti sunt usum rationis; quia non est fundamentum solidum eos eximendi. Quia tamen sæpe est dubium de sufficienti dispositione, ut debita cum reverentia Communionem accedant, hinc praxis in his partibus habet, ut ante annum nonum, decimum, undecimum ad illam non admittantur pro diversa puerorum educatione & docilitate. Pueris tamen in articulo mortis constitutis, si usum rationis habeant, possintque instrui, danda Communio pro viatico est, etsi annum decimum non attigerint, sed vix septimum aut octavum egressi sint; quia sunt præcepti & peccati mortalis capaces, egentque effectu & robore Sacramenti illius, ob quæ hoc potissimum in agone per modum viatici sumitur. *Ita Suar. Tamb. & alii:* Dixi, *præceptis humanis*. Nam divinis tenentur, ubi usum rationis habent, & discretionem proportionatam. Denique pueri etiam peccati mortalis capaces contra legem Ecclesiasticam graviter peccantes probabiliter non incurrunt censuras Ecclesiasticas ante annos pubertatis. Excipe excommunicationem ob percussionem Clerici, & ingressum Monasterii Monialium; itemque irregularitatem ob homicidium, quia de his jura aliter statuunt. Vide *La Croix l. 7. num.* 41.

Quando pueris viaticum sacrum dandum.

Non incurrunt censuras.

102. *Examen puerorũ.*

Resp. III. Permittantur pueri primum ipsi sua peccata explicare; in quo si deficiant, præ-

sertim si notentur doli capaces, juvandi sunt per has similesque quæstiones, prout expedire videbitur. Primo, An Dominicis & festis diebus devote interfuerint Missæ Sacrificio? An in eo garriverint, & per notabile tempus fuerint petulantes in templo? 2. An fuerint obedientes parentibus, vel præpositis? An alios ignominioso nomine compellaverint? An rixati? An senioribus illuserint? An mentiti, juraverint per animam? 3. An mane & vesperi, ante & post mensam oraverint? An neglexerint Catechismum, an eo attenderint? 4. An non aliquid abstulerint, aliis fuerint invidi, malum faverint? Si puer appareat audacior, interrogari poterit: An non indecentes insolentias exercuerit in lecto, vel alibi? Si fateatur, interrogari poterit, caute tamen, de verberibus & tactibus in nudo corpore. Hæ insolentiæ initium sunt seductionis. Si peccatum veniale etiam ex gravioribus afferat, v. gr. furtum, mendacium, excedit interrogare, an hoc frequenter fecerit; ut sic paulatim addiscat, numerum in gravioribus esse explicandum. 5. Quando prudens est suspicio, an non operati sint cum conscientia peccati mortalis, ubi per se alias veniale tantum foret, interrogentur quo dictamine processerint: contingit enim aliquando pueros peccare mortaliter in materia de se levi: quia perperam instructi, aut a levibus sub pœna inferni sunt deterriti: contingit etiam, ut in materia gravi tantum peccarint venialiter; quia malitiam tantum in confuso vel ut levem apprehenderunt. In dubio de hoc possunt interrogari, an putaverint se per id mereri infernum? Hoc si affirment, sintque perfectæ rationis capaces, indicium est quod exercite apprehenderint malitiam gravem. Si notetur, quod puer materiam gravem non apprehenderit, necesse non est petere numerum. Ceterum caveat Confessarius, ne nimis sit in examinando, ne pueri concipiant horrorem Confessio-

nis.

nis. Si puer videatur pudibundus, & suspicio aliqua sit reticentiæ, doceatur peccata non esse reticenda ex pudore, ea esse nota Deo & Angelo Custodi: Confessarium non posse de ullo loqui, quod in Confessione audivit: Confessionem, si grave peccatum teneatur, obfuturam graviter animæ, & tamen peccatum postea confitendum esse.

Resp. VI. Sicut pueri, si laudabiliter in aliquibus se habuerint, laudandi sunt, & animandi ut pergant se bene habere; ita, ubi errasse constat, deterrendi sunt suaviter a peccatis, v. gr. dicendo quod hæc animam fœdam reddant instar diaboli; gratia vero & virtus Angelo similem: quod Deus sit ubique præsens, & omnia clarissime videat: velit bonos præmio æterno coronare; malos vero suppliciis plectere sempiternis, eumque mandare ut peccata fugiamus; parentibus præstetur obedientia; fugiantur mali socii, &c. Proderit quoque contra peccatum quod confessi sunt, adducere exemplum breve, & hortari ut pro emendandis peccatis & bona vita instituenda quotidie modica saltem prece venerentur B. Virginem & Angelum suum Custodem, exponendo paucis illorum in nos amorem & studium. Hæc adhibeat Confessarius, prout prudentia in Christo ipsi dictabit, certus præstari a se Deo obsequium gratissimum: quod enim teneris puerorum animis inseritur, hæret, & suo tempore fructum feret. Et quamquam rationis necdum capaces absolvi non possint, fructumque Sacramenti percipere; utiliter tamen, ab anno saltem septimo, audiuntur: quia sic discunt verecundiam errata confitendi vincere, modumque confitendi; intelligunt quomodo Missa audienda, preces persolvendæ, mali socii vitandi, parentes honorandi, &c. 103. *Ad quæ excitandi pueri?*

Resp. V. Si puer peracta Confessione videatur compos rationis, aut de illo dubium sit, Primo, jubeatur elicere actus fidei, spei, charitatis, 104. *Quomodo pueri*

excitandi ad dolorem? tatis, & doloris. Si sciat, interroget Confessarius an etiam elicuerit dolorem, antequam subierit confessionale? Id quod etiam in rudibus observandum; quia ante quandoque obliviscuntur, & in confessionali recitant formulas sibi inculcatas, instar psittaci, sine vero actu interno: qui, quomodo eliciendus sit, docendi sunt, si videantur ignorare. 2. Si non sciant elicere actum fidei, præeat Confessarius hoc vel simili modo: Fili! quid credis? Omnia quæ Deus revelavit, & Ecclesia Catholica credenda proponit. Cur ista credis? Quia Deus revelavit, qui est æterna sapientia & veritas, ideoque nec fallere, nec falli potest. Numquid credis, Deum esse unum tantum, & tres divinas personas? Credo. Quæ ex illis personis facta est homo, ut nos redimeret? Secunda. Quomodo vocatur Salvator noster? JESUS Christus. Quid passus, ut nos redimeret? Mortem Crucis pro nobis libenter sustinuit. Numquid ergo meretur a nobis amari? Meretur amari super omnia. Possumusne salvari sine gratia per Christum? Non possumus. Numquid hæc omnia credis, quia Deus dixit? Credo. Quis te creavit, conservat, & dat omnia? Deus. Cur? Ut illi serviam, & tandem salvus fiam. Quid Deus promisit, & paratus est dare illis, qui ipsi serviunt? Cælum. Numquid speras te venturum ad Cælum? Spero. Cur? Quia promisit Deus sibi servientibus: Deus est omnipotens, & fidelis; potest dare, & non potest negare quod promisit. Potestne aliquid melius esse, vel cogitari, quam Deus? Non potest: ille est summum & omne bonum; & ideo omni amore dignissimus. Quid faciet Deus illis, qui ipsum non amant; sed peccatis offendunt & inhonorant, Qui peccatum grave faciunt, & pœnitentiam non agunt, illos puniet infernali igne in æternum: illos vero, qui peccant venialiter, punit in hac vita, & in Purgatorii igne ad tempus, si hic non satisfecerint.

Vult

Vult ne etiam Deus nobis peccata remittere ? Ita, si pœnitentiam agamus, de illis doleamus, & confiteamur. Quis Sacramentum Confessionis instituit ? Christus, ut per ejus merita & gratiam nobis peccata remittantur. Numquid speras, tibi peccata per Christum remittenda ? Spero. Fili! Cogita nunc, possisne inferni vel purgatorii ignem sustinere ? Possesne per quadrantem digitum tenere in ardente candela, vel in ardente rogo jacere ? Non possum. Numquid ergo imprudenter fecisti, quod Deum offenderis, & merueris in altera vita tam graviter puniri ? Quod Deum Patrem tuum tam benignum, tam amabilem Redemptorem tuum, qui sanguine suo te redemit, qui dat tibi omnia, & paratus est tibi Cælum, & in illo se ipsum omne bonum dare, sic inhonoraveris & offenderis, illi tam ingratus fueris, Deum summum bonum injuria affeceris ? Imprudenter & male feci. Dole ergo fili, & detestare peccata tua, & dic: Utinam numquam Deum offendissem! Doleo ex toto corde, detestor peccata mea; in æternum non peccabo amplius. Bone JESU, da ad id mihi efficacem gratiam. 3. Si puer appareat satis instructus ad fidem spemque supernaturalem eliciendam, excitari potest, præmisso paucis actu fidei & spei, hoc modo ad dolorem: Fili! quod eveniunt, qui peccant ? Nonne ad infernum, qui in gravi peccato moriuntur: & ad purgatorium, qui de venialibus non dolent, & pœnitentiam non agunt ? Quid patientur in inferno & purgatorio ? Gravissimas pœnas in inferno æternas, & in purgatorio temporales, sæpe durantes per multos annos. Possesne illas sustinere ? Non posses per horam dimidiam jacere in ardente rogo, vel manum tenere in accensa candela. Quid ergo fieret, si deberes totus ardere instar ferri candentis multis annis in purgatorii vel inferni igne sulphureo in æternum ? Posse-

sesne

sesne tolerare? Non posses, deberes tamen. Quis tales pœnas præparavit peccatoribus? Deus. Unde hoc scis? Deus, qui nec falle-re potest nec falli, id revelavit. Quare Deus præparavit tantas pœnas peccatoribus? Quia summopere peccata odit. Credis & agnoscis ergo, quod Deum tuis peccatis offenderis, qui sic potest & vult punire? Credo & agnosco. Quid boni fecit nobis Deus? Creavit nos, conservat nos, vult nos habere filios & hæredes Cœli: misit Filium suum, ut sanguine suo nos redimeret, nos adoptaret in fratres, & omnia sua merita nobis offerret. Nonne Deus dignus est, ut a te ametur, & non offendatur? Utique dignus est. Ergo ex toto corde dole, quod illum numquam offenderis. Hic Confessarius conceptis verbis præeat puero in affectum doloris & propositi, excitando eum etiam ad perfectam contritionem, ut ad hanc conando, saltem imperfectam certius assequatur.

105. *Pœnitentia & absolutio pueris quæ & quomodo danda?* Resp. VI. Demum injungenda pœnitentia huic ætati conveniens, quæ gravis ordinarie esse non debet, sed modica, quam statim post Confessionem peragant, ne in oblivionem veniant; sique puer judicetur rationis compos & dispositus, absolvendus est absolute; sub conditione vero, si de horum aliquo dubium maneat, præsertim si sit periculum mortis, aut formido prudens ne forte peccarit mortaliter: quia tunc consulendum est animæ, & circumstantiæ illæ removent irreverentiam a Sacramento sic collato. Immo *Lugo*, *Laym.* *Gobat*, & alii volunt, si spes sit præsentis dispositionis, ordinarie pueros esse absolvendos: tum quod quandoque peccent graviter ex conscientia erronea, ubi malitia levis est, & dein non meminerint, aut non addant se id apprehendisse ut grave: quandoque etiam in materia gravi exercite apprehendendo malitiam, cujus postea non recordentur, ver. grat. exponendo se periculo

die-

diebus præceptis non audiendi Sacrum; quo casu utroque, si non absolverentur, manerent in morte & periculo æternæ damnationis: tum quod per Confessionem acquisiverint jus quoddam ad absolutionem; neque fiat irreverentia Sacramento, si detur ob ejusmodi periculum absolutio sub conditione. Atque hoc omnino tenendum, si puer se accuset in materia gravi, v. g. quod parentibus maledixerit, Sacrum neglexerit; etsi dubium sit de usu rationis. Quamvis enim, si puer se accuset de omissione Sacri die festo, & interrogatus quid mereantur, qui Sacrum sine legitima causa omittunt, respondeat: Merentur infernum; non illico sequatur quod peccarit mortaliter: quia hoc quandoque dicunt, quia sic audiverunt: etsi ratione necdum sufficienti utantur ad grave peccatum; tamen, ubi incertum est, est animæ consulendum.

QUÆSTIO II.

Quomodo procedendum cum adolescentibus & juvenibus?

RESP. I. Si in exponendis peccatis suis videantur non satisfecisse, examinari possunt 1. Circa peccata, quæ pueris sunt magis ordinaria, ut dixi ante. 2. An dederint malis cogitationibus locum? 3. An non locuti indecentia, scurrilia, obscœna? 4. An tempus otiose transegerint, pecuniam parentum dilapidaverint, iis quid subduxerint, malis sociis se adjunxerint, turpia libenter audierint, ad ea riserint? & quæ isti etati sunt propria. In materia castitatis, ut supra monui, caute sunt interrogandi. 106. *Adolescentes quomodo examinandi?*

Resp. II. Illis specialiter 1. Commendanda lectio sacra. 2. Horror injiciendus turpiloquii, aspectus morosi alterius sexus, familiaris cum eo conversationis. 3. Inducendi sunt, ut suas tenta- 107. *Quid iis commendandum?*

tentationes fidenter aperiant, me mediis destituti succumbant. 4. Ut fugiant malos socios velut dæmonis emissarios; nemini sint nimis familiares; Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ, quot mensibus, bis, ut saltem semel, pro diversitate conditionis & occasionis suscipiant; vesperi examen conscientiæ faciant; B. Virg. & Angelo suo Custodi speciali cultu sint devoti. Hæc successive sunt inculcanda. Ceterum plus illis non dicat Confessarius, quam velit ab aliis resciri: adolescentes enim, quæ audiunt & vident, observant diu, narrant aliis, & de his ipsi postea prudentiores judicant.

108. *Quæ iis pœnitentia injungenda?* Resp. III. Pœnitentiæ injungendæ utiliores adolescentibus sunt, quæ juvant ad bonam consuetudinem inserendam, vel malam exstirpandam: v. gr. 1. Ut preces vespertinas & matutinas ad tempus bene persolvant; vel 2. Examen vesperi per octiduum faciant; vel 3. Ut Missæ Sacrificio per dies aliquot devote intersint, illudque offerant ad certam virtutem consequendam, vel vitium exstirpandum, &c. 4. Si potui sint dediti, ut proxima hebdomada vel mense popinam non accedant; cum sociis his, vel illis non conversentur; vel ut aliquot diebus in honorem Salvatoris, aut B. V. aut Angeli Custodis, alteriusve Sancti extra tempus prandii & cœnæ nihil comedant vel bibant. 5. Si lusui sint dediti, similiter abstineant per tempus. 6. Si sint dediti otio, ut proximis 14. diebus per horam mane, & per horam a prandio studeant, legant librum spiritualem, adeant imaginem B. Virg. in suo cubili appensam, petantque per ejus intercessionem gratiam, tempus tam pretiosum ex meritis Christi ad salutem operandam concessum, bene impendendi. 7. Si sint negligentes in rebus divinis, ut per aliquot hebdomadas numquam absint a Catechismo, Concione, Sacro, &c. Contraria enim contrariis curanda sunt. Et sic procedendum in aliis consuetudinibus, de quibus tamen redibit

sermo infra. Porro quomodo excitandi sint ad dolorem, constat ex dictis, quæ pro diversitate personarum, ubi necesse fuerit, adhibenda sunt. 8. Si parentes offenderint, inducantur ut petant veniam, vel compensent singulari reverentia, id quod valet pro pueris quoque.

Petes: Quid si adolescens mentionem faciat de electione status? Resp. Attendendum, an deliberationi illi sit satis maturus? Si ita videatur, ostendat Confessarius quanti id momenti sit negotium, exponatque illi modum electionis faciendæ. Ac primo quidem ut meminerit, se creatum esse non ad alium finem, quam ut in hac vita mortali Deo serviat, & tandem salvus fiat, Deumque in æternum laudet, glorificet, eoque fruatur. Ad hunc finem quæ non referuntur, perdita esse; hunc si non assequatur, æternum fore miserum. 2. Ut offerat se Deo Domino suo plane indifferentem ad omnia, paratumque ad amplectendum statum, quem cognoverit magis conformem divinæ ejus, ipsum salvare cupientis, voluntati. 3. Ut eliciat frequenter desiderium, sanctam ejus voluntatem agnoscendi, dicendo, maxime in Sacro sub elevatione, & post Communionem cum Apostolo, *Domine, quid me vis facere?* Vel cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* 4. Expendat ex una parte talenta sua, complexionem, vires corporis, animi propensiones, facultates & media: ex altera vero parte statuum, inter quos adhuc deliberandum (nam si se jam determinavit, ad non permanendum in sæculari statu, hic in considerationem non veniet) commoda & incommoda, difficultates, pericula, occasiones Deo serviendi, & ad perfectionem perveniendi, &c. Ea inter se conferat, & videat quid, consideratis omnibus, videatur magis conferre ad salutem suam & gloriam Dei, quam in omnibus sine respectu ad commoditates corporis intueri debet. Deinde pergat constanter petere lumen, curaque singulari

109. Quomodo instruendi de electione status?

lari

lari caveat sibi ab omni peccato etiam veniali; ne lumini impedimentum objiciat. Quod si nesciat ista, ut oportet, expendere, juvet eum Confessarius; ad nullum autem statum præ alio eum inclinet, sed permittat Deum agere in creaturam suam. Electione facta, jubeatur petere constantiam, &c. Quod si compererit eum jam matura deliberatione determinatum ad certum statum, suggerat illi salutares doctrinas pro statu illo. Si autem reperiret male institutam deliberationem, v. gr. factam esse determinationem ex mundano vel humano motivo; jubeat eum aliter deliberare, secluso illo motivo, pure intuendo gloriam Dei & animæ suæ salutem. Ceterum caveat Confessarius, ne facile permittat alicui, nisi forte ad tempus, & maturioribus, periculoque votum violandi minus obnoxiis, emittere votum castitatis; alias enim factum facile dolebunt, idque aut violabunt, aut nonnisi cum mœrore & anxietate servabunt.

QUÆSTIO III.

Ad quæ reflectendum in Confessione sexus feminei?

110. *Quomodo agendum cum feminis?* RESP. I. Confessarius sexus feminei, si umquam, alias servet hic illud Eccli. 41. *Curam habe de bono nomine*, ut non tantum sit castus, sed etiam curet haberi talis, procul omni suspicione conscientiæ minus puræ, exemplo Christi, qui contra castitatem numquam passus est sibi quidquam objici: neque enim quidquam plus imminuit viri, ad curandas animas destinati, auctoritatem, quam suspicio animi minus casti. *Quid tibi cum feminis, qui cum Domino ad Altare fabularis?* inquit S. Hieronym. Proinde servet, quod sapienter commendat *P. Arsdekin*: Cum feminis agendum raro, caute, prudenter. Hinc caveat Confessarius a fixo aspectu,

pectu ; a blandis verbis, quæ affectum carnalem redoleant, aut possint suscitare. *In audiendis Confessionibus, præsertim feminarum*, inquit S. P. Ignatius, *severos potius se, quam familiares exhibeant: universim tamen paterna quædam & spiritualis gravitas in eis eluceat.* Deinde non facile credat earum lacrymis & querelis, sed potius hortetur ad patientiam: neque fidat earum revelationibus, sed jubeat servare mandata Dei. Etiam extra confessionale circumspecte cum illis agat, solus cum sola secreto, & absque arbitro vel teste non sedeat; nullius vel manum tangat, nec suam ab ulla tangi permittat. *Oculos humi defixos habeat, cumque pauca, quæ animas perstringere & illustrare queant, locutus fuerit, statim avolet*, inquit S. Isidorus.

Resp. II. Examen juniorum ex sexu femineo fere circa eadem peccata esse potest, quæ pro examine puerorum & adolescentum retuli. Habent tamen & peccata sibi propria, præsertim, si sunt, aut putent se esse conditionis melioris: nam quædam magnam anni partem comendo corpus, fucando faciem, litant superbiæ & vanitati; stant ad ostia, & templa frequentant ut videant, & videantur; laudari & honorari appetunt; aliis laudem & honorem invident, iisque detrahunt; sectantur luxum in vestibus, pectus gestant nudum, ut honesti oculi vix satis custodiri possint ab intuitu illius vitulinæ pellis; amant visitationes, tempus ludendo & confabulando cum detrimento alienæ famæ perdunt; mane in plenam diem stertunt, divina negligunt, aut tandem ultimo Sacro interesse volunt. Idolum earum est commoditas & mundus muliebris. 111. *Quomodo examinanda?*

Atque ejusmodi peccatis obnoxiæ etiam quandoque sunt conjugatæ, invigilantes magis vanitati, quam rei domesticæ & prolium educationi. Talem quampiam si confitentem habeat Confessarius, seposito omni respectu humano

exponat illi obligationes suas, periculaque, & media emendationis præscribat. Juverit ei proponere exemplum Beatissimæ Virginis, quam corde humilis, quam verbis gravis & parca, quam modesta facie corporisque totius compositione, quam intenta operi, quam Deo conjuncta: honeste quidem vestita, mentis autem sectans pulchritudinem, quam in virtutibus, quibus homo Creatori suo assimilatur, sitam esse noverat. Demum injungat pœnitentiam, conformiter ante dictis, excessibus illis oppositam; quam si nolit admittere, quando sine incommodo potest, non est disposita ad absolutionem.

122. *Quid si quæ interroget de ornatu, osculis, munusculis, egressu choreis?*

Resp. III. Si quæ interroget, 1. Qualis sibi liceat ornatus corporis? 2. An liceat se conspiciendam præbere, a quo novit se turpiter amari? 3. An liceat sibi ab eo admittere munera? 4. An licite possit permittere osculum, si ipsa nihil mali intendat? 5. An sine peccato possit adire choreas? Respondendum

Ad *Primum*: Licitum esse ornatum corporis statui & personæ convenientem: fieri autem venialiter malum, si fiat ad captandam vanam gloriam, vel ex intentione mentiendi pulchritudinem; posse quoque evadere mortale, si fieret cum gravi detrimento familiæ, vel alterius: vel esset valde ad luxuriam provocans, ut si incederet pectore valde denudato, aut leviter tantum tecto, vel aliud grave malum intenderetur.

Ad *Secundum*: Si animo non malo procedat, sitque vel necessitas, vel rationabilis causa, posse eam licite facere, quod aliis honestis permissum est: neque enim dat, sed alter accipit scandalum, quod is sibi imputare debet; nec ideo ipsa privanda est jure suo. Juxta *Sanchez*, non peccaret graviter, si conspiciendam se præberet, v. gr. ne privet se libertate exeundi domo, &c. secus esset, si data opera absque ulla causa id faceret.

Ad

Ad *Tertium* : Vix excusabitur a mortali : quia acceptando munera fovet alterius impurum amorem, spemque illi facit obtinendi consensum ad turpia, & se exponit periculo concipiendi malum amorem.

Ad *Quartum*: Peccat graviter admittendo a tali osculum, quia cooperatur ejus peccato. Et universum, si non adsit causa rationabilis honesti amoris, absitque periculum ab utroque, quod raro abest, si actus reiterentur, vel fiant cum mora aut ardore, illicite permittit, ut constat ex dictis; peccatque permittendo graviter, si merito timeatur ne alter voluptatis causa id faciat : quia cooperatur ejus peccato, nisi gravis causa excusaret. Et idem est de tactu turpi, qui si ex objecto turpis esset, sine mortali permitti non potest, conformiter n. 71.

Ad *Quintum* : Censet *La Croix l.* 5. n. 282. choreas, præsertim nocturnas, quas puellæ cum adolescentibus concurrentes agitant, esse occasionem proximam peccandi graviter : eo quod interveniat oscula, amplexus, gesticulationes turpes, petulantes tactus, sermones impudici, &c. a quibus moraliter vix abesse possunt pravi motus, imaginationes, delectationes, desideria venerea. Hinc S. Ephrem choreas vocat *pompam diaboli*: S. Anton. *iter diaboli*: S. Chrys. *tripudia, quibus saltat diabolus*. Alii mitius loquuntur de choreis diurnis, quæ in loco publico fiunt. Caveat autem Confessarius, ne nimium indulgeat, ob gravia mala, quæ sæpe aut comitantur, aut sequuntur choreas. Sed nec nimium interrogantis conscientiam restringat, ne, si tamen forsan aditura sit, gravius peccet. Expedit interrogare quales soleant isthic saltus agitari? An in iis interveniant gestus inverecundi, an exigantur oscula, vel sit simplex circumcursitatio sine ejusmodi actibus? Item, quare velit choreas adire? An non ipsi vel alteri, uni vel pluribus in particulari timendum sit scandalum?

Ex

Ex his colliget Confessarius, quid hic & nunc respondendum, & quid dissuadendum, vel monendum sit. *Sporer Tract.* 5. *in praeceptum* 5. *cap.* 1. putat, puellam non teneri abstinere ab honesto saltu, etsi timeat ne vage aliquis sit accepturus scandalum; quia timor ille est communis rebus innumeris: & vix est, quo abuti non possit hominum malitia. Aliud foret, si timeretur ruina alicujus in particulari, nec rationabilis causa esset illam permittendi.

113. *Quomodo instruenda sponsa?* Resp. IV. Si puella, contractis jam sponsalibus, initura matrimonium petat instrui, monenda est, 1. Sponsis veneream voluptatem non licere magis ante matrimonium, quam aliis liberis non sponsis; proinde cavenda omnia, quæ ingenuam & verecundam puellam dedeceant. 2. Caveat nimiam familiaritatem cum sponso, præsertim coram aliis. 3. Matrimonium institutum esse non habendæ voluptatis causa; sed ut augeatur numerus fidelium, ad quos habendos Deus hunc mundum condidit. Proinde quæ in matrimonio licent, fieri debere honesto fine, verecunde, ut creaturam rationalem decet, Deo a mente numquam excluso. 4. Post sponsalia matrimonium non diu differendum esse, ne tentationibus exponantur. 5. Curandum ut matrimonium ambo in statu gratiæineant, pacifice dein vivant, pars una alterius onera portet, memores homines se esse defectibus obnoxios. 6. Uxor viro in licitis & honestis obediat; quia vir, teste Apost. *Caput est mulieris*: illi irato cedat, verbis suavibus errantem moneat, Deum pro illo oret, rem domesticam bene administret, reverentiæ erga parentes non obliviscatur, liberos, si Deus dederit, bene educet, reddituri de iis Deo rationem, omnibus suis sit bono exemplo. Atque pleraque hæc etiam conveniunt sponso, qui uxorem tractare debet non ut famulam, sed ut sociam & consortem: quæ, nisi serventur, avertent a se Dei benedictionem. Demum suaderi potest, ut certum

tum e Cælitibus domus suæ Patronum eligant; quem quotidiano, licet exiguo, cultu, & in die illi sacra susceptione Sacramenti Pœnitentiæ & Eucharistiæ colant; cultus enim quotidianus, etsi tenuis, teste experientia, magnæ est utilitatis.

CAPUT III.

De Confessario rusticorum, aliorumque plebejorum, & rudium.

QUÆSTIO I.

Quomodo sint examinandi?

RESp. Si exposuerint quæ in conscientiæ examine occurrerunt, videaturque examen, ut ab ejusmodi sæpe fit, non satis accurate institutum, examinentur percurrendo præcepta Dei & Ecclesiæ, eorumque occupationes & occasiones, ut magis videbitur convenire: v. g. 1. De peccatis internis, seu cordis. An turpibus dederint locum? An odium contra aliquem foverint, alicui inviderint, malum optaverint, de eo eveniente gavisi sint? De peccatis oris. An non blasphemaverint, juraverint, maledixerint, detraxerint, vel de proximis male locuti sint, defectum objecerint, rixati sint? Et hæc quomodo, quibus &c. secundum dicta num. 91. Si juraverint: An falso, an cum causa, quomodo? An intenderint Deum vocare in testem? 3. De peccatis operis, & omissionis: v. g. An die festo laboraverint serviliter, vel Missam neglexerint, ad eam sero venerint, vel exposuerint se periculo sero veniendi; hoc enim faciendo peccant, etsi dein Missæ intersint. An se inebriaverint plene, vel semiplene, quid & tunc egerint? An ista futura præviderint, vel timuerint? An nulli damnum causarint, nullum defraudarint, in aliena sylva ligna cum damno exci-

114. *Quomodo examinandi rustici, & alii plebeji?*

derint, vel subduxerint, pecora in aliena pascua duxerint, nihil turpe egerint? &c. Si quis ad omnia nihil sciat respondere, nisi quod juraverit, vel pecoribus maledixerit, examinetur de scitu necessariis; est enim prudens suspicio crassæ ignorantiæ.

QUÆSTIO II.

Quomodo instruendi rudes, & solandi pauperes?

116. *Motiva doloris rudibus proponenda.* RESP. Moneri possunt, 1. Ut salutem animæ suæ omnibus temporalibus præferant, cogitent quandoque brevitatem vitæ, nihilque sibi postmodum quidquam profuturum, nisi servisse Deo. 2. Ut memores exempli Christi Domini, qui in laboribus fuit a juventute sua, difficultates suas & labores recta intentione perferant & perficiant; cogitent, magnam mercedem se manere; Dei voluntatem esse, qui in illo statu illos collocavit, ut ita patiantur & faciant, animosque suos a terrenis abstrahant, & salutem æternam quærant; sanctitatem consistere in eo, ut quis statui suo convenienter ex voluntate Dei vivat; majorem esse, non qui ditior, aut in majoribus est deliciis vel honoribus, sed qui melius voluntati & beneplacito Dei se conformat. 3. Ut non nimium differant Confessorem & sacram Communionem: quia hæc Sacramenta digne suscepta semper augent gratiam sanctificantem: quæ quo major erit in aliquo in fine vitæ, eo major erit ejus in Cælo gloria: hujus enim semen & mensura est gratia. 4. Si quis paupertatem queratur, Confessarius soletur eum, & excitet ad patientiam, & conformitatem voluntatis suæ cum divina, dicendo v. g. 1. Non difficile fuit Deo facere te divitem: amat te, & voluit esse pauperem, ne per abusum divitiarum esses æternum miser. Nescimus quid magis nobis expediat: *Ipsi cura est de nobis: jacta*

cogit-

cogitatum tuum in illum, & ipse te enutriet. Pascit volucres cæli, & corvis ad se clamantibus escam dat; nec tibi, qui pluris es, deerit si ei servias. 2. Considera Salvatorem tuum, qui, *cum dives esset, propter nos egenus factus est*, ut ait Apost. 2. Cor. 8. Pater noster cælestis illi vult nos conformes fieri in hac mortali vita, ut æternum cum illo gaudeamus in Cælis. Age gratias, quod te voluerit conformari pauperi JESU. Multi in Cælo non essent, si non fuissent pauperes: multi non essent jam ardentes in inferno, si divites, si Principes, si Reges non fuissent. *Difficile est divitem intrare in regnum Cælorum*, uti nos docet Christus *Matth.* c. 19. Hinc *væ* dicit divitibus. At oculi ejus in pauperem respiciunt: Ipsi derelictus est pauper. Paupertas igitur favor est; & hinc tot Sancti, abjectis mundanis omnibus, sponte elegerunt paupertatem, ut Christo se conformarent; cui quo quis conformior est, eo major est. 3. Vita hic nostra comœdia est: in hac unus sustinet personam Regis, alter aulici, alter pauperis mendici. Qui optime sustinet personam suam, magis laudatur. Tu age personam tuam bene, & magnus eris apud Deum, qui personas distribuit. 4. Considera quam benigne & clementer hactenus tecum egerit Deus, quam te ipsi non servientem tulerit patienter, quam misericorditer a se fugientem receperit. An poterit tibi deesse, si ipsi te committas, & illi obedias? *Petite, & accipietis. Joann.* 6. Dedit tibi filium suum exemplar, Magistrum, Redemptorem; omnia ejus & ipsum voluit esse tuum, quomodo minus negabit, qui, quod plus est, tam paterna & non rogatus dedit? *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum? quod si illa oblita fuerit, ego tui non obliviscar*, dicit Deus Isaiæ 49. Hæc serviunt etiam ad erigendos alios desolatos. Dives est, qui veras suas divitias numerare & consumere non potest; talis est, qui Deum habet.

QUÆSTIO III.

Quomodo rudes specialiter disponendi ad dolorem?

116. *Motiva doloris rudibus proponenda.* RESP. Post peccata uti oportet exposita; expedit ut rudes jubeantur elicere actum Fidei, Spei, Charitatis & Doloris cum proposito emendandi: sic enim illos actus discent frequentare. Si deficiant, præeat Confessarius, & doceat, nec omittat umquam, nisi appareant satis instructi, & ipsi finita peccatorum confessione, vel ante eliciant dolorem cum proposito; ipsos ad illum excitare, idque modo illorum capacitati accommodato, injiciendo illis timorem, proponendo brevitatem vitæ, mortem certam, horam incertam; deinde judicium & æternitatem felicem, vel infelicem; oblivionem illorum post mortem in animis omnium; Dei beneficia amore salutis nostræ nobis collata; desiderium ejus, ut ipsi obsequentes salvemus animas nostras; & decretum æternum a se projiciendi eos, qui desiderio ejus omnes salvare cupientis non volunt obtemperare. Demum summam Dei bonitatem, majestatem, misericordiam, suavitatem, sapientiam, pulchritudinem, ideoque dignissimum esse omni amore possibili, multo magis exiguo nostro amore, cultu, & obsequio, quæ tamen liberalissimus Deus vult præmiis infinitis coronare; immo ipse vult esse merces nostra magna nimis. His propositis jubeantur ex corde elicere dolorem & propositum. Juvantur ejusmodi maxime, si illis proponatur apta similitudo, v. g. ducta a filio in patrem optimum rebelli, a servo contumaci contra dominum, ab ingrato in benefactorem, ab homine valde sollicito ne amittat hæreditatem vel temporalia, vel ab amante suum patrem. Hoc vel simili modo: Primo, Si pater aliquis amanter haberet filium, diu noctuque sollicitus de ejus feli-

citate ; ejus errata modo dissimularet, modo clementer corrigeret, & nihil exspectaret ex obsequiis filii, nisi ut illi bene esset; filius autem non vereretur patrem offendere, ejus honorem & æstimationem imminueret, in conspectu ejus eum inhonoraret, donis patris abuteretur in ejus contemptum, &c. An talis filius non mereretur expelli domo paterna? An non, si gutta ingenui sanguinis in ipso sit, merito erubesceret, & defleret ingratitudinem suam? Et quid, si post plura delicta in gratiam a patre sæpius fuisset receptus, & tamen iterum rediret ad priora? An is auderet iterum in conspectu patris venire? An non erubescere deberet? An oculos aperire in conspectu ejus auderet? Ecce! tales nos sumus fili. Cogita quæ fecerit tibi Deus; cogita quoties te in gratiam paterne receperit? Et non doleas quod iterum offenderis tam benignum patrem? &c. 2. Si esset magnus dominus, ā quo haberes, & tua dependerent omnia, qui erga tuā exigua obsequia quæ ei debes, vellet te facere hæredem ingentium bonorum, intentaret autem & inferre tibi posset maximas pœnas, si debita ei obsequia negares; hunc vero dominum offendisses inobedientia tuā, staresque in conspectu ejus, jam jam ad mortem condemnandus; numquid doleres de ingratitudine & offensa? Ita. Numquid talis Dominus est Deus, a quo vitam habes & omnia, qui paratus fuit hæreditatem æternam omnium bonorum suorum tibi dare in Cælis, & cohæredem te facere Unigeniti Filii sui; numquid hoc credis Deo revelanti? An non ergo merito doleas, quod Deum tam bonum, tam benignum, tam liberalem bonorum operum nostrorum Remuneratorem, tam justum malorum Vindicem, in se omni amore dignissimum offenderis, a quo Cælum speras? Dic ergo corde, quod ego verbis: Deus meus & Dominus meus! doleo quod umquam offenderim te, quem credo in Natura Unum, in Personis Trinum, Creatórem omnium, Re-

Remuneratorem bonorum operum, & malorum Vindicem justissimum: qui, licet toties a me sis offensus, paratus tamen es mihi ignoscere, & gratiam ad salutem necessariam dare. A te, per merita JESU Christi Filii tui, pro me incarnati, passi, & in Cruce mortui, spero peccatorum meorum veniam, & æternam beatitudinem, quia hæc pœnitentibus & tibi servire volentibus promisisti fidelissimus & omnipotens Deus! Ex amore tui doleo ex toto corde, quod te Dominum & Deum meum umquam offenderim, & diabolo, tuo & meo hosti, servíverim; statuo deinceps tibi soli servire, & te numquam amplius offendere. Da ad id uberem gratiam; scis quod sine ea nihil possim. 3. Si quis patri tuo detraheret, eum inhonoraret; nonne ægre ferres? Si quis ad mortem condemnatus, suo liberatori postea ingratus, cum ejus hoste conspiraret, numquid facinus esset morte dignum? Si filius venderet suam hæreditatem terucio, si paterfamilias traderit alteri domum suam pro levi gulæ delicio; numquid insaniæ essent arguendi? Ecce hæc omnia cadunt in hominem, qui Deum graviter offendit. Numquid Judæ scelus detestamur, qui Christum vendidit 30. argenteis? An non insanum dicimus Esau, qui fratri suo Jacob pro edulio lentis vendidit primogenita? Ecce pejus facit, qui gravi peccato Deum offendit. Vendit enim pro re nihili æternam in cælis paratam sibi hæreditatem, abdicat a se Christum, adhæret ejus hosti, ipsum ludibrio exponit; quasi tantus ejus in nos amor non mereretur obedientiam in re tantilla, & mereretur audiri diabolus, qui nos odit, & quærit perdere. Certe si per tale quid admissum perdere deberes summam gravem pecuniæ, id non faceres, &c.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quid agendum, si nullum in particulari peccatum confiteatur?

117. *Quid si nullum in particulari peccatum elici possit?*

RESp. Si rudis, ut quandoque contingit, de nullo in particulari peccato se accuset, dicens, Nihil scio, sumus omnes peccatores; examinetur ut pueri solent & rudes. Si nihil possit elici ab ultima Confessione, interrogetur ex vita præterita, v. g. An numquam sit mentitus in vita sua? Numquam parentes offenderit? Numquam fuerit iratus & impatiens? Numquam traduxerit proximum? Sacrum neglexerit, aut negligenter audiverit? &c. Si nihil fateatur, interrogetur scienda necessitate medii: prudens enim est suspicio, quod ista ignoret. Si nesciat, nec possit modo instrui, dimittatur monitus ut non communicet, curet se instrui, & proxime redeat; aut, si non possit, adeat alium, & indicet illi ut se instruat: interim expendat quibus offenderit Deum: an non cogitationibus, verbis, operibus, domi, in templo, hac illave occasione? Si sciat scitu necessaria, aut instrui in præsenti possit, eliciantur cum illo actus fidei, spei, charitatis, doloris & propositi, uti jam & de pueris dixi, illum eo deducendo, ut doleat de omnibus, quibus umquam Deum offendit, quodque hactenus fuerit tam negligens in negotio animæ suæ. Si doleat, & dispositus appareat, diuque non sit confessus, v. g. per medium annum, & videatur non rediturus, monendus est ut majorem suæ animæ curam gerat, & absolvi potest: certum enim est, quod ad validam absolutionem, quando aliter pœnitens se accusare non potest, sufficiat quod signis vel verbis se fateatur peccatorem; & quamvis extra casum necessitatis vel impotentiæ non liceat absolvere eum, qui se accusat de venialibus in genere tantum, v. g. dicendo: Sæpe venialiter

liter peccavi; eo quod, dum potest, judicium debeat esse ordinatum; tale autem non sit, nisi exprimatur peccatum in specie determinatum; id tamen certum videtur, quod in præsenti casu etiam licite absolvi possit; tum quia est quædam necessitas & impotentia: tum quia, si confiteatur se peccatorem, certus est Confessarius quod in vita sit aliquando mentitus, fuerit negligens in divinis, parentes, si cum iis vixerit ratione utens, offenderit, verbo proximum læserit; quis enim est, qui talia non admiserit? *Lugo & alii*. Immo, si talis diceret, Fui iratus, sed fuit causa iræ; fui distractus in oratione, sed non potui evitare; & interrogatus, an excesserit in ira, an negligens fuerit in excludendis distractionibus? Affirmaret, jam haberetur explicite peccatum in specie. Quod si quis ita stupidus & hebes reperitur, ut nequidem possit apprehendere necessaria necessitate medii, conetur Confessarius intelligere, an hebetudo proveniat ex peccatis quibusdam, quæ mentem obcæcent, ut sunt luxuria & ebrietas; an vero ex naturali complexione? Si primum, differatur absolutio, & prius abducatur a peccatis; quia frustranea erit instructio, durante impetu passionum. Si secundum, sitque pœnitens bonæ voluntatis & innocentis vitæ, inducatur ad eliciendum actus fidei, spei, & dilectionis Dei, apposite ad ejus capacitatem, & sic dispositus absolvatur sub conditione, permittaturque accedere ad Communionem. Quod hebetudo proveniat ex naturali complexione, indicium est, si ad temporalia quoque hebes sit, si non male vivat, bonæque sit voluntatis; si autem ad temporalia sit solers & industrius, suspicio est quod hebetudo proveniat a peccatis. Unde discrete erit examinandus de materia luxuriæ. Ita *P. La-Croix l. 6. p. 3. n. 1809.* Deinde si ita hebes foret, ut nullam cognitionem de mysteriis fidei formare posset, fatuo vel infanti comparandus videtur. Ita *Tanne-*

Quid si sit omnino hebes ad scitu necessaria?

rus

rus & Gobat. Denique si hebetudo foret ex senectute, senexque antea sciverit necessaria necessitate medii, absolvi poterit & communicari, etsi non ita clare jam videatur ista credere. Si vero ista nesciverit, laborandum est ut cito addiscat, ne crescente senio decrescat magis capacitas. Videri potest *Lugo de pœnit. dist.* 17. *num.* 8. *Dicast. de pœnit. dist.* 9. *n.* 744. *Burgaber cent.* 3. *casu* 41.

QUÆSTIO V.

Quæ pœnitentia rudibus injungenda, præsertim assuetis maledicendo, vel jurando?

RESP. Rusticis & plebejis pro pœnitentiis fere preces sunt injungendæ, & quidem plerumque tales, quas statim eodem die persolvant, aut proximo festo; nisi quid aliud suadeat consuetudo, vel negligentia in Divinis. Hinc si negligentes sint in suscipiendo Sacramento Pœnitentiæ, injungetur utiliter, ut post mensem, vel proximo festo majore, aut, si tunc non possint, proxima post illud occasione iterum confiteantur, aut, si consuetudinem habeant, v. g. maledicendi, vel jurandi, per dies 14. vel per mensem mane recitent ter Pater & Ave in laudem Sanctissimæ Trinitatis; petant veniam suorum peccatorum, labores suos & difficultates isto die obeundas simplici modo offerant Deo in satisfactionem, petantque gratiam emendandi, vesperi easdem preces repetant, doleant, petantque veniam, dicendo v. g. Deus propitius esto mihi misero peccatori! aut, ut quoties iterum maledixerint, vel juraverint, pectus percutiant, & veniam petant. Monendi tamen sunt, si semel obliviscantur, satis esse si postea resarciant vel compensent. Si quis multorum gravium peccatorum reus esset, nec conveniens alia pœniten-

118. *Quæ satisfactio injungenda maledicis, &c.*

tia occurreret, injungi posset ut per mensem, vel ad proximam Confessionem diebus Dominicis & festis Sacrum devote offerant Deo in satisfactionem suorum peccatorum, iisdemque diebus Rosarium dicant in Sacro, ut libuerit. Utile quoque erit, præsertim si quis timeretur, dolorem & propositum efficax non habere, injungere, ut ante Communionem eliciat fidem, spem, & charitatem cum dolore, vel saltem contritionem cum proposito, hocque post Communionem renovet, & Christo confirmandum offerat: sic enim consuletur reverentiæ & fructui Sacramenti, quoad poterit. Universim utiliter suadetur, ut quisque statuat certum singulari studio cavere, & hoc propositum Christo post Communionem offerat.

CAPUT IV.

De Confessario Conjugum, Parentum, Patrum, Matrumque familias.

CONfessarium oportet scire horum obligationes, bona specialia & communia, tentationes, modumque eos dirigendi, & tentasiones elidendi.

QUÆSTIO I.

Quæ sunt obligationes Conjugum?

119. *Debet vir ad correctionem uxoris?*

RESp. Sunt sequentes. Prima, Debent sibi invicem amorem veræ charitatis: unde possunt, & aliquando tenentur se invicem corrigere. Uxori tamen convenit sola monitio & adhortatio, viro autem monitio, adhortatio, & punitio, ut plurimum levis tantum; quia uxor est socia viri, non serva. Debet autem punitio procedere ex charitate, vel amore justitiæ, aut zelo procurandi rectam familiæ gubernationem,

nem; esseque multo levior, quam culpa mereatur, ne pax inter eos & amor pereat. Quas autem vir uxori pœnas infligere licite possit, pendet ex conditione uxoris, & consuetudine loci justa: gravius enim plebejæ puniri possunt, quam nobilis vel hoonestioris prosapiæ; quia hæ pœnas gravius apprehendunt, utpote illis magis ignominiosas: unde & facilius avertuntur ab amore, & iis non raro pejores evadunt. In particulari non licet marito pœna mortis, mutilationis, exsilii perpetui, carceris publici, percussionis tam enormis, ut ex ea vita vel membrum periclitetur; quia similes pœnæ reservantur Reipublicæ. Subtractio cibi plerumque sufficit ad corrigendos communes defectus. Poterit tamen ob causam proportionatam ad dies aliquot uxorem includere, additis compedibus; cædere vero alapis, calcare pedibus raro permittitur; quia hæ pœnæ, maxime si frequentes sint, non leviter adversantur amori conjugali. *Hobat* tamen *in Theologia juridico morali c. 29. §. 1.* ait: A Confessario vel Magistratu non reprehendi maritos, qui uxores plebejas merobibulas & ebriosas, aut nolentes vitare suspecta consortia, post leviorem pœnam sine effectu emendationis illatam, fuste ita verberant, ut biduo vel triduo duret aliquis verberum sensus. Ceterum ab admonitione per verba suaviora primum, dein si hæc non juvent, per graviora correctio inchoanda est; ut uxor, si ad pœnas procedendum sit, intelligat has sibi merito infligi. Demum debet maritus quandoque defectus, ubi sine peccato potest, uxoris dissimulare, nec nimius esse in corrigendo, quandoque & correctionem ad tempus differre, ne, dum uxor est indisposita ad eam recipiendam, fructu careat, aut etiam a viro fiat ex inordinata passione.

2. Obligatio. Tenetur uxor marito obedire in iis, quæ spectant ad bonos mores & do- *Uxor viro obe-*

 mus

dientiā, hic illi victum & vestitum.

mus gubernationem; quia maritus est caput uxoris, cui obedientiam & reverentiam debet. Unde uxor peccat graviter, si auctoritatem sibi non convenientem arroget, qua viro dominari & insultare attentet, estque incapax absolutionis, nisi serio statuat emendare. Econtra tenetur maritus uxorem tractare tamquam sociam & commembrum, illique præstare alimenta & vestitum statui convenientem, ceteraque quæ talis conditionis uxoribus juxta loci consuetudinem competunt; quia hæc in contractu matrimonii imbibuntur, ideoque maritus ab uxore accipit dotem. Quod si duxisset pauperem, tenetur nihilominus, quia censetur persona fuisse contentus. Si autem divitem quidem, sed dote non constituta, hæc vel ab uxore vel a parentibus ejus constituenda est. Si tamen uxor a viro sine justa causa discederet, hic eam alere non teneretur: qui enim non facit quod debet, æquum est ut non recipiat quod oportet. Similiter non teneretur si ob inopiam non posset, quo casu ab uxore divite alendus esset maritus, uti nec si dos promissa non esset soluta; quia maritus de dote conveniens non aliter se ad alimenta obligavit. Econtra, si uxor discederet a marito ob justam causam, v. g. ob sævitiam, vel adulterium mariti, hic adhuc teneretur eam alere, quia ex delicto mariti innocens uxor non debet habere detrimentum, nec ille commodum.

Debent cohabitare.

3. Obligatio. Tenentur conjuges cohabitare; quia convenerunt in individuam vitæ societatem: unde si maritus ex quacumque causa non turpi velit alibi figere domicilium, tenetur uxor eum sequi, si sine decore status sui & gravi suo incommodo possit; non tamen si maritus vagari vellet, nisi forte vagandi consuetudinem ante habuerit, eaque uxore fuerit nota, & non excepta in contractu: tunc enim censeretur uxor in id consensisse.

4. Obli-

4. Obligatio conjugum est: Ut sub mortali *Invicem* sibi invicem reddant debitum conjugale, ubi pe- *reddere* titur serio, & non est legitima causa negandi; *debitum.* quia ad hoc se obligarunt, estque materia gravis: & vir, dicente Apostolo, corporis sui potestatem non habet, sed uxor; & mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, nempe in ordine ad generationem, cujus velut unum sunt principium, & hinc una caro. Dixi 1. *Ubi dicitur serio*; quia tunc petens censetur animum obligandi & utendi jure suo habere; secus esset, si solum peteret amice, ut & si irrationabiliter peteret: hoc enim casu non potest velle obligare, cum altera pars non obligarit se ad assentiendum petitioni irrationabili, uti nec ad reddendum statim; unde per se non peccaret saltem graviter, si ex causa ad breve tempus differret. Dixi 2. *Et non est legitima causa negandi*: hæc enim si adsit, non est obligatio; quia conjuges in eum eventum se non obligarunt. *Unde* 1. Non tenetur uxor viro petenti parere, si sibi, vel marito, vel proli conceptæ inde timeret grave damnum. 2. Si vir laboraret morbo contagioso, v. gr. peste, morbo gallico, vel etiam lepra, nisi tamen hæc ante contractum fuerit cognita, & non sit nimis gravis. 3. Si uxor laboret febri, vel alio morbo, ob quem usus matrimonii noceret graviter. 4. Si non possit prolem parere, nisi mortuam. Ordinarie tamen non excusat multiplicitas prolis, quia non poterit ob periculum incontinentiæ ideo negare in perpetuum, proinde frustra negaret ad breve tempus, post quod tamen concipiet. 5. Si petens sit amens aut ebrius, quia non est capax usus dominii, nec petit ut homo. 6. Si auctoritate publica celebraverint divortium, vel mutuo consensu castitatem voverint. 7. Si petens commisit adulterium, quia frangenti fidem, fides licite frangitur, nisi tamen altera pars sit causa adulterii, aut etiam sit mœchata. 8. Si sine justa causa petatur in

120. *Causæ excusantes.*

naturali modo vel situ; quia copula sic vestita est illicita, quæ tamen honestari potest ex justa causa, ut si aliter fieri non posset, aut uxori a viro alias immineret grave malum. 9. Si petens ante matrimonium emiserit votum castitatis, quia non tenetur cooperari alterius peccato. Immo sunt qui tenent, nec posse; quia, licet quis possit ex causa gravi alterius malæ actioni cooperari materialiter, quando is cui cooperatur hic & nunc potest illam licite ponere, etsi ex sua culpa non ponat licite: non tamen licet, quando eam non potest licite ponere. Alii tamen probabiliter tenent, posse & teneri reddere, eo quod jus ad copulam per votum non sit sublatum, seu stet cum voto. Sic si quis vovisset non repetere depositum, retineret jus repetendi, tenereturque repetenti reddere; nec ideo cooperaret formaliter ejus peccato, quia id in voluntate & petitione jam præcessit, & ponerem actum & de se & mihi licitum: ergo a pari. Teneretur tamen uxor, si commode posset, differre. Si immineret grave incommodum, petat ipsa, & jam licebit & alteri. 10. Si petens v. g. cum consanguinea uxoris in primo vel secundo gradu commiserit incestum, quia vir amisit jus petendi debitum, adeoque juxta priorem sententiam uxor potest & tenetur negare, ne cooperetur ejus peccato. Contradicunt tamen iterum alii cum *Sanch.* quia uxor non est privata jure suo; secus foret, si copula esset mala ex circumstantia ipsam afficiente; ut si peteretur in loco sacro, aut cum periculo abortus a prægnante. Dixi, *In primo vel secundo gradu*, quia pœna illa non extendit se ultra; cum in gradu ulteriori incestus non impediat matrimonium.

Uti matrimonio sine honesto. 5. Obligatio conjugum. Tenentur conjuges non uti matrimonio, nisi fine honesto, qualis est 1. Ut propagetur genus humanum, & augeatur numerus servorum Dei. 2. Ut satisfaciant suæ obligationi. 3. Ut vitetur periculum incon-

incontinentiæ. Quod si utantur solius voluptatis causa, peccant venialiter saltem; quia voluptas est subordinata fini matrimonii, & medium tantum. Ut inordinatum est in ea sistere; quæ tamen inordinatio de se gravis non est, quia usus matrimonii de se licitus est, & ejus finis primarius nec per hoc impeditur, nec positive excluditur. Idem est de aliis actibus conjugibus licitis, ut sunt tactus, oscula, aspectus, si fiant voluptatis solius causa, & citra periculum alterius gravis incommodi, aut effectus graviter mali. Horum unum si adesset, vel ejus periculum proximum, peccaretur graviter.

6. Obligatio. Tenentur conjuges ad fidem 121. & continentiam conjugalem. Unde 1. Peccant graviter conjuges, si per tactus, &c. exponant se probabili periculo pollutionis, aut generationem positive impediant, semen extra vas effundendo. Ceterum S. *Thom.* in 4. *Dist.* 31. nihil eorum, ait, quæ facit maritus cum uxore, aut hæc cum viro servato vase secundum se est mortale. 2. Uti matrimonio tempore menstrui, nisi justa adsit causa, v. grat. periculum incontinentiæ, est veniale; quia proles suscepta tunc solet esse debilior, cui tamen melius est esse, quam non esse. Lex antiqua tunc prohibens copulam, nunc cessat. 3. Uti matrimonio, dum uxor est gravida, mortale non est, si absit periculum abortus, sicut plerumque abest; est tamen juxta aliquos veniale. Sed *Sanch.* *Aversa* & alii hoc quoque negant; quia matrimonium etiam est in remedium concupiscentiæ, cumque uxores magna parte temporis sint gravidæ, nimis periculosum esset obligare sub peccato ad abstinendum tanto tempore. 4. Mutare situm in usu matrimonii, si absit periculum pollutionis, mortale non est; quia non obest generationi: est tamen veniale, quia innaturali: potest tamen & ad hoc excusare indispositio corporis ad alium situm, &c. & hoc casu

Peccata Conjugii in usu corporis.

peten-

petenti obtemperare debet altera pars. 5. Quando ob circumstantiam intrinsecam, v. gr. morbum, periculum abortus, &c. copula est illicita, licent illis tactus, aspectus & oscula, modo absit periculum pollutionis, & debito fine fiant; quia status matrimonii eos honestat, estque per accidens quod hic & nunc non conducant ad copulam; & nisi id verum esset, conjugibus non licerent oscula & tactus, nisi dum actu vellent habere copulam, sicque matrimonium & societas conjugalis foret illis occasio proxima æternæ damnationis. Iis ergo tales actus prohibiti solum sunt, quibus per se copula non licet. Hinc si cui ob incestum non liceat petere debitum, non prohibentur tamen illi oscula, &c. quia præceptum illud Ecclesiæ odiosum est, adeoque ad illa non extendendum. Aliud est de eo, qui obstrictus est voto castitatis; huic enim nihil licet, nisi copula, dum petitur; quia is obligavit se ad vitandas venereas etiam delectationes: quod autem petenti possit assentiri, ex petentis jure est. 6. Si conjux habens occasionem copulæ, sine animo eam habendi veneree ob voluptatem se tangat, per se loquendo non peccat mortaliter, juxta *Sanch.* & alios; quia, cum adsit potentia proxima copulæ, merito censetur, saltem ex natura sua, tactus ille referri ad copulam. Idem tenent, si absens a conjuge id faceret ob eamdem rationem. *Vasquez* autem & alii in utroque casu censent peccare mortaliter: in primo quidem, eo quod conjux non habeat jus ad explendam veneream voluptatem, nisi communicando cum comparte: in secundo autem insuper, quod non liceat conjugibus, nisi quod ad copulam refertur; hoc autem solum ad eam referatur, quod ad eam proxime habendam conducit; neque habeat conjux jus ad usum venereum sui corporis, nisi in ordine ad actum conjugalem hic & nunc possibilem, adeoque tactus ille hic & nunc non referatur nisi ad pollutionem, exciteturque natu-

ra

ra in præjudicium matrimonii. Postrema sententia probabilior est, videturque vera pro casu secundo. 7. Conjux veneree se oblectans per repræsentationem copulæ conjugalis, etsi alter conjux sit absens, per se loquendo non peccat graviter. Ita *S. Thom. S. Ant. Cajet. Suar. de peccatis disp.* 5. §. 7. *num.* 9. *Vasq. Sanch.* & *alii plurimi* teste *P. La Croix lib.* 6. *p.* 3. *n.* 337. Ratio est, quia delectatio morosa in conjugibus non potest esse gravius peccatum, quam sit actus, de quo est, & ad quem refertur; copula autem in conjugibus non est mortale, etsi voluptatis causa fiat: nec est simile in tactu proprii corporis, quia conjux non habet jus utendi proprio corpore ad voluptatem explendam, nisi communicando cum conjuge. 8. Peccant conjuges per tactus & oscula, si terminos honestatis excedunt, quia nonnisi intra illos ad eas illis concedi potuit licentia; unde si quæ interroget quæ sint licita conjugibus, respondeat Confessarius, licere conjugibus quæ conducunt ad prolis susceptionem, omnia honeste & secundum ordinem a natura institutum agenda esse, nec descendat ad particularia ex se, sed sinat ipsam exponere si quæ habeat, quæ agunt.

QUÆSTIO II.

Quæ sint bona conjugibus communia, & quæ cuique ex illis propria?

RESP. Bona conjugum sunt quadruplicia: nempe dotalia, contradotalia, paraphernalia seu præterdotalia, & communia. 1. Dotalia, seu dos sunt illa, quæ viro ab uxore, vel alio ejus nomine traduntur, ut ex eorum fructibus, vel provenctu onera matrimonii sustineat. Horum dominium, si æstimata non sunt in venditionem, nec consistant in pondere, numero & mensura, pertinet ad uxorem: unde huic

122. *Ad quem spectent dotalia?*

etiam,

etiam, durante matrimonio, competit eorum vindicatio & augmentum, uti & decrementum sine culpa mariti adveniens; nec potest ea, si sint immobilia, alienare maritus, aut hypothecæ subjicere, nisi uxoris consensus accedat, juramento confirmatus, sine fraude & metu inducente. Administratio autem dotis est penes maritum, ad quem etiam spectat fructus cujuscumque dotis, si onera matrimonii sustineat, salva tamen semper dotis substantia; idque verum est, etsi fructus essent majores oneribus: si vero dos sit æstimata in venditionem, ejus dominium est penes maritum, perinde ac si maritus eam emisset; unde ad eum quoque spectat periculum & incommodum ejus; æstimatio tamen, seu valor ejus æstimatus pertinet ad uxorem, qui si soluto per mortem mariti matrimonio obtinere non posset, dos rediret ad uxorem, ac si numquam fuisset vendita, exclusis quibuscumque creditoribus. Similiter si dos consistat in pondere, numero & mensura, etsi æstimata non sit in venditionem, ejus dominium pertinet ad maritum cum suo periculo, potestque hic illam ad arbitrium suum distrahere, sine tamen præjudicio uxoris; soluto autem matrimonio tantumdem ejusdem bonitatis & speciei redit ad uxorem vel ejus hæredes, quantum traditum fuit, nisi ante conventum fuisset, ut ejus pretium numeraretur: hoc autem taxandum esset conformiter tempori restitutionis faciendæ, vel dissoluti matrimonii, nisi aliter conventum fuisset. Porro dos æstimatur in venditionem, si valor ejus taxetur, & maritus se obliget ad servandum uxori ejus pretium, aut a se vel a suis hæredibus, si ante uxorem e vivis excedat, illi solvendum: ita enim censetur maritus dotem emere, & uxor vendere.

123. *Ad quem contradotalia?* 2. Contradotalia, quæ etiam donatio propter nuptias dicuntur, sunt quæ maritus vel alter ejus nomine assignat uxori ad assecurandam ejus dotem, debentque esse æqualia doti, quam-

quàm artifices aliud vix assignet, quàm suam artem, & alii quidam solam suam scientiam. Horum dominium, usus, administratio & fructus est penes maritum, salva tamen eorum substantia ut dos uxoris maneat assecurata.

3. Bona præterdotalia sunt, quæ uxor præter dotem affert, vel illi obveniunt v. gr. hæreditate vel donatione. Hæc pleno jure pertinent ad uxorem, nisi ita tradantur, ut instar dotis mariti fiant: hoc enim casu sequuntur naturam dotis, præterquam quod maritus non lucretur eorum fructus, quamvis possit eos expendere non in suam solius, sed in uxoris simul utilitatem. Capitalia tamen, quæ refunduntur, aut fundi qui retrahuntur, debent in æquivalenti servari uxori, nec possunt a marito in suam & uxoris simul utilitatem expendi, nisi hac consentiente; sed ad eas tantum causas, ad quas ipsa voluerit. Porro, etsi præterdotalia non afferantur instar dotis, administrationem tamen eorum habet maritus, sed ad nutum uxoris revocabilem. 124. *Ad quem præterdotalia?*

4. Bona communia sunt, quæ conjuges stante matrimonio communi labore, industria, v. g. mercatura, &c. acquirunt; item census ex utriusque capitali, fructus ex officio utriusque, vel unius, modo uterque, ut oportet, fungatur officio suo, empta ex de novo acquisitis, &c. hæc pertinent tam quoad proprietatem, quam utilitatem ad utrumque conjugem; administratio vero illorum ad solum maritum. Æquum enim est, ut quod communi labore acquiritur, commune fiat; & quia vir præsumitur capacior administrationis, hæc ad ipsum pertinet. Hinc soluto matrimonio pars residua potest disponere de medietate acquisitorum. Excipe, nisi vir industrius ante cum sponsa paupere contraxisset de certa tantum lucrorum parte, ipsi tribuenda: hoc enim casu ipsa deberet esse contenta. Constant hæc omnia ex legibus, suntque servanda, nisi alia pacta intervenerint, aut leges 125. *Ad quem communia bona?*

locorum particularium, quæ attendi etiam debent, aliud statuant.

126. *Quid arrha?* His accedunt arrha, sponsalitia largitas, donum matutinum. Arrha est, quod tempore sponsalium sponsi invicem tradunt in pignus futuri matrimonii. Hæc redit ad illum qui dedit, si sequatur matrimonium, quia non est donatio, sed velut pignus; ut tamen aliquid habeat rationem arrhæ, non debet tantum de facto dari ante matrimonium, sed expresse addendum est dari in signum futuri matrimonii; alias erit sponsalitia largitas, quæ est donatio facta sponsæ post sponsalia, intuitu futuri matrimonii. Hæc dicitur etiam mundus muliebris & dotalitium, & secuto matrimonio est, manetque uxori; si autem hoc non sequatur, redit ad sponsum, quia donatio fuit conditionata. Donum matutinum est, quod a marito datur uxori altero nuptiarum die pro thesauro pudicitiæ sibi credito; hoc pertinet ad uxorem, quæ pro libitu de eo potest disponere. Ex dictis resolves

127. *Quid liceat uxori circa bona, & quid non?* 1. Peccat vir graviter, si grave nocumentum ejus culpa adveniat bonis uxoris; & hæc pariter, si viro rationabiliter invito rem gravem usurpet, vel alienet, de qua non possit disponere, aut notabiliter se ingerat in administrationem domus sine consensu viri. Excipe, nisi hinc prodigus esset vel dissiparet rem domesticam, aut ejus curam negligeret.

2. Si vir desit officio & obligationi suæ potest uxor ex fructibus dotis, paraphernalium, vel ex lucro communi impendere, invito etiam marito, quæ ad convenientem suam sustentationem spectant, v. g. ad victum, vestitum, donationes, eleemosynas, recreationes honestas, quæ aliis talis conditionis honestis mulieribus permitti solent; nisi tamen aliud status rei familiaris exigeret. Ratio est, quia ad convenientem uxoris sustentationem se maritus obligavit, estque illa socia bonorum.

3. Po-

3. Potest viro non consulto expendere, quæ ad ejus conversionem, aliudve spirituale magnum bonum necessaria judicat.

4. Si vir desit officio suo, potest uxor expendere quæ ad avertendum grave damnum familiæ, vel filio ex voluntate patris in bello vel studiis versanti sunt necessaria.

5. Potest clam reservare ad providendum sibi & familiæ, si ex viri excessibus immineat periculum indigentiæ; immo potest clam subducere ex bonis communibus, quantum maritus potando dilapidat, etsi periculum indigentiæ sibi vel familiæ non immineret; quia dimidium ad ipsam pertinet, nec potest ipsa invita illud maritus imminuere.

6. Potest pecuniam a viro ad solvenda debita acceptam expendere in usus domesticos graviter necessarios; quia pecunia, etsi uxori tradita, manebat sub dominio viri, qui eam potius ad sublevandum gravem necessitatem familiæ, quam diluenda debita debebat impendere; nec uxor sic contrahit obligationem ex suo solvendi creditoribus.

7. Non tenetur ex bonis dotalibus suis concurrere ad solvenda debita a viro ante matrimonium contracta, etsi communia ei non sufficiant; tenetur tamen ex bonis aliis, si quæ habet, concurrere ex dimidio ad diluenda debita stante matrimonio in bonum familiæ, deque consensu utriusque contracta; non vero ad contracta ante matrimonium, aut, hoc stante, sine ejus consensu, vel non in bonum familiæ.

8. Potest uxor suis parentibus & liberis ex primo toro, pauperibus moderatas, pro more aliarum feminarum suæ conditionis, eleemosynas ex bonis communibus, marito etiam contradicente, largiri; quia hoc spectat ad decentiam status ejus, nec ipsa est serva, sed socia bonorum. Unde maritus non potest esse rationabiliter invitus. Quod si dicta quantitas non

suffi-

sufficeret ad gravem illorum necessitatem levandam, & ipsa aliunde juvare non posset, posset clam plus subducere, & egentibus succurrere; quia ad decentem quoque ejus statum pertinet & honorem, ut non permittat egere illos, cum bona habeat. Marito tamen mortuo deberet in partitione bonorum cum hæredibus mariti subtrahere suæ parti, quæ ultra dictam partem elargita fuit; quia æquum non est, ut ex alienis subveniat consanguineis, si habeat propria. Posset quoque aliis pauperibus minus dare, ut magis suis possit succurrere.

9. Permissa similis conditionis uxoribus potest facere uxor, etsi dotem non attulerit, vel nondum adsint bona communia; quia cum maritus teneatur uxorem & familiam alere, accipi possunt ex propriis ejus bonis; nec tenetur uxor propria, si quæ haberet, expendere, nisi forte alendi essent ejus parentes, aut proles ex alio patre, vel fratres & sorores; tunc enim, si haberet, prius ex propriis desumere debet extraordinaria. Recte autem monet *Gobat*, non semper expedire hæc dici uxoribus, ne abutantur; sed potius consulendum, ut ad concordiam conservandam faciant omnia marito conscio & consentiente, si ita fieri possit.

Quid si maritus moriens relinquat debita?

10. Si maritus moriens relinquat bona debitis oneratus majoribus, quam ut ex iis solvi possint, potest uxor ex iis subducere necessaria suæ & prolium sustentationi. Ratio est: quia sustentatio est illis debita, & privilegiata ante omnes creditores, excusassetque maritum debitorem; proinde multo magis hæredes. Hinc si ab uxore exigeretur juramentum, quod nihil subduxerit, potest id licite facere, quia sensus est, an quid subduxerit, quod ei non competit. Et idem est, si vir adhuc vivens cessisset foro; quia cedens foro (nisi bona sua ex industria dissipasset: hoc enim casu non gauderet privilegio cessionis) potest retinere necessaria sustentationi etiam suorum, etsi juxta probabilio-

liorem in conscientia postea, si ad meliorem fortunam redeat, teneatur satisfacere creditoribus. Ita docet P. La Croix lib. 3. p. 2. num. 432. & 436. ubi notat ex Dicastillo, non teneri postea restituere, nisi quantum commode potest, hoc est, salva congrua sustentatione.

11. Si vir sumpserit capitalia ad censum, assignando bona sua cum bonis uxoris pro hypotheca, non obligantur bona uxoris, nisi illa consenserit, & privilegio, quod habet ex Senatus-Consulto Vellejano, renuntiaverit cum juramento, vel sufficienter de privilegio suo instructa coram Notario; id quod bene notandum iis, qui capitalia ad censum elocant, aut titulos ordinationis ex bonis alienis erectos accipiunt: nisi enim addatur, si bona ad uxorem simul pertineant, eam consensisse, & privilegio renunciasse, acta non subsistunt. *Aut bona uxoris cum suis subjecerit hypothecæ?*

QUÆSTIO III.

Quæ sunt Obligationes Parentum?

RESP. Ex lege naturali parentes debent liberis suis, Primo, amorem sincerum & prudentem. 2. Educationem corporalem, & curam ut avertant noxia vitæ, sanitati & felicitati corporali, alimenta necessaria pro qualitate status sui procurent, ut discant quæ ipsis conveniunt, ut sunt artes honestæ, litterarum studia, &c. 3. Debent illi instructionem & educationem spiritualem, adeoque eos vel per se, vel per alios instruere necessariis ad salutem vitamque Christianam, præire iis bono exemplo, delinquentes prudenter corrigere, &c. 128. *Obligatio parentum triplex.*

Unde peccant parentes 129.

1. Si proli conceptæ noceant, v. gr. mater nimium laborando, onera nimis gravia portando vel levando, saltando, currendo, passionibus iræ, melancholiæ, nimium indulgendo, *Peccata parentum quoad proles.*

sicque

ficque eas passiones proli ingerendo. Pater veroux orem prægnantem exasperando, percutiendo cum periculo nocendi proli.

2. Si, ubi mater prolem lactare non potest, non prævideant, dum possunt, de nutrice bonæ valetudinis & vitæ; quia proles defectus & inclinationes ad vitia facile cum lacte imbibet. In hoc casu tenetur pater ad expensas pro nutrice: mater enim tantum pro sustentatione prolium tenetur ad lactandum per triennium, si possit; pater autem ad reliqua usque ad emancipationem, nisi esset pauper, & mater dives. Si autem mater lactare sine gravi incommodo prolem possit, ad id tenetur, sique nolit, tenetur expensas pro nutrice; quam si habere non possit sine periculo gravis nocumenti prolis, peccat graviter non lactando. Secus tantum venialiter secundum aliquos.

3. Si liberis non valentibus se alere (ubi enim valent, parentes non tenentur) negent alimenta necessaria, aut sua dilapident, labores convenientes negligant, curam rei domesticæ non habeant, ut eos honeste pro suo statu alere, hæreditatemque relinquere possint, qua ad convenientem statum pervenire valeant, & honeste vivere.

4. Si viis publicis vel foribus templi aut hospitali proles exponant sine gravi necessitate, & in hac eas exponentes non caveant illis a periculo mortis, alteriusve gravis incommodi; tenentur enim parentes ipsi alere proles suas etiam illegitimas, seu naturales, seu spurias, iisque providere, donec alere se possint. Quomodo hi succedere possint parentibus, habetur in tractatu de testamentis & successione, & apud *La Croix l. 3. p. 2. n. 1263.*

5. Si liberis negent sine causa justa hæreditatis suæ partem legitimam. Hæc ex jure communi, quando plures sunt quam 4. est medietas bonorum. Secus tantum tertia pars inter liberos dividenda, modo talis sit, ut accedente

te librorum industria convenienter statui possint vivere.

6. Si filium vel filiam cogant ingredi Religionem, aut ab ea impediant, negando legitimam vel dotem; quia liberi jus habent eligendi statum, & impedientes ab ea sine justa causa, aut ad eam cogentes, ipso facto sunt excommunicati per *Trid. Sess.* 15. c. 17. *de regul.* Quod si cogant Religionem volentes ingredi renuntiare bonis & juribus suis, non tantum graviter peccant, sed renuntiatio est reipsa irrita, quia involuntaria. Similiter peccant graviter, si cogant ut non ineant matrimonium; secus esset, si tantum a certis nuptiis ob justam causam impedirent, vel ad certas suaviter inducant, modo caveantur incommoda.

7. Si, quantum in ipsis est, non curent, ut bonis moribus instruantur, discantque quæ ad vitam Christianam pertinent, eamque ducant; si permittant frequentare mala consortia, fovere illicitos amores, &c.

8. Si mittant ad scholas hæreticas, aut ad loca hæretica, ut sub magistro hæretico jurisprudentiam discant: paulatim enim imbibunt, aut saltem emolliuntur ad errores, incipiunt minoris æstimare supremum in terris Christi Vicarium, in quem scommatis & calumniis scatent hæreticorum libri non pauci; liberius transgredi discunt præcepta Ecclesiæ; imprimunt sibi propositiones falsas, & juri etiam naturæ repugnantes; dumque hæreticorum conversatio & mores liberiores melius placent, minus afficiuntur erga Catholicos, Religionemque Catholicam vix pluris faciunt, quam hæreticorum sectas; id quod liberis grande malum est, faciuntque ejusmodi parentes, quod seminans in agro zizania vix eradicanda. Prinde videant, quomodo Deo sit reddituri rationem, qui de manibus eorum repetet animas filiorum, præsertim eum sint occasiones æque addiscendi juris-

jurisprudentiam apud Catholicos sine isto salutis & perversionis periculo, Tales parentes, per se loquendo, excusari non possunt a mortali.

9. Si delinquentes non corrigant, aut, ubi necesse est, non puniant; si puniant non ex charitate vel zelo justitiæ, sed ex passione solum, pœna ipsis non conveniente, aut justo graviore: neque enim parentes habent dominium in membra liberorum, sed jus puniendi ad correctionem. Unde pœna non debet excedere delictum, nec potestatem punientis, sed potius esse minor delicto: peccatque mortaliter parens, si filium mutilet, graviter vulneret, atrociter cædat, & juxta *Molinam*, si notabiliter gravius puniat, quam meretur: carnificibus annumerat *Gobat* parentes & Ludimagistros, qui suos ita fustibus, alapis, pugnis, aut ferulis excipiunt, ut inde fiant surdastri, hebetes, stupidi, tremuli manibus, &c. Puniri possunt subtractione cibi, aliqua detentione in conclavi vel vinculis imperfectis, virgis, &c. verbis gravioribus, sed juxta leges prudentiæ, charitatis & justitiæ, dicente Apostolo *Ephes. 6. Vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros*. Quare culpa gravi non vacat, si parentes identidem filios vocent patibularios, nebulones, trifurciferos, filios diaboli; quia dant illis ansam justam iracundiæ, faciunt morosos & contumaces. Potest pater filium, qui contra ipsius voluntatem matrimonium non conveniens inivit, ex zelo justitiæ ad emendationem delinquentis, honorem familiæ, cautelam aliorum, ad tempus excludere a communibus beneficiis, in domum non admittere; &c. sed non in perpetuum; verum eo usque, dum videatur pœna conveniens.

10. Si occulta filiorum, vel domesticorum delicta sine justa causa manifestent externis; possunt tamen parentes sibi invicem illa revelare, quia communicant in potestate puniendi,

expe-

expeditque sæpe constare utrique, ut invigilent periculis & perversionis cavendæ: immo mater tenetur revelare patri, si ipsa corrigere & avertere pericula non possit. Ceterum parens non tenetur in punitione filiorum servare procedendi modum judicii forensis, sed procedere potest ex vehementibus indiciis, seu semiplena probatione, adeoque ex unius fidelis oculati judicis delatione: sic enim exigit bonum familiæ & filiorum; tunc tamen pœna non debet esse æqualis delicto, sed spectanda simul illius cognitio.

11. Si curent castrari pueros, consentientes etiam, ut sint apti ad cantum licet sacrum; quia nec ipsi, nec pueri sunt domini membrorum suorum. Oppositum tenent *Tamb. Salonius & Pasqual.* Sed sententia illorum non videtur certo probabilis. Unde multo magis peccant, qui liberis suis adhuc teneris frangunt crura, ut medicando se possint alere.

12. Peccat graviter parens, si occidat filium suum bannitum; nisi non aliter, quam per ipsum occisum posset bono publico consuli, quia id repugnat pietati. Idem est de filio erga patrem. Denique quandonam in prædictis singulis parentes peccent graviter, quandonam tantum leviter, pensandum est ex gravitate materiæ, damni, læsionis, & circumstantiis.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint prædictorum tentationes propriæ, & quomodo in iis dirigendi?

Tentationes illorum ex tribus potissimum capitibus proveniunt. 1. Ex ipsorum vitiis. 2. Ex malis liberorum moribus. 3. Ex cura inordinata pro liberis alendis & ditandis. Circa has 130. *Mulieris querelis non facile credendum.*

Resp. I. Si conjux contra conjugem quæratur, non statim credat Confessarius querentem

culpa vacare, nec incognita causa alterutrum condemnet, nec coram uxore culpam in maritum conjiciat, quamvis sit certo reus; quia mulieres ex natura sua procaces, facile viris noxas, præsertim judicio Confessarii condemnatas objiciunt: quare melius est, re dissimulata, commendare orationem, patientiam, mansuetudinem. Potissima discordiarum causa est garrula & indomita mulierum lingua: unde non prudenter minus, quam lepide chirurgus mulierem, a viro vulneratam, curaturus, emplastrum imposuit ori, ut radicem curaret: & medicus uxori in dies vapulanti suasit, ut, marito irato, in os sumeret aquam, teneretque tandiu, dum ira deferbuisset.

131. *Quid, si vir sit nimis severus, agendum uxori?* Resp. II. Si uxor queratur de severitate & iracundia viri, suadeat Confessarius ut pro eo diligenter oret Deum, in cujus manu sunt corda hominum: sit diligens in obsequiis Christianis, ordinariis addat extraordinaria, v. gr. cibos gratos, dicatque se id facere, ut bene sit illi; sit exacte obediens: ita enim suo tempore obtinebit quod volet, exemplo S. Monicæ, quæ conjugem suum Patritium sic mitigavit, & ad fidem convertit. Taceat dum maritus iratus, aut bene potus est: immo postridie veniam petat, aut sic se gerat benignam, ac si ipsa peccasset. Si monitio profutura videatur, moneat dum maritus est bene affectus. Si irato respondendum sit, respondeat suaviter: responsio mollis frangit iram, dura suscitat furorem. Si hæc nihil juvent, per Parochum vel alium prudentem virum curet moneri maritum. Si nec hoc prosit, patientia opus est, & ex tanto malo fructus meritorum in Cælis extrahendus. Hoc enim nisi fecerit, patietur tamen, & quidem gravius, dabitque insuper in altera vita pœnas; si autem, quæ Deus ipsi ferenda offert, patienter tulerit, patietur quidem, attamen eum magno fructu meritorum, & levius magnoque cum solatio a Deo, qui nobiscum est in tribula-

bulatione. Præ omnibus caveant, ne oblocu-
tionibus aut exprobrationibus malum au-
geant.

Resp. III. Si viro uxor attentet dominari, 132.
suadendum ut 1. dehortetur uxorem suaviter, *Quid vi-*
jubeat interrogare Confessarium, an id ipsi con- *ro, si uxor*
veniat; minime autem se ostendat timidum (alias *velit do-*
enim mulieris procax insolescet superbia) si ver- *minari?*
ba suavia non proficiant, obsistat gravioribus,
& faciat in honestis ac licitis contra, ac vult
mulier; consentiat tamen quandoque, suoque
officio bene fungatur, ne ansam querendi justam
præbeat mulieri, & ita magis insultet.

Resp. IV. Si vir conqueratur ebriosam esse 133.
suam uxorem, interrogetur an non & ipse ni- *Quid si*
mio potui sit deditus? Si non, suadeatur ut u- *uxor sit*
xori ad mensam concedat, quantum similis con- *ebriosa?*
ditionis mulieribus concedi solet, aut etiam ali-
quanto plus; si nihil proficiat, conetur ratio-
nibus adducere ad moderamen; aliorum etiam
adhortationes curet adjungi. Si nec hæc juvent,
minetur verbera; &, ut ait *Gobat*, quandoque
det, raro tamen & cum moderamine. *Refert P.
La Croix l. 6. p. 2. n.* 1854. per experientiam
alicujus pœnitentis se scire quod exemplum vi-
ri sobrii, patientiaque & moderata ejusdem ad-
monitio plus profuerit, quam verbera vel ri-
xæ. Quod si & vir sit ebriosus, 1. Monendus *Quid si*
ut vitet occasiones, & obligandus ut diebus il- *vir?*
lis abstineat ab omni potu inebriativo, quibus
prævidetur futura occasio; vel plus non bi-
bat, quam per experientiam sciat se posse sal-
va temperantia potare. 2. Vel nisi quid
obstet, voveat per aliquod tempus abstinere
a vino, vel non adire tabernam, vel saltem
non plus bibere, quam sciat rationi non obes-
se. Quod si votum faciat omnino abstinendi a vi-
no, id non debet se extendere ad longum tem-
pus, v. g. ad integrum mensem; quia ob assue-
tudinem, aut non servabit, aut nocebit valetu-
dini ab uno extremo ad alterum transeundo.

Melius est paulatim sibi subtrahere, donec periculum se inebriandi evadat. *La-Croix a num.* 1851. 3. Juvat quoque injungere illi, ut a Confessione domum reversus dicat uxori, ut quoties viderit adesse periculum, moneat, & invitum etiam impediat. 4. Jubeatur considerare quandoque hæc 5. puncta: Quid fecisti? Quantum perdidisti? Qualis per ebrietatem evasisti? Quæ supplicia meruisti? Quid jam toties promisisti? Vide etiam dicta n. 88. 3. Si cogatur prandere vel agere cum aliis bibentibus, nec omnino possit declinare, suggerenda sunt media naturalia pro cavenda ebrietate, quæ suggerit *Gobat in Quinario T. 5. c. 51. f. 1. 12.* quibus tamen uti non licet sine rationabili & tantum plus bibendi causa; quia nec sobrietas, nec valetudinis frangendæ periculum id permittit. Media autem ejusmodi sunt, 1. Mane sumere jentaculum. 2. Cibos ante potum solidos edere. 3. Comedere ante amara, vel brassicam acidam. 4. Non bibere varia vina. 5. Inter bibendum non edere cibos flatulentos. 6. In principio tarde bibere causando suam indispositionem. 7. post haustum liberaliorem aquam large bibere, edere brassicam, &c.

134. *Quid ad querelas de inobedientia liberorum dicendum.*

Resp. V. Si parens queratur liberos suos inobedientes esse, ab iis se incitari ad impatientiam, maledictiones, &c. Confessarius consulat ipsi 1. Ut peccare desinat, & obediat primum ipse Deo: non mirum, quod alii ipsi non obediant, cum ipse nec obediat Deo. 2. Ut examinet, an sua fortassis culpa & negligenti educatione ista eveniant: si liberi durius tractentur, exasperantur, fiunt tetrici, contumaces, & inobedientes, præsertim si maledictionibus & ignominiosis verbis compellantur. 3. Memineris juventutis suæ, an non & ipse erraverit? Proinde cogitandum, homines defectibus obnoxios esse, nec obtineri posse omnia ex voto. Hinc dissimulet minores defectus, ut majores efficacius corrigat, exemplo piscatorum, qui pisces mi-

minores negligunt, ut majores capiant. 4. Si correctio facienda sit, fiat potius cum lenitate, quam nimia severitate: nam ut ait S. Prosper: *Leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti; nimia autem asperitate increpationis offensus nec correptionem recipit, nec salutem.* 5. Bonis verbis incitet suos, ad officium immorigeris in mensa quid subtrahat, & det morigeris, hosque laudet. Hac ratione plus obtinebit, quam verberibus ab ingenuis. Vide remedia contra iram num. 94.

Resp. VI. Si querantur de defectu mediorum ad sustentationem necessariorum, Confessarius primo soletur eos, ex dictis n. 115. & hortetur 2. Ut liberos suos in timore Dei educent; hæc optima erit hæreditas, quam nemo iis auferre potest. Exemplo sit Tobias c. 4. dicens filio suo: *Pauperem quidem vitam ducimus, multa bona habebimus, si Dominum timuerimus.* 3. Excitet ad fiduciam in Deum, qui dixit: *Quærite primum regnum Dei, & cetera adjicientur vobis.* 4. Liberi multis titulis sunt magis Dei, quam parentum; ipsi cura erit de illis, si ei serviant. Sufficit homini mediocritas: ampla hæreditas multis occasio est perditionis, & æternæ damnationis. 135. *Si querantur de mediis?*

QUÆSTIO V.

Quomodo generatim instruendi parentes, &c.

RESP. Ut totius familiæ bene instituendæ curam accuratam habeant; ac in particulari 1. Ut curent suos liberos bonis moribus, ac etiam artibus pro sua facultate instrui; illos una cum domesticis suis ad Catechismum mittant, reduces examinent, bene meritos laudent, vel etiam præmiolo aliquo excitent. 2. Præbeant se toto domui bono exemplo: nihil faciant, vel loquantur, quo pueri scandalizari 136. *Instructio parentum.*

 queant,

queant, vel domestici. 3. Omnes suos diebus sacris ad Divina diligenter mittant; nec ab exhortatione vel concione sine causa detineant, nec durius increpent, si forte paulo serius redeant ancillæ; ne fortassis non statim nactæ occasionem audiendi Sacrum, illud postea ex timore ex parte omittant. Laboribus servilibus, sine urgente necessitate, suos non occupent, otium tamen domo sua eliminent, commendent lectionem pii libri, curent Litanias & preces vespertinas ante decubitum a tota familia collecta recitari; sic descendet benedictio cælestis: pietas enim ad omnia utilis. Suadeant illis cultum Sanctorum, præsertim Beatissimæ Virginis, S. Josephi, Angeli Custodis, & Sancti, cujus nomen gerunt, & horum festis & alias per annum jubeant confiteri, & ad mensam Domini accedere. Sublatis e domo vanis imaginibus, prostent piæ Crucifixi, Beatæ Virginis, &c. ut subeant animum quandoque pia cogitatio, & occasio sit venerationis: uni alterive Sodalitati (pluribus adscribi non expedit, quia ob negotia domestica tot legibus satisfacere non possunt) dent sua nomina, eam adeant, juxta ejus leges Divina frequentent. 4. Ut tum inter se, tum inter suos maximi æstiment, & curent concordiam: ubi enim hæc non est, nec benedictio erit. Caveant quoque, ne sine speciali causa necessitatis unam prolem præ aliis foveant advertentibus aliis: hoc enim invidiam & aversionem parit. Neque, dum proles a patre punitur, si cum moderamine fiat, mater palam obsistat, aut proli postea blandiatur, ac si innocens passa esset: hoc enim correptionis fructum aufert, & liberos facit refractarios. Si pater monendus videatur, fiat hoc clam pueris. Et hæc eadem servet pater, si mater moderate puniat. 5. Ut pro facultatibus suis sint misericordes in pauperes: *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. 5. *Fœneratur Domino, qui miseretur pau-*

peris.

peris. Prov. 19. *Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, miseriam sustinebit.* Prov. 28. Proinde pauperes non despiciant, non repellant dure; sed, si succurrere non possint, benigne dimittant: si possunt, faciant bona intentione tamquam Christo, qui quibusdam voluit esse superflua, aliis deesse necessaria, ut illi in his sibi gratificarentur, & mererentur misericordiam. Expedit etiam, ut parentes pueris committant eleemosynam pauperibus porrigendam: sic enim a teneris induent affectum misericordiæ. Bonam matremfamilias describit Salomon Prov. 31. vocatque mulierem fortem: *Byssus*, inquit, *& purpura indumentum ejus*; id est, candor seu integritas vitæ, seu verecundia. *Consideravit semitas domus suæ*; hoc est, mores suos, & suorum. *Panem otiosa non comedit*; id est, labore acquisivit. *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus*; nempe scientia competente & virtutibus. *Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus*; id est, verbis prudens & clemens, seu suavis. *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum*; id est, excitavit se ad onera matrimonii fortiter ferenda. *Digiti ejus apprehenderunt fusum*; id est, dedit se laboribus mulieri & matrifamilias convenientibus. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.*

CAPUT V.

De Confessario liberorum seu filiorumfamilias.

NOsse oportet Confessarium horum obligationes, bona, & jura, indeque judicare de eorum peccatis.

QUÆSTIO I.

Quæ sint obligationes liberorum erga parentes, eorumque peccata specialia contra pietatem?

137. *Obligationes.* RESp. Liberi debent parentibus amorem, reverentiam & obedientiam. Ratio est, quia sicut rectus ordo in Republica rationalis creaturæ, lexque naturæ exigit, ut parentes proles suas ament, iisque procurent quæ ad corporis & animæ salutem necessaria sunt; sic pariter exigit, ut hæc parentes suos, a quibus post Deum vitam, educationem & sustentationem habent, ament, adjuvent, revereantur, iisque saltem, quamdiu iis subsunt, & in patria sunt potestate constitutæ, obediant. Unde peccant graviter

138. *Peccata.* Primo. Si pauperibus parentibus, se alere honeste non valentibus, non subministrent alimenta & necessaria; si parentes in infirmitate negligant, e carcere non liberent, dum possunt; si simulent se pauperes parentes non noscere cum gravi eorum mœrore: secus tamen si iis providerent, & ex gravi rationabili causa exterius tantum dissimularent; tunc enim ad tempus parentes non possent esse rationabiliter inviti. 2. Si a testamento piisque legatis faciendis vi vel dolo impediant, vel eorum testamenta & legata non impleant; si defunctis pro more Christiano non succurrant, &c. 3. Si iis signa odii ostendant, & aspere eos tractent, vel torvo semper vultu intueantur, ac si odio haberent: si verbis contumeliosis, vel quibus sciunt graviter offendendos, afficiant: si maledicta vel convitia in eos conjiciant: si eos percutiant, vel ad percutiendos manum attollant; nisi tamen id necessarium esset ad vitam vel integritatem membrorum conservandam. Si sint causa, ut merito graviter contristentur: si grave illis

malum v. g. mortem optent, vel de ea secuta deliberate gaudeant contra ordinem charitatis: si eos in judicio de crimine etiam vero accusent; excipe, nisi crimen esset hæresis prodisent; excipe, nisi crimen esset hæresis proditionisve, aut conjurationis in Principem, aliterque impediri non posset; tunc enim bonum publicum privato præferendum est. 4. Si in re gravi spectante ad mores, animæ salutem, & gubernationem domus parentes non audiant, vel contra voluntatem eorum cum persona indigna contrahant matrimonium; ex quo juxta morem patriæ grave dedecus sequatur familiæ: vel illud ineant inconsultis parentibus in iis circumstantiis, in quibus merito graviter offendi possunt: licet enim liberi non subsint parentibus quoad electionem status, nec teneantur obedire, ubi sine rationabili causa dissentiunt; decens tamen est, ut parentes consulant. Denique graviter peccant per omnem rebellionem, contumaciam contra expressa parentum mandata, nisi materiæ levitas, vel indifferentia, aut negligentia aliqua humanæ fragilitatis, aut defectus omnis contemptus mandati excuset. Ratio horum omnium est, quia pietas erga parentes in materia gravi per se obligat liberos sub mortali. Dixi: *per se*; quia per accidens quandoque a mortali excusari possunt, v. g. ratione ætatis, infirmitatis, judicii obtusi, educationis, &c. ita ut parentes rationabiliter non possint graviter offendi. Hinc si in genere se quis accuset de inobedientia vel irreverentia contra parentes, spectanda est indoles & ætas pœnitentis: sique ætas sit exigua, supponi potest delictum non esse grave; si autem sit notabilis, & indoles notetur audax, interrogandus est de modo irreverentiæ & materia inobedientiæ; quæ enim respectu aliorum in materia odii, contumeliæ, malevolentiæ, contemptus sunt mediocria, respectu parentum filiis sunt gravia: quia his illi sunt proximi post Deum. Ceterum mos & æstimatio gentis etiam

Quandonam gravia.

mensura sunt irreverentiæ filiorum contra parentes. Quod si filius dubitaret, an causa aliquid faciendi vel omittendi, quo parens graviter affligi posset, sit justa, tenetur abstinere; quia possessio est pro parente: immo licet certo constaret, exacerbationem parentis oriri ex malevolentia, aut pravo humore ejus, adhuc pietas exigeret, ut omnem, quoad potest, ejus exacerbandi occasionem fugeret. Si tamen citra filii prævisionem orietur exacerbatio, ipsi non imputaretur.

QUÆSTIO II.

Quæ sint filiorum bona & jura, eorumque peccata contra Justitiam?

139. *Bona castrensia plene pertinent ad filiũ.* RESP. Bona filiorum quadruplicia esse possunt, nempe castrensia, quasi castrensia, adventitia, & profectitia. Castrensia sunt illa omnia, quæ filius acquirit castrorum seu militiæ causa, ut equus & reliqua omnia, quæ eunti ad militiam donantur a patre, aut alio. Item quæ acquirit ratione militiæ, ut sunt stipendia, spolia, & quæ ex memoratis bonis proveniunt. Horum dominium plenum, liberamque sine consensu patris dispositionem habet filius, tamen pubes non esset, id est, annum decimumquartum non complevisset; de iis disponere & testari non posset, ne privilegium cedat in detrimentum infirmæ adhuc ætatis.

140. *Item quasi castrensia.* Quasi castrensia sunt, quæ filio donata sunt a Principe, vel acquisita per officium publicum non mechanicum, ut judicis, advocati, medici, professoris scientiæ liberalis; vel ex officio Clericali, aut beneficio Ecclesiastico; item donata a patre pro titulo donationis. Horum dominium & dispositionem habet filius, non secus ac castrensium. Titulus tamen ordinationis probabilius venit in divisionem bonorum, quia censetur legitima.

Ad-

Adventitia sunt, quæ aliunde absque intuitu 141.
patris saltem principaliter filio adhuc sub patria potestate constituto adveniunt, v. gr. per testamentum, aut alio modo, a matre, avis, vel consanguineis maternis, aut extraneis: vel ex privata propria industria & labore, famulatu apud externos, ex negotiatione, de proprio peculio suis sumptibus vivente, opera extraordinaria vel fortuitu, v. g. inventione thesauri, vel ex donatione, intuitu quidem patris facta, sed principaliter ex affectu erga ipsum filium. Horum dominium ad filium pertinet: usufructus vero, quamdiu filius est sub patria potestate, ad patrem; & hinc mortuo patre non sunt in alios dividenda, sique, uti res consumptibiles, fuissent consumpta, filio sunt in æquivalenti restituendi. Id est de castrensibus, & quasi castrensibus.

Adventitia tantum quoad dominium directum.

Profectitia sunt bona a prioribus distincta, 142.
quæ filio obveniunt ex donatione facta principaliter intuitu patris, & quæ filius acquirit ex bonis paternis, v. g. ea administrando, iis nomine patris negotiando. Horum proprietas & usufructus spectat ad patrem; proinde hoc mortuo in omnes hæredes sunt dividenda: si tamen filius etiam clam negotiaretur pecunia patris nomine suo, suscepto in se ejus periculo & damno, lucrum esset adventitium, quia sic pecunia velut sua negotiaretur. Unde

Profectitia plenè ad patrem pertinent.

Infere I. Peccat filius contra justitiam, & te- 143.
netur, per se loquendo, ad restitutionem, si patria potestate constitutus de bonis adventitiis, vel proventu ex illis aliquid expendat, donet, vel alia ratione alienet contra voluntatem patris; quia usufructus illorum pertinet ad patrem. Item si de bonis profectitiis, aut aliis bonis patris, vel eis damnum grave inferat: quia horum & proprietas & usufructus spectat ad patrem. Dixi: *per se loquendo*: nam 1. Non tenetur, si pater condonet, aut prudenter præsumatur condonaturus, si ro-

Quid, si filius alienet de adventitiis.

garetur etsi filius præ verecundia rogare non audeat. Præsumitur autem condonaturus, si pater sit liberalis, & magno affectu feratur in filium. 2. Si pater sciat, & non exigat: & raro, inquit *Layman*, censetur pater tam severus, ut damnum passus in bonis filii adventitiis reparari ab eo id velit. 3. Si damnum sit leve. 4. Si bona sint donata vel legata filio ea conditione, ut ipse solus usumfructum habeat, vel legatus filio sit solus ususfructus: quia super hunc alius usufructus constitui non potest. 5. Si filius cum patre, vel eo invito adeat hæreditatem. Ratio est, quia in his postremis casibus usufructus spectat ad filium; hic tamen, si sit impubes, nihil de bonis suis pro foro externo alienare potest, uti nec pubes sine consensu patris ad profanas causas testari potest, nisi de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus. Dixi: *pro foro externo*; nam si impubes ratione præditus tibi donaret de bonis, quorum dominium & administrationem habet, licite id retineres donec repetatur.

144. *Aut patri quid subducat.* *Infero* II. Si filius rem gravem subducat, quam putatur rationabiliter pater non negaturus, si filius peteret, non peccat graviter: secus si putetur rationabiliter negaturus, aut invitus esse; ut si subduceret ad lusus vetitos, compotationes, luxum, &c. Ratio est, quia in hoc casu pater est invitus quoad substantiam, in primo autem tantum quoad modum. Quæ quantitas, respectu filii, patri aliquid surripientis, sit gravis, non potest una regula definiri; sed spectari debet parentum status, facultates, affectus in liberos, multitudo prolium, finis ad quem accipitur. Si enim parentes sint divites, liberales in suos, si accipiatur ad usus honestos, paucæ sint proles, parentes sunt minus inviti, saltem quoad substantiam, quam si sint mediocris fortunæ, parci, multas habeant proles, vel accipiatur ad usus inhonestos. Hæc omnia diligenter consideranda sunt, ne vel nimis

mis facile filiis ingeratur conscientia peccati mortalis, vel laxentur habenæ ad furandum. Recte docent *Layman* & *Molina*, filium in Academia, vel Aula Principis versantem posse vigesimam partem pecuniæ submissæ a parentibus impendere in recreationes honestas, eleemosynas, donationes: quia id pertinet ad honestam sustentationem; & censetur pater id permittere universim. Summa gravis videtur dicenda, cujus ablatio, spectatis omnibus jam recensitis, merito ad gravem offensam patrem moveret: id quod bene notandum.

Infero III. Peccat filiusfamilias, si aliquid de lucro, quod in domo patris opera ordinaria laborans, v. g. agriculturam exercendo, aut nomine patris v. g. mercatoris, cauponis, negotiando acquirit, sibi retineat sine consensu, vel contractu cum patre, tamquam salarium. Ratio est, quia jura apud *Layman l. 3. Tr. 4. cap. 8. num. 12.* volunt, omnia acquiri patri, quæ filius in domo patris laborans lucratur; & merito, quia sic providetur liberis omnibus tam infirmis & debilibus, quam sanis & validis, litesque vitantur. Neque consuetudo habet, ut filius a parente exigat salarium in ejusmodi labore, cum victum & vestitum a patre habeat, & addiscat sibi necessaria acquirere. Deinde, etsi plures apud *La-Croix l. 3. p. 2. num. 1034.* putent filio in domo patris laboranti deberi salarium, eo quod sit velut socius negotiationis, nec debeat esse deterioris conditionis, quam famulus, vel extraneus ad lucrum concurrens, præsertim si alii parum aut nihil laborent, aut ad lucrum conferant; non potest tamen clam sibi reservare salarium, quia non licet occulta compensatio, nisi habenti jus certum; jus autem filii ad salarium, nisi cum patre de parte lucri contraxerit, certum non est; tum propter jam dicta; tum quia si vellet cum patre contrahere, posset eum pater repellere, ei valenti se alere, victum negare, &

145. *Vel clam accipiat pro mercede sui laboris in domo patris?*

uni

uti alterius opera. Tum etiam, ut advertit *Molina Tract.* 2. *disp.* 234. gestor negotiorum, quando præsens est ille, cujus negotium gerit, non potest petere salarium, de quo mentionem non fecit, sed censetur facere gratis: proinde in præsenti non est consensus patris in salarium, nisi contractus intervenerit. Hinc si filius, defunctis jam parentibus, prætendat plus in divisione hæreditatis, timensque ne ab aliis id sibi negetur, velit occultare aliqua, & sibi reservare, eo quod parentes senes sustentare, rem domesticam administrare, conservare debuerit, aut etiam auxerit, dum interim fratres & sorores matrimonio juncti sua curarunt, aut alibi lucrum fecerunt; bene expendenda sunt omnia: nam forte & alii in domo paterna ante ipsum laborarunt, & parentibus adfuerunt auxilio, idque absque salario: ipse victum & vestitum ex bonis parentum habuit diutius, quam alii, &c. Si æquum, consideratis omnibus, videatur ut compensetur ipsi labor parentum sustentationi, bonisque administrandis impensus major, eo quod plus fecerit, quam alii; interrogetur, an pater promiserit ei compensationem curæ majoris? Si ita, compensanda est judicio prudentum; si non, conveniat cum fratribus, audito aliorum consilio, ut fiat quod æquum est: permittere enim ut talis sibi compensationem taxet, nimis periculosum est. Putat *Layman* & alii ob sententiam oppositam tenentium deberi filio salarium, posse Confessarium mitius agere ut non obliget ad restitutionem, si filius jam subduxerit compensationem, modo non sit justo major, certoque plus lucratus sit parentibus, quam alii.

Dixi 1. *Opera ordinaria*: nam quæ lucrantur opera extraordinaria, bonis adventitiis annumerantur, adeoque licet peccet patri non concedendo usumfructum, posset tamen facilius quandoque excusari ob pericula non accipiendi

postea,

postea; quod ipsi præ ceteris debetur. Denique censet *Layman*, posse filium ex operibus artificialibus in domo patris exigere salarium, deductis tamen expensis, quas pater ipsi sustentando impendit. Rationem dat; quia filius, nisi pater se alere posset, potest e domo paterna discedere, ut artem discat, vel quodvis honestum vitæ genus amplectatur; ergo etiam ut alteri operam suam locet & lucretur. *Ant.* probat; quia alia servilis conditionis efficeretur, & velut in perpetuo carcere in domo paterna detineri posset. At, nisi contractus saltem tacitus intervenerit, censetur laborare gratis.

Dixi 2. *Filiusfamilias*, id est, sub patria potestate constitutus; nam si hic sit liber, v. g. per mortem naturalem vel civilem patris, avo paterno non superstite, vel lapsum patris in hæresim, aut emancipationem coram judice, vel susceptionem presbyteratus, aut contractum matrimonii, quæ lucratur, sibi acquirit.

146. *Quæ venire debeant in divisione hæreditatis?*

Infero IV. Quæ filius invito patre subduxit injuste, tenetur mortuo patre in divisione hæreditatis subtrahere suæ parti; quia justitia exigit, ut alii cohæredes serventur indemnes, & æqualitas reducatur. Excipe nisi alii tantumdem subduxissent, aut id scientes non exigerent, vel pater in vivis remisisset, vel denique solus esset hæres; quo casu solus quoque teneretur solvere patris debita, quamquam non ultra vires hæreditatis, idque in foro conscientiæ, etsi inventarium non fecisset. Similiter in divisione hæreditatis subtrahenda sunt quæ præter necessaria alimenta necessario proli alicui pater impendit, ut sunt data in dotem ob nuptias, ordines, ingressum religionis, per professionem, ad liberandum filium ex carcere, in quem ob delictum conjectus fuit; nisi pater expresserit non esse subtrahenda. Ratio est, quia pater censetur ista dedisse, quia debuit & de portione prolis; data vero pro alimentis in studiis, pro addiscenda vel profitenda arte etsi me-

mechanica, pro convivio Doctorali, vel nuptiali, in prima Missa, primo ingressu in Religionem, reducuntur ad alimenta; quia hæc spectant ad decentem sustentationem & honorem patris.

147. *Admonitio filiorum, & instructio.* PRimo. Si filius (idem est de filia) se accusarit de inobedientia erga parentes, dicatur illi ut meminerit quanta tulerint, fecerintque pro liberis, quot noctes duxerint insomnes, quot molestias adhuc sustineant, ut eos honeste alant; iisque in futurum provideant, indignum esse eas augeri a liberis, a quibus nunc auxilium & solatium exspectant. Numquid vis manducare cum parentibus? Numquid vis esse hæres eorum? An ergo non decens ut simul labores, & obtemperes? Mandat Deus ut parentibus obedias; si iis sis inobediens, Deo es inobediens, quomodo ergo ab eo benedictionem exspectabis? 2. Si graviter offendisset parentes sua inobedientia, aut eorum honorem imprecando, vel alio modo læsisset, jubeatur redux domum veniam petere, & emendationem promittere; vel si hoc videretur difficulter facturus, suavibus verbis & promptis obsequiis debito suo satisfacere, & eos sibi conciliare. 3. Si putet filius se a parente durius tractari, & alium foveri ab ipso, petatur an is sit forte magis reverens erga parentem: si ita, faciat ipse similiter; si non, conetur ipse in omnibus gratificari parentibus, & futurum ut non minus ametur. Amor erga unum ex liberis v. g. juniorem, est quandoque magis tener, non ideo natu major minus amatur. Ad alterum, si parens asperius eum habeat, jubeatur aut tacere, aut benigne & reverenter respondere; sic vincet & emolliet parentis animum, sique ad tempus patiendum sit, patientiam Deus multiplici benedictione coronabit, &c. 4. Si queratur, & pro excusatione inobedientiæ aut irreverentiæ referat, parentem rei domesticæ

non

non bene præesse, potitare, sua dilapidare; moneatur ut eo diligentius rebus suis invigilet, patre ebrio sileat, sobrium & bene dispositum benigne & reverenter moneat & roget, in suis sibique consulat, vel curet per virum prudentem, v. g. Pastorem, aliumve amicum patrem ad meliora reduci, Deumque sæpe pro eo oret; quæque, omnibus adhibitis, emendare non potest, patienter ferat, sibique certo persuadeat, in præmium patientiæ benedictionem in terris, & gloriam daturum in cælis Deum.

CAPUT VI.

De Confessario Superiorum, & Subditorum.

QUÆSTIO I.

Quæ sint speciales obligationes & peccata Herorum seu Dominorum?

RESP. I. Heri aliique Superiores tenentur habere curam famulorum & subditorum suorum, iisque præstare ad quæ vi contractus seu taciti seu expressi sese obligarunt; ait enim Apost. 1. Timoth. c. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Ratio autem est, tum quia sunt loco parentum, caputque suorum morale; tum quia justitia exigit ut, de quibus contraxerunt, serventur. Unde 148. *Obligationes Herorũ.*

1. Peccant Heri, si non curent ut præcepta Dei & Ecclesiæ observent famuli & famulæ: si non impediant eos ab occasione peccandi, & pericula ab eis non avertant, quantum in ipsis est: si delinquentes non corrigant: si negligentes necessaria ad salutem non moneant, vel ad ea addiscenda non adducant. 149. *Peccata Herorũ.*

2. Si non dent iis convenientia alimenta & mercedem justam, nec eam, si fideliter servierint, tempore consueto, nisi in dilationem famu- *Salarium justum triplex.*

famulantes consentiant. Est autem merces justa, quæ spectatis circumstantiis loci, temporis, ac pro tali ministerio ejusmodi hominibus pendi solet; estque triplex: alia summa, alia media, alia infima. Minus, quam hanc, dominus famulo dare licite non potest, etsi hic esset pauper, aut res arbitrio domini sine conventione explicite fuisset relicta; nisi forte ministerium esset tale, pro quo nihil exigi, darique soleat, præter honestam sustentationem victumque convenientem; vel Herus aliquem reciperet potius misericordiæ, quam obsequii causa, hocque illi indicaret. Ceterum sicut copia mercium sæpe imminuit earum pretium, sic copia famulantium horum salarium, ita ut modo justum sit, quod alias justum non fuisset.

3. Si famulos ante tempus sine justa causa, ex parte eorum se tenente, ex servitio dimittant, aut ita tractent, ut cogantur ante discedere. Atque in hoc utroque casu tenentur solvere mercedem integram, per se loquendo, & servare indemnes.

4. Si negent salarium vel ejus partem, quia nolunt, vel non possunt eorum opera uti, v. g. quia Heri sunt infirmi, aut aliunde impediti, nisi aliter conventum sit; quia cum per famulos non stet, quo minus operam suam præstent, potius Heri ex casu fortuito, quam famuli innocentes damnum ferre debent. In hoc casu si famulus locaret operam suam alteri ad tempus, stipendium pro ea cederet domino impedito; quia opera illius temporis illi debebatur; ergo & pretium ejus, neque damnum pateretur famulus, quod compensari deberet. *La-Croix l. 3. p. 2. num. 1050. Layman l. 3. Tr. 4. c. 22.* Quod si Herus monuisset vel imperasset famulo, ut interim operam suam locaret alteri, & hic id neglexisset, detrahi famulo posset quanto domino decedit. Putat *Lessius*, quod libertas se locandi interim alteri, famulo concessa, sit pretio æstimabilis, adeoque aliquid

pro

pro ea; si alteri non se locarit, posset detrahi; at libertas illa, ut recte *Molina*, est parum æstimabilis.

5. Si famulis ægrotantibus pro consuetudine loci ad breve saltem tempus non dent alimenta; quia si consuetudo ita habet, tacite ad id in conductione famulorum se obligarunt, quibus tamen infirmis non tenentur solvere medicinas, immo si conductus, v. g. ad annum, ægrotaret diu, v. g. ad duos vel tres menses, de rigore Herus nec alimenta tandiu, nec totum salarium, sed pro rata temporis tantum dare teneretur. Hic quando graviter, quando leviter tantum peccent Heri, determinandum est ex gravitate vel levitate materiæ, uti in aliis injuriis. Ceterum non peccant Heri timendo & invigilando, ne a famulis defraudentur, quia timor fundatur in periculo communi.

SI circumstantiæ id ferant, monendi sunt domini, ut suæ obligationi satisfaciant, famulantes benigne tractent, non appellent verbis contumeliosis, eorumque errata corrigant, leviora quandoque dissimulent, memores humanæ fragilitatis. Eorum famæ consulant, nec defectus aut vitia divulgent, nisi forte charitas postularet revelari alteri, cui suam operam deinceps vellent addicere; quo etiam casu plus non foret dicendum, quam conducat ad cautelam Heri futuri. 150. *Admonitio Heris danda.*

QUÆSTIO II.

Quæ sint obligationes famulantium?

RESP. Tenentur primo obedire Heris suis in iis, quæ spectant ad bonos mores, & ad quæ se obligarunt vi contractus. 2. Præstare fidele obsequium Heris suis, quale ordinarie ab ejusmodi exigi & præstari solet. 3. Illud autem etsi possit esse exactissimum, quale soleat diligentissimi, vel medium seu exactius, 151. *Famulorum obligationes.*

que-

quale solent exhibere diligentiores; satisfaciunt tamen suæ obligationi, nisi aliter conventum sit, si præstent infimum, justum, seu quale solent præstare diligentes, ita ut non vergat in desidiam. 4. Manere in obsequio dominorum tempore, de quo conventum est, nisi causa interveniat, ex qua pro consuetudine loci liceat discedere. 5. Non uti vel distrahere res dominorum ipsis rationabiliter invitis, cavereque eorum damna pro ratione officii sui. Unde deduco

352. *Specialia famulorũ peccata. Peccat primo famulus, an sit negligens.* 1. Peccat famulus, si negligens sit, & servitium justum, saltem infimum, præstare omittat. Et in hoc casu tenetur domino de damno emergente, & lucro cessante; uti & si ante tempus sine justa causa discedat, aut relicto ante servitio non redeat; si dominus tamen nullum inde damnum pateretur, non posset famulo ante sententiam judicis negare totum salarium, quia dignus est operarius mercede sua pro tempore, quo laboravit. *Lugo de justitia dist.* 29. *num.* 56. Idem dicendum, si famulum redeuntem, uti non tenetur, nollet recipere. Vide tamen *Schmaltzgrueber l.* 3. *Tr.* 18. *n.* 69.

2. Si damna non impediat. 2. Si non impediat damna domini sui; & quidem semper peccat contra charitatem, cum facile & sine gravi incommodo potest; contra justitiam autem, & cum obligatione restituendi in defectu aliorum, si damna non impediat in iis, quæ ipsi specialiter sunt commissa; ut si cui commissa esset cella, granarium, vel penus, vel hortus, aut culina, vel tota domus: hic enim teneretur de damnis, quæ ejus culpa sunt illata, vel ab ipso non impedita, cum impediri potuissent. Si autem non impediat in iis, quæ ipsi specialiter commissa non sunt, etsi, ut dixi, peccare possit contra charitatem; probabiliter tamen non peccat contra justitiam, adeoque ad restitutionem non tenetur: quia illa obligatio nimis difficilem redderet famulatum, adeoque non videtur imposita. Admittunt

tiunt hoc omnes, si damna inferuntur a domesticis; negant vero *Lugo*, *Tamb. La-Croix*, si ab extraneis inferrentur in rebus dominorum, circa quas solent occupari famuli, ut sunt res omnes domesticæ, fruges agrorum, &c. eo quod sit communis persuasio; videaturque esse Juris Gentium, quod cuilibet famulo res domini sui commissa sit contra injurias externorum.

3. Si exigat salarium summo justo majus; quamquam potest a domino liberali plus, quam mereatur opera ejus, admittere; quia sunt Magnates, qui putant ad decus suæ familiæ spectare, ut suis plus pendant. *3. Si justo plus exigat.*

4. Si salario justo infimo, de quo pactus fuit, non contentus prætendat se plus mereri, & utatur occulta compensatione, ordinarie peccat pro gravitate materiæ: nam ut occulta compensatio liceat, requiruntur hæ conditiones: Prima, Debitum debet esse justitiæ, idque certum, & nunc vel saltem proxime præsens: quia in dubio an alter mihi debeat, ipsum injuste privarem re sua. 2. Res quæ accipitur, debet esse debitoris, & non alterius ipsi commodatæ, vel apud ipsum depositæ. 3. Res quæ accipitur, si fieri possit, debet ejusdem esse speciei cum re mihi debita, ne dominus cogatur rem aliam cum mihi debita commutare. 4. Debet compensatio fieri sine damno debitoris, & tertii. 5. Debitum non debet posse facile impetrari alia via. Prima autem conditio, quæ præcipua est, raro adest in famulis: hi enim sæpe amore lucri excæcati persuadent sibi se minus justo accipere, dum interim essent alii, qui eadem mercede servirent. Caritas temporum sæpe imminuit salarium: hoc quod illi decedit, non raro compensatur per alios favores, instructionem, spem commodi, cujus intuitu ab initio renuntiarunt majori salario, &c. quæ omnia cum sæpe sint ignota, non permittenda famulis occulta compensatio, etsi dicant sibi esse evidens, quod justo minus accipiant; *4. Si utatur occulta compensatione, non facile permittenda famulis.*

sed jubeantur dominis rem suam exponere ; & cum illis convenire, ut aut plus accipiant, aut permittantur quærere alium dominum. Innocentius enim XI. damnavit hanc propositionem ordine 37. *Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte Heris suis eripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Hæc propositio si vera foret, aperiret ostium furtis plurimis.

5. Si res Domini expendit, ipso invito, etiam in bonum domini.

5. Si res domini, ipso inscio & rationabiliter invito, expendat etiam in bonum ejus, v. g. si famulus equis, ut eos vegetos & pingues conservet, clam frumenti plus apponat, quam velit dominus. Facilius tamen in tali casu excusabitur a mortali & onere restitutionis, nisi in valde magna quantitate excessisset; quia totum cessit in bonum domini, qui & facilius præsumitur non exigere restitutionem. Sic & excusatur ancilla, si de accepta pro emendis pecunia, ubi minoris emit, partem restantem reservet, in bonum domus alias impendendam, ne a domina reprehendatur, ubi carius emendum erit; quia talem injustam reprehensionem subire non tenetur. *La-Croix lib. 3. part. 1. num.* 1043.

6. Si justo plus consumat.

6. Si in itineribus vel negotiis pro Hero gestis plus consumat, quam necesse sit Herusque permiserit; quia Heri censentur tantum consentire in sumptus honestos & necessarios.

7. Si emens nomine domini pretio detractum retineat.

7. Si missus ut quid emat, id sibi emat, Heroque dein vendat carius; quia tenebatur nomine Heri emere, hinc & tenetur ad restitutionem. Idem est si rigide mercetur, detractamque de pretio communi pecuniam sibi retineat; quia illa manet sub dominio domini, neque sibi eam pro industria extraordinaria appropriare potest; quia emit nomine Heri, qui ex justitia ipsi nihil debet pro industria, quam non exegit, sed famulus libere posuit. Idem dicendum est, si jussus pretio ab Hero taxato emere, minoris emit; vel vendere, & pluris

ven-

venditi; quodque superat taxam, retineat: quia Herus censetur pretium taxasse, ne pluris emeret, vel minoris venderet.

8. Si accepta ab Hero pecunia missus, ut eam offerendo alium averteret a damno Hero inferendo, alium verbis bonis avertat, & retineat pecuniam. Ratio est, quia primario missus est ut nomine Heri damnum averteret, nec voluntas Heri fuit ut offerret pecuniam, si aliter averti posset; sique putavit aliter placari non posse, error fuit, & ex hoc pecuniam tradidit famulo.

8. Si pecuniam alteri dandam pro damno avertendo retineat.

9. Si famulus ab Hero accepisset 300. nummos aureos, ut certo creditori debitum exsolvat & commutet illos cum lucro in aliam monetam, debitumque solvat, non peccaret lucrum retinendo; quia pecuniam non commutavit nomine Heri, sed lucrum est fructus industriæ nomine famuli positæ. Excipe, nisi expresse dominus voluisset illas pecunias tradi creditori, aut sibi reservasset lucrum, vel potuisset ideo a creditore plus obtinere. Similiter si quæstor negotiaretur, domino inscio, cum ejus pecunia sine damno domini, periculumque in se susciperet, posset lucrum retinere; quia cum pecunia de se non sit frugifera, fructus ex ea censetur esse industriæ; posset tamen & in hoc, & in priore casu peccari leviter contra observantiam domino debitam; uti si merito crederetnr id ægre laturus, si sciret. Non videtur tamen graviter contra justitiam quæstor peccare, etsi dominus prohibuisset, quia non læderet graviter jus proprietatis domini.

Quid, si commutet pecuniâ?

15. Si famulus ab Hero missus, ut Heri nomine recipiat pecuniam a debitore ejus, eam permutet, peccat, & lucrum debet dare Hero; quia eo ipso quod traderetur famulo, erat pecunia Heri, qui censetur habere illam; pecunia autem solvenda creditori in priori casu necdum hujus erat. Vide alium casum apud *La Croix lib. 3. p. 1. n.* 1047.

Quid de esculentis? 11. Peccant gravit r famuli & ancillæ ; si esculenta in notabili equantitate extraneis vendant vel donent; quia domini sunt graviter inviti quod substantiam, quod patet ex eo quod graviter indignentur ; id rescientes, detrahant partem salarii, & quandoque ex domo dimittant, & merito ; quia illa licentia magnis damnis exponit dominos, & famulos pervertit, ut inter quisquillias numerent, quæ reservanda sunt mensæ familiæ. Peccant quoque, si cibos de mensa sua residuos vendant, aut donent extraneis, quia merito censentur domini inviti; si tamen cibi ordinarii non pretiosi, nec ad alteram mensam reservari soliti, darentur pauperibus, qui quandoque juvant in laboribus domesticis, excusarentur a culpa saltem gravi : quia domini non censentur ita rationabiliter inviti, saltem quoad substantiam, utpote talibus obligati, saltem ex charitate vel gratitudine; immo si cibi essent corrumpendi, vel porcis objiciendi, vel Hera parcissime remuneraret operas externorum, non peccaret ancilla, moderate illos pro bono domus in pauperes collaborantes erogando.

12. Si accipiant famulantes victualia pretiosa, vel recludi solita, aut ipsis non dari solida, eaque absumant, peccant pro gravitate materiæ; nisi domini hic & nunc prudenter præsumantur contenti. Si autem accipiant victualia non pretiosa, quæque statum illorum non excedunt omnino, nec recludi solent, & domini id rescientes non contradicant, aut rogati facile concedant, signum est non esse invitos quoad substantiam. Sciunt, inquit *Lugo de jure & justit. disp.34. n. 78.* non posse expectari a famulis, ut de rebus, quas tractant, nihil manibus adhæreat. Non est tamen hic laxanda famulantium libertas, sed potius restringenda, ne in abusum abeat; monendique sunt, ut Heros aliquando interrogent quid sibi liceat in iis : quia quandoque sibi persuadent licere, quæ non licent,

licent; v. g. putat ancilla vel famulus pistoris sibi licere mane pro jentaculo accipere similaginem inscio Hero, eo quod jentaculum sibi debeatur; at facile errare potest, nisi intellexerit voluntatem Heri sui, qui forte volet suos esse contentos alio jentaculo. Et quamquam censeat *Lessius* furta minuta famulorum ex comestibilibus ordinariis, quæ famulis dari solent, nec recluduntur, non coalescere ad constituendum unum grave; id tamen non extendendum est ad alia, v. g. vinum in cella, vel panes, qui venales prostrare solent, præsertim si damnum successive valde grave inferatur.

13. Peccant, si dent pauperibus eleemosynas, domino rationabiliter invito, de bonis ejus; non tamen si darent pauperi in extrema necessitate constituto, vel quod sibi subtrahunt in victu, paucioribus contenti, & laboribus adhuc apti: cavendum tamen, ne si sibi subtrahant de prandio in gratiam pauperum, ideo in cœna plus absumant; nec videntur peccare si dent modicum & raro, aut dominus non possit esse rationabiliter invitus; ut si res periret alioquin: nec denique si prudenter præsumatur consensus domini, uti præsumitur, si famulo sit commissa administratio. *Quid, si det, inscio domino eleemosynas?*

14. Si ab Heris jussi sine rationabili causa diebus festis laborent serviliter, aut Missæ non intersint, ut vitent reprehensionem aliquam vel rixam; secus, si ob incommodum judicio prudentum grave; quia cum hoc Ecclesia ad ista non obligat. Quæ etiam illis permittit, ut illis diebus vestes necessarias reficiant a prandio, si aliis diebus id non possent, aut non permittantur facere; & ut Sacrum omittant, si debeant custodire pecora vel domum, ideoque Sacro interesse non possint.

15. Si servitium addicant hæreticis, dum periculum probabile est perversionis, aut sine pacto, ut permittantur servare præcepta Dei & Ecclesiæ; quia exponere se periculo proximo *Quid de famulante hæreticis?*

probabili incidendi in hæresim, est intrinsece malum, & nullo incommodo excusatur a peccato; unde si hoc successu temporis ingrueret, discedendum esset; pactum autem tale non adjicere, est se exponere periculo proximo præcepta Ecclesiæ plerumque non observandi, ut sunt præcepta diebus festis audiendi Sacrum, non laborandi serviliter, abstinendi a carnibus diebus vetitis; in horum autem valde frequenti violatione non excusantur, nisi ob grave incommodum, quale foret, si non posset haberi dominus Catholicus, aut a quo non acciperet, nisi dimidium salarium. Aliud foret, si raro impediretur a Sacro, & aliud nihil obstaret: quia & a dominis Catholicis quandoque impediuntur. Si singulis mensibus bis impedirentur ab auditione Sacri, impedimentum esset frequens respectu anni; si tamen id secum ferret officium, v. g. si deberet custodire pecora, excubias agere, in mari navigare longo tempore, tabellarium agere per loca hæretica, non obesset; quia talia etiam famulantes apud Catholicos excusant. Qui ex legitima causa famulatum addixit domino hæretico, eique apponerentur carnes diebus vetitis, non teneretur siquidem solo pane esse contentus, sed posset vesci carnibus, cum protestatione tamen, quod ex necessitate faciat, ideoque permittatur ab Ecclesia. Si tamen haberet unum ferculum esuriale præter panem, illicite vesceretur carnibus; quia famuli etiam apud Catholicos diebus esurialibus ejusmodi debent esse contenti. Neque excusat periculum irrisionis, sed necessitas; ita ut vita aliter non possit sustineri, & labor debitus peragi. Neque licet ex voluntate domini sui cooperari ad hæresim, v. g. ministeria ad hæresim spectantia ordinare, &c. *La Croix l. 2. n. 108.*

Vel cooperante ad malum. 16. Peccant famuli, si directe formaliter, aut moraliter proxime Heris suis cooperentur ad peccandum, v. g. si concubinam conducant, invitent ad actum turpem, litteras ad eam deferant,

ferant, quas sciunt turpem continere amorem; quia sic interpretative vellent peccatum. Licite tamen possunt facere indifferentia, quæ remote tantum se ad peccatum habent, & iis ex officio incumbunt, v. g. diebus vetitis coquere & apponere carnes, quia illa cooperatio est tantum remota, & famulantes ex officio debent ejusmodi obsequia dominis; qui quod carnes comedant, ipsis, non famulo imputatur. Ex quo tamen nolim inferas, similia statim licere aliis a famulatu liberis. Nam caupo illicite dat vinum se inebriaturis ex eo præcise quod petatur, aut ipse sit cariturus lucro ex eo vino. Immo famulis non licet ea cooperatio, quæ fit per actiones seorsim spectatas indifferentes quidem, quæ tamen collective sumptæ per se & propinque conducunt ad peccatum. Vide damnatam 51. ab Innocentio XI.

PRimo. Monendi sunt famuli & famulæ, ut Heris suis sint fideles obedientesque propter Deum, cujus auctoritate domini mandant; non divulgent, quæ domi fiunt; apud externos suos Heros non contemnant, & alia quæ præstare ex famulatu & officio hominis Christiani præstare debent. 153. *Admonitio & instructio famulis danda.*

2. Si ancilla vel famulus accusarit se de mendaciis, eo quod jussus a domino dixerit quandoque dominum non esse domi, cum revera adesset; instruendus est, ut verbis utatur eo modo, quo vitetur mendacium. De quo in Theologia Morali P. 2. a n. 239.

QUÆSTIO III.

Quæ sint oligationes Pastorum aut Parochorum, & specialia illorum peccata?

154. *Requiritur scientia.* RESP. I. Tenetur Parochus habere scientiam & linguæ necessariæ notitiam requisitam ad officio suo fungendum, quia obligatio faciendi involvit obligationem sciendi. Quod si quis bona fide suscepisset beneficium curatum, carens scientia requisita, nec posset se qualificare ad curam per se gerendam, permittit Tridentinum, illi Vicarium substitui, assignata illi parte fructuum, respondente oneribus qui suppleat, modo sit honestæ vitæ; si autem talis imperitus turpiter & scandalose viveret, vult moneri; & si non emendet, permittit privari beneficio.

2. Tenetur intra duos menses à die acceptæ pacificæ possessionis coram Ordinario emittere professionem fidei, & obedientiam Papæ promittere.

Sacerdotium, & professio fidei. 3. Tenetur intra annum, nisi dispensetur, aut impedimentum legitimum occurrat, à die acceptæ pacificæ possessionis fieri sacerdos; alias ipso jure privatur beneficio. Posset tamen necdum sacerdos Suorum matrimonio assistere, & suscepto Diaconatu etiam solemniter baptizare. *La Croix. l. 6. nu. 276.* Id, quod ex commissione Parochi potest quivis Diaconus ex rationabili causa.

Residentia. 4. Tenetur residere in Parochia, ita ut ei non liceat intra annum ab ea abesse sine causa rationabili & licentia Episcopi ultra bimestre; alioquin peccat graviter, teneturque fructus restituere respondentes illi tempori, & quidem totos juxta communiorem, etiam ante sententiam judicis; ita enim statuit *Trid. sess. 23. cap. 1. de reformatione.* Putat tamen *Layman lib. 4. Tract. 2. cap. 6. num. 6.* non esse in illo rigo-

re

re recepta verba Tridentini, ut teneatur ante sententiam declaratoriam judicis, si Ecclesiæ nullum sit damnum illatum. Probabile quoque est, quod docet *Bonac.* & alii, non teneri restituere, nisi fructus respondentes residentiæ neglectæ; quia cum Parochus fructus percipiat non tantum pro residentia & oneribus illi annexis, sed etiam pro horis recitatis aliisque officiis; hinc si horas recitet, & alia officia per alium expleat, poterit fructus his respondentes percipere. Dixi 1. *Ultra bimestre*. Nam si intra annum per duos tantum menses cum rationabili causa, sine licentia Episcopi, absit sine gravi damno Suorum, non peccat graviter; quia non est per se malum tantisper abesse; alias Tridentinum non permitteret dari licentiam: ex eo autem, quod non petatur licentia, non est materia gravis peccati. Immo probabile est, quod pro absentia cum causa per bimestre tantum, nunc opus non sit licentia Episcopi; quia usu recentum est, ut ad brevem absentiam non petatur licentia, & Episcopi id scientes non contradicunt. Ita *Navar. Bonac.* aliique multi. Sed securissimum est sequi suæ diœcesis consuetudinem, juxta quam si petenda non esset licentia, per bimestre tantum intra annum abesse sine causa, mortale non esse, docent *Navar. Gratz. Bonac. Barbosa* & alii; quia talis absentia, etsi continua, videtur modica. Ad absentiam bimestrem per *Gratz.* jam sufficit quæcumque causa honesta, etiam recreationis tantum, quod tamen negat *Gobat*; quia Tridentinum videtur requirere aliam causam æquam. Quod si subita & evidente necessitate Episcopus adiri non posset, posset abire sine licentia; neque enim hoc casu Epickia locum habet, neque hoc casu teneretur ad ullam restitutionem: uti nec si per bimestre tantum ex causa abesset, quia restitutio tantum videtur imposita iis, qui peccant graviter. Unde & potens petere licentiam, si sine hac abfuisset ultra bimestre, tenere-

neretur tantum restituere fructus respondentes tempori, quod superat bimestre; quia Tridentinum videtur permittere absentiam ex causa per bimestre. Ex quacumque autem causa sit absens Parochus, debet substituere alium idoneum, qui potest esse vicinus Parochus. Ad absentiam unius diei ferialis, dum nullus est infirmus, non esse opus alium substituere, eo quod non sit morale periculum necessitatis ejus præsentiæ, censet *Palao*. Tutius tamen est requirere vicinum Parochum, ut pro quocumque casu talis absentiæ suppleat, & monere Parochianos ut ipsum petant, si necessitas ingruat. Dixi 2. *Ita ut non possit abesse sine justa causa*, qualis ut possit abesse ultra duos menses, quadruplex assignatur a Tridentino, nempe 1. Christiana charitas, uti si exigat gravis necessitas proximi. 2. Urgens necessitas, aut gravis infirmitas corporis, compositio litis de juribus beneficii. 3. Obedientia. 4. Evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas. Ob has licentia dare potest Episcopus; non tamen ut etiam studiorum causa absit per septennium vel quinquennium, etsi ideo aliqui Episcopi ad biennium dispensent. Causa tamen debet esse Episcopo cognita & approbata: unde non sufficit licentia præsumpta, uti nec pro foro externo oretenus tantum data, etsi sic data sufficiat pro foro conscientiæ. Dixi 3. *Tenetur residere in Parochia*, non vero in domo Parochiali; quia sufficit quod Suis sit præsens intra Parochiam, ita ut accessus ad eum pateat: unde non satisfacit, si resideat intra Parochiam in loco clauso, ita ut non detur omnibus accessus noctu, nec si distet a Parochia bis mille passus, licet alium suo loco relinquat, & singulis diebus festis & Dominicis Parohiam adeat; secus esset, si parum distaret: hoc enim pro nihilo reputatur. Similiter non obest continuæ residentiæ, si divertat ad viciniam, v. gr. ad funus, officium anniversarium, aut etiam recreationis causa eadem

die reversurus : secus foret si sæpe de nocte emaneret ; quo casu si dies discontinui superarent duos menses, fructus saltem non omnes faceret suos : si enim tempus bimestre esse deberent dies continui, posset quis medio anno interpolatim abesse sine obligatione restituendi fructus. Si habeat duas Ecclesias unitas, tenetur residere in loco digniori ; si non constet quæ sit dignior, in frequentiori : si una sit in urbe, altera extra illam, debet residere in urbe, & alteri providere de ministro pro nocte in necessitate.

Administrare debent Sacramenta.

5. Tenetur Sacramenta administrare quoties necesse est, aut Parochiani rationabiliter petunt. Unde tenetur 1. Curare ut nullus infans sine Baptismo decedat, ac proinde instruere obstetrices, ut sciant in necessitate rite conferre Baptismum, sique prudens dubium aut suspicio sit de valore Baptismi ab iis collati, sub conditione rebaptizare : quod ut, sicut oportet, exequatur, examinanda est obstetrix, qua materia, qua forma sit usa ; quæ pars corporis infantis sit abluta ; quomodo processerit? an perturbate & festinanter ? an bene meminerit, formam totam esse prolatam ? &c. Dein volentibus ex sola etiam devotione confiteri aut communicare, tenetur Parochus gratificari sub mortali, modo non nimis frequenter petantur ea Sacramenta, & non sit alius qui præbeat. Tempore pestis vel alterius morbi contagiosi, etiam cum periculo vitæ, tenetur Sacramenta ministrare Suis. Unde peccat mortaliter, si tempore pestis, vel belli lateat, vel fugiat ; nisi forte cum licentia Episcopi idoneum substituat ; qualem si habere nequeat, nequit beneficium resignare. Ratio est, quia sicut miles pro prælio, sic ille pro tali necessitate conductus est, & bonus Pastor debet pro ovibus suis ponere animam suam. Hinc & peccat graviter, si per ejus negligentiam aliquis moriatur sine Sacramentis, ut si scivit posse esse morale

periculum mortis, & vel longe abest, vel per crapulam se ineptum reddidit ad succurrendum, vel noluit surgere, sicque infirmus mortuus est, aut periculum probabile fuit, ne sine Sacramentis moreretur. Hinc novus Pastor initio curæ suæ, & quando ingruunt morbi contagiosi, vel qui mentem solent cito evertere, edicat suis de cathedra, se diu noctuque præsto futurum ad Sacramenta necessaria administranda; proinde non vereantur noctu se advocare. Caveat quoque Pastor, ne nimis fidat viribus infirmi, & differat Sacramentum, in primis Pœnitentiæ; quia morbi, præsertim febres calidæ, mentem facile evertunt, ita ut infirmi aut plane non, aut minus vel dubie apti fiant ad Sacramentum Pœnitentiæ. Sed neque satisfacit suo officio Pastor, si suos Sacramentis jam munitos postmodum deserat, & neque per se, neque per alium eos visitet: cum enim vicinioribus morti major instet a dœmone tentatio & salutis periculum, majorque corporis animique dejectio, tunc vel maxime tenetur Parochus eorum saluti consulere.

6. Tenetur Parochus actualis & residens curam exercere per seipsum, sique, cum commode potest, exerceat semper per alium, peccat graviter; quia obligatio Parochi est personalis. Si tamen parochiani non sint inviti, eo quod alius æque bene, aut melius præstanda præstat, potest alium adhibere etiam ad difficiliora quandoque, immo & sæpe; quia tunc censetur facere per se, dum per alium æque idoneum facit, & subditi sunt contenti. Dixi: *Pastor actualis*: Pastores enim habituales tantum, seu per fundationem, privilegium, aut consuetudinem liberi a cura per se exercenda, quales sunt quidam Prælati & Decani in Collegiatis, possunt officium Parochiale exercere per Sacellanos, vel Vicarios; debent tamen esse apti, ut per se possint, saltem in necessitate, curam exercere; quia *Trid. Sess. 7. c. 3. de Reform.* ad omne

beneficium curatum, cathedrali inferius, requirit industriam personæ. Tenentur quoque ut Sacellanus, vel Vicarius in Parochia resideat secundum dicta.

Instruere suos.

7. Tenetur Parochus Suos pascere salutari doctrina, docendo eos necessaria ad salutem, & bonum facere, & declinare a malo. Unde licet non teneatur ad Conciones oratorias, utpote plebi sæpe parum utiles; tenetur tamen tum ad Catecheses, tum ad adhortationes populo accommodatas, easque frequentes: ita ut, si notabiliter sit negligens, peccet mortaliter. Prudenter faciet, si quæ spectant ad fidem, spem, charitatem, vitam Christianam, Sacramentorum susceptionem, etiam pro Concione facili modo proponat; aut textum Scripturæ pro moribus formandis per modum Curiæ exponat, &c. Tenetur etiam instruere, qui ad templum nequeunt accedere, ut custodes pecorum, &c. qui sunt in gravi necessitate.

Peccata impedire.

8. Tenetur, cum suo etiam incommodo, & quandoque cum periculo vitæ adhibere, quam potest, diligentiam, ut Suorum peccata tum publica, tum occulta impediat; quia cum Christo pactus est curam & solicitudinem gregis.

9. Tenetur sub gravi peccato Suis esse bono exemplo; quia alias est gravi scandalo; cum plebs existimet se satis bona, si non sit pejor suo Pastore; aliasque perdit auctoritatem, sicque Conciones & admonitiones erunt inefficaces. Proinde ostendat opere, quod Suos vere amet in Domino: absit ab omni specie avaritiæ, omnique suspicione amori impuri; caveat lites cum Suis quoad potest, nec ullam suscipiat, nisi prius ostenderit se ad eam cogi. Quibus potest, benefaciat in vita: quæ post mortem relinquit hæredibus, raro prosperantur: apud Suos auctoritatem, & paternam gravitatem servet, &c.

Præire bono exemplo.

10. Tenetur Parochus, etsi Actualis tantum, aut Vicarius, diebus Dominicis & festis

de præcepto, quibus fideles tenentur audire Sacrum, etsi iis, audito Sacro, liceret per consuetudinem labor servilis, fructum medium Sacrificii applicare suis Parochianis; saltem ubi Constitutio Benedicti XIV. est recepta. Unde pro Sacro tunc stipendium admittere non potest, nisi tenues adeo essent ejus reditus, ut vivere non possit; tunc enim Episcopus potest dispensare, ut iis diebus stipendium admittat, pro quo Missa differri non possit, sed hoc casu tenentur alio die pro Suis Sacrum legere. ita statuit *Benedictus XIV. in Constitut.* 1744. 19. *Aug. edita.*

QUÆSTIO IV.

Quæ sint obligationes Pædagogi, Præceptoris; Ludi-Magistri, & Discipulorum?

155. *Ad quid tenentur Pædagogi & Ludi-Magistri?* RESP. I. Inter hos & discipulos eadem fere est obligatio, quæ inter parentes & filios. Unde 1. Tenentur suorum discipulorum profectum promovere in litteris; bonos mores eos docere; sique officio suo, non adhibendo diligentiam justam, qualem diligentes solent adhibere, desint, tenentur de damno, & salarium non faciunt saltem ex toto suum. 2. Tenentur discipulorum pericula peccandi avertere; peccata quoad possunt corrigere, iis bono exemplo prælucere, & justo minervali esse contenti. Ratio est; quia tacito contractu discipulos admittendo ad ista se obligarunt: unde hæc negligendo peccant contra justitiam. *Ad quid discipuli?* Econtra discipuli tenentur præceptoribus obedire in iis, quæ ad studia & bonos mores pertinent; tempus studiis destinatum bene impendere. Stipendium, aliave a parentibus pro præceptoribus missa, iis tradere: sunt enim a parentibus subjecti præceptoribus; tenenturque parentibus obsequi: unde, si in his notabiliter defi-

ciant, peccant graviter, uti si tempus valde notabile male impendant.

QUÆSTIO V.

Quæ sint Obligationes Tutoris, Curatoris, Pupilli, & Minorennis?

REsp. Tutor, id est, constitutus ut pu- 156.
pilli seu impuberis personam & bona lo- *Obligatio*
co parentum gubernet & administret, & Cura- *Tutoris,*
tor, id est, constitutus ut curet bona mino- *& Curatoris.*
rennis seu puberis necdum 25. annos nati, tenentur primo ex justitia bona illorum administrare ea cura, quam diligens paterfamilias propriis suis rebus adhibere solet, tam ut emolumenta proveniant, quam ut damna avertantur; alioquin tenebuntur etiam in conscientia compensare, saltem si cum notabili negligentia culpa Theologica gravis intervenerit. Ratio est, quia suscipiens tutelam vel curatelam per contractum tacitum, ad illa obligationem suscepit. Unde & si pecunias eorum converterent in suos usus, tenerentur de lucro sua culpa cessante & damno emergente; si fructus, quos ex eorum bonis percipere poterant, sua culpa non perceperint, tenerentur compensare; & quamquam possint ex eorum bonis donationes præcise remuneratorias, quæ gratitudo a pupillis, aut eorum utilitas postulat facere, non tamen gratiosas. 2. Tenentur bonorum inventarium conficere, & singulis annis, dumque officium deponunt, rationes reddere. 3. Tenentur gerere curam personæ sibi commissæ, & in primis Tutor pupilli, ut bene educetur, bonis moribus aliisque convenientibus instruatur. Econtra pupillus Tutori, & minor Curatori suo tenetur obedire; & hic quidem ad annum 25. completum: neque donare possunt, vel alienare sine consensu Tutoris, vel Curatoris, nec hæreditati, legatis, fideicommissis, aliisve ju-

ribus renuntiare (nisi minor esset Religionem ingressus) sine auctoritate judicis; uti nec sine hac aliquid de bonis suis vendere Tutori vel Curatori, aut personis illi subjectis; nec cum consensu illorum alienare bona immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt. Neque pupillus infans, seu septennis minor, se alteri, vel alterum sibi obligare potest; pubertati autem proximus, qualis est mas post annum decimum cum dimidio, & femella post nonum cum dimidio expletum, potest sibi alium, non se alteri obligare firmiter & civiliter: qui tamen dona ab hoc accepisset, probabiliter non teneretur reddere, nisi legitime exigeretur, quia donatio probabiliter subsistit jure naturæ. *Lugo.* & alii.

CAPUT VII.

De Confessario mercatorum, opificum, & militum.

HOrum obligationes & specialia peccata observanda sunt Confessario; ceterum tractandi sunt, vel ut plebeji, pro ratione capacitatis, vel ut subditi, vel domini.

QUÆSTIO I.

Quæ sint obligationes & peccata mercatorum specialia.

157. *Pretium justum triplex.* REsp. Tenentur sub peccato pro gravitate materiæ, & sub onere restitutionis in venditione non excedere pretium justum, seu adæquans valorem rei; quod generatim duplex est, nempe legale seu legitimum, quod lege, vel decreto Principis vel Magistratuum statutum est; & naturale seu vulgare, quod communi hominum æstimatione constituitur. Legale censetur justum, quoties non constat Principem

vel

vel Magistratum in eo taxando esse muneribus, odio, & ignorantia crassa inductum; consistitque in indivisibili, quia statuitur ab uno, vel pluribus idem sentientibus, & observari debet ex justitia, & sub onere restitutionis; quamquam taxa, quæ nunc est justa, potest, mutatis circumstantiis, fieri injusta, tuncque desinere obligare in conscientia. Pretium autem vulgare non consistit in indivisibili, quia statuitur a diversis diversa sentientibus. Hinc aliud est summum seu rigorosum, aliud medium seu moderatum, aliud infimum seu pium: quanta autem inter ista possit esse distantia, non potest una regula definiri. In communi venditione, quando pretium medium sunt decem, infimum erunt novem vel octo & medium, summum undecim vel undecim & medium; & ita in ceteris, cum proportione semper paulo minus accipiendo. Sic *Less.* censet, si medium pretium sint centum, infimum fore nonaginta quinque, summum centum & quinque: sunt tamen, qui hanc distantiam inter pretium summum illud & infimum putant esse nimiam. At *Lugo* putat, hodiedum adhuc majorem apud mercatores in usu esse; unde standum communi usui timoratorum. Quod autem triplex illud pretium vulgare justum sit, ex eo est, quia pretium desumitur ex affectu & æstimatione dominum: de his autem non satis constat in omnibus, cum alii centum, alii centum & quinque, alii nonaginta novem judicent pretium justum esse; quorum opiniones cum probabiles sint, consentiunt omne, ut sequi eas liceat. Ceterum pretium decrescit ex copia mercium, & raritate emptorum: crescit vero ex penuria mercium, & ementium copia, ex modo vendendi, speciali, rationabili affectu vendentis, impensis, periculis, laboribus ad merces comparandas conservandasque communiter necessariis, ex lucro cessante vel damno emergente, quod venditor in gratiam ementis subit. Unde deduces

1. Qui

158. *Quæ liceant, & quæ non liceant mercatoribus in emptione, & venditione.*

1. Qui erga rem specialiter afficitur, v. g. quia est antiqua, vel quia a Principe, vel a Majoribus accepit, potest eam carius vendere, quam communiter venditur similis, modo id indicet ementi; quia privatio illius affectus & oblectationis in gratiam alterius est pretio æstimabilis, cum sit cum molestia conjuncta: pretium tamen illud debet esse prudenter moderatum, & proportionatum affectui rationabili, non vero immoderato. Dixi, *modo id indicent ementi*; quia alias hic consentiet tantum in pretium rei secundum se spectatæ, & non in excessum extrinsecum, forte non empturus, si sciret rem secundum se tanti non valere, & alios postea decepturus.

2. Licet quoque pluris vendere, si vendens re valde indigeat, vel merito sibi timeat damnum ex eo, quod nunc vendat, aut quod lucrum cesset: ut si merces, quas in aliud tempus servare decreverat, quo probabiliter pluris erant valituræ, vendat in gratiam alterius; aut vendat merces, quas cogetur postea carius emere; quia potest juste exigere præter pretium compensationem damni ex alienatione rei suæ propter alium secuturi, vel lucri ex ea cessantis: debent deduci tamen expensæ, quas venditor facturus erat ad servandas merces usque ad statutum tempus, & æstimatio diminutionis, deteriorationis, & periculi mercis id id tempus servandæ; alias plus haberet ex venditione illa, quam postea erat habiturus debet quoque emptori dicere, ideo se plus exigere, ne plus det ignorans forte alias apud alium, aut non empturus.

3. Potest quis convenire cum emptore, ut solvatur pretium sive majus, sive minus, quo res valebit eo tempore, quo decreverat vendere postea, sed iterum deducendæ sunt expensæ.

4. Qui res vendunt minutim, & in parva quantitate, possunt pluris aliquanto vendere, quam qui simul & in magna quantitate vendunt;

dunt; quia majores labores, impensas, operas & curas iis conservandis & distrahendis debent impendere; quibus quia liberantur vendentes in magna quantitate, possunt merces in magna quantitate minoris emi.

5. Quæ auctione publica, seu sub hasta venduntur, admittunt pretium, quod sine vi, fraude, & dolo obtineri potest: hinc possunt pretio magno vel parvo, etiam infra vel supra dimidium pretii, quo emerentur in officina, emi, & vendi; quia sic usus & communis consensus præscripsit. Dixi, *sine vi, fraude, & dolo*: quia cum his emi vel vendi non possunt sine injustitia, ut si fictus licitator a venditore subornaretur, qui pretium augeret in gratiam ejus, aut emptor alios impediret ne pretium augeant, vel ab emendo vi aut fraude averteret.

6. Merces obtrusæ extra officinam, ut sic quærantur emptores, aut rogarentur, possunt emi minori, quam infimo pretio; quia merces ultroneæ vilescunt: tunc enim vel non sunt admodum utiles, vel necessariæ, aut est raritas emptorum, vel periculum ne vitium contraxerint. Idem est, si res sit emptori parum utilis, vel hic emat in gratiam vendentis, nisi aliud exigat charitas: neque enim licet vilius emere res pauperum, quas necessitate compulsi venales proponunt eo solum prætextu, quod venales offerantur. Immo ob necessitatem præcise, qua proximus rem suam vendere cogitur, non licet pretium imminuere, sicut non licet augere ob necessitatem, vel utilitatem emptoris; quia nec necessitas emptoris auget, nec venditoris necessitas minuit valorem rei. Hinc injuste pluris venderes mihi domum tuam meæ contiguam, quia mihi perutilis vel grata est: licet tamen vendere justo pretio summo, quia quilibet illo, utpote justo, per se loquendo, res suas vendere potest.

7. Possunt mercatores carius vendere etiam indigenis, quando ad locum venit aula Princi-

pis,

pis, vel magna hominum copia; quia crescente numero emptorum crescit pretium vulgare.

8. Sciens pretium mercis brevi augendum, licite eas emit in magna quantitate, ut postea carius vendat; quia pretium currens est justum, & emens utitur jure, quo & alii uti possunt; & sic Joseph *Gen.* 41. fecit in Ægypto. Similiter qui scit pretium brevi imminuendum, potest pretio currente suas nunc vendere carius. Item qui scit pecuniæ valorem brevi imminuendum, potest suam valore currenti exponere. Idem probabiliter potest Princeps & Magistratus, modo ferant legem pro bono communi, & non de industria, ut ipsi lucrum habeant, aut non differant studio promulgationem legis, donec ipsi pecunias suas exposuerint, aut merces vendiderint, vel emerint; facile tamen peccabunt peccato scandali suos ministros aut subditos egentes gravando. Ratio prioris est, quia ex officio suo, utpote instituto in communem utilitatem, tenentur curare ne damnum aliis præ aliis eveniat. Ratio posterioris est, quia facile subditis ingerent opinionem aut suspicionem nimiæ cupiditatis, unde avertentur, &c. Peccare quoque potest privatus contra charitatem, ut si pauperibus venderet copiam rerum, quarum pretium scit brevi imminuendum; quia charitas exigit, ne lucri tui causa proximum conjicias in gravem necessitatem.

Quod si sciens pretium mercium brevi augendum, emeret omnes, probabiliter illicite faceret; quia privata auctoritate constitueret monopolium, quod jure gentium videtur illicitum. Contradicunt probabiliter alii, quia non prohibet aliis, quin simul emant; adeoque per accidens est, & ex aliorum incuria quod ipse solus possit tales vendere. Si tamen per mendacium induceret alios ut non emerent, peccaret contra justitiam; quia quilibet jus habet, ne per fallaciam impediatur a bono.

9. Si mercatores conspirent, ut nemo ex il-

lis certam mercem vendat, nisi certo pretio; v. g. sex florenis, hoeque justum sit, non peccant contra justitiam. Peccant tamen juxta *Lugonem* contra charitatem, quæ exigit ut nemini suadeas aliquid in damnum alterius, sicut exigit ne dissuadeas, ut alter pauperi non det eleemosynam. Negat tamen *Castrop.* quia charitas non exigit ne quæram lucrum meum justum, etsi alter illud non accipiat ideo. Sicut pauper potest suadere diviti ut sibi det eleemosynam, etsi ideo alius non sit accepturus. Si tamen unus alios vi, fraude, vel dolo induceret ad tale pactum, peccaret contra justitiam; sicut & is, qui fraude impediret, quo minus merces aliæ adveherentur, ut sic suas carius venderet.

10. Si Princeps mandet suo quæstori ut statim vendat, v. g. centum maldera tritici, hicque sciens pretium brevi augendum, illa emat pretio currente, & pecuniam statim numeret, lucrum, quod postea faceret, licite retinet, quia non minus ipsi, quam aliis licet emere, & lucrum facere, neque ejus scientia auxit pretium.

11. Qui vendit ultra justum pretium, eo quod emptor plus offerat, non excusatur ab injustitia; nisi constet excessum illum liberaliter donari, ut faciunt aliquando Principes: quia emens vult tantum emere justo pretio, nec præsumi potest velle excessum liberaliter donare, nisi constet ipsi de justo pretio, & adsit aliqua justa causa, v. g. consanguinitas, affinitas, amicitia; absitque fraus & coactio.

12. Non licet justo plus vendere ad creditum, nisi adsit alius justus titulus; licet tamen, si hic adsit v. g. damnum emergens, vel ejus periculum, aut molestia in impetranda solutione, aut lucrum cessans. Ratio primi est, quia intervenit hic virtuale mutuum; ratione autem mutui præcise non licet quidquam exigere: solutio vero sine periculo futura, & damno, æquivalet

let præsenti. Ratio 3. est, si damnum emergat; aut periculum sit non accipiendi pretii, vel sumptuum, vel molestiæ, probabiliter futuræ in obtinendo postea pretio, adest aliquid pretio æstimabile; proinde pro eo accipi potest, quod judicio prudentum valet. Ex communi tamen sententia licet etiam mercatoribus ad creditum vendere summo pretio justo, etsi vendant numerata pecunia quandoque minoris; quia summum pretium justum est, nec tenetur quis infra hoc vendere; & venditio ad creditum plerumque habet adjuncta pericula & incommoda. Ceterum mercatoribus raro licet justo pluris vendere ob lucrum cessans ad creditum, quia ad lucrum cessans plures requiruntur conditiones. Prima, Debet venditor fuisse venditurus rem præsente pecunia, alias ex credito non cessat lucrum. 2. Debet fuisse negotiaturus præsente illa pecunia ante tempus, quo solvendum erat creditum; alias iterum non cessat ex credito. 3. Debent de lucro, quod facturus erat, detrahi expensæ, & æstimari periculum, & spes negotiationis judicio viri probi & prudentis. 4. Non debet ideo, quod credito vendat, habere plures emptores; alias lucrum cessans compensatur, ut plerumque fit per parva lucra ex pluribus venditis. 5. Insuper debet monere de hoc emptorem, ne involuntarie gravetur illo excessu. Conditiones primæ quatuor, præsertim 4. raro adsunt.

159. *Quando tenëatur vitia mercis detegere?* Resp. II. Tenentur vitare fraudes, manifestare vitia gravia & occulta rerum vendendarum, si quæ habere sciantur, 1. Si tacite vel expresse interrogentur seu in genere, seu in specie; quia alias dolus dat causam contractui, adeoque hic invalidus est: emptor enim jus habet sciendi quam rem emat, adeoque injuste decipitur occultato vitio. 2. Si vitium sit in substantia, vel qualitate transeunte in substantiam, id est, cui affixa est ementis intentio, ut ea non præsente, rem nollit emere, v. g. si emens vitrum

puta-

putares esse gemmam, vel volens tibi pannum ad te Sacerdotem vestiendum mitti, mitteretur ruber. 3. Si sciatur res noxia vel notabiliter inutilis ad finem emptoris. Ratio est, quia alias non proceditur sincere, sed emptor quasi dolo inducitur ad emendum; sicque consensus ejus est involuntarius. Unde venditor, etsi non interrogatus, si tale vitium non aperiat, tenetur emptori reddere pretium, & compensare damna, si quæ illi sequantur, vel aliis, quibus res est vendita: ut si vendat, etsi pretio modico, corium fragile, vel pannum adustum pro durabili, equum segnem pro generoso, animal infirmum pro sano, semina corrupta pro redentibus, carnes infectas, ovem morbidam, qua grex inficiatur, ligna vitiosa, unde ædes corruant, bovem aptum quidem ad macellum, ineptum tamen ad aratrum, cum ad hoc quæri sciatur, &c. Dixi 1. *Vitium occultum*. Nam apertum & manifestum regulariter non tenetur venditor manifestare, sed sufficit quod pretium, uti debet, imminuat; quia vitium manifestum censetur notum emptori, & si non advertat, sibi imputare debet. Excipe, nisi emptor esset tam rudis & hebes, ut manifesta etiam vitia non notaret: tunc enim censeretur respectu illius occultum. Immo si emptor etiam non hebes notaretur non advertere vitium ipsi periculosum, teneretur venditor, etiam non rogatus, id manifestare; quia sinceritas in contractibus videtur id exigere, & silentium illud emptionem faceret emptori involuntariam. Idem dicit *Valentia* & alii, si vitium adversetur intentioni actuali ementis; quia hujus incuria non dat jus vendenti; nec ideo emptio voluntaria est magis. Dixi 2. *Vitium grave*. Nam vitium occultum accidentale, si rem non reddat noxiam, nec periculosam, nec notabiliter minus utilem, non tenetur venditor manifestare, nisi interrogetur de vitio, aut hoc repugnaret fini emptoris; quia non fit injuria emptori, estque emptio simpliciter voluntaria:

ria: debent enim omnes sic esse constituti, ut in tali casu velint emere; quia si esset obligatio ultro talia vitia manifestandi, cessarent commercia humana: multi enim non possent vendere, & deterrerentur a mercatura in magnum Reipublicæ detrimentum; eo quod ementes, intellecto vitio, nollent emere, aut de pretio detraherent. Debet tamen venditor tanto minoris vendere, quanto minoris ob vitium valet, & cavere ne aliis noceatur, si revendatur. Dixi 3. *Si sciatur vitium*. Si enim inculpabiliter venditor ignoravit, vitium manifestare non potuit. Unde non tenebitur de damnis, sed actione, vel quanto minoris, si emptor adhuc rem empturus fuisset, sed non tanti; vel redhibitoria, si reipsa noluit emere talem rem. Quod si venditor ignarus vitii inter contrahendum protestatus esset, se nolle teneri de vitio occulto, & remisisset de pretio juxta proportionem periculi in emptorem rejecti, ad nihil teneretur in utroque foro. Si autem vitium scivisset, nihil prodesset protestatio. Ex his deduco

1. Peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, qui scienter vendit rem vitiosam sive in substantia, v. g. succum pomorum pro vino de vite; sive in quantitate sua, pondere, numero vel mensura, sive in qualitate non minuto pretio, etsi vitium non sit noxium; quia non servatur æqualitas justitiæ inter pretium & mercem. 2. Vendens rem brevi corrumpendam, nisi ante ab emptore esset absumenda. 3. Vendens bona litigiosa, & vitium occultans. 4. Qui vendit pretio infimo, sed dat minorem mensuram, manendo etiam intra limites justi pretii, quia non stat contractu inito cum ementibus de tradenda integra mensura; facitque injuriam aliis mercatoribus, per fraudem ab iis abstrahendo emptores. 5. Vendens vinum, quod non fert longinquam vecturam, cum emens tale petiverit. 6. Vendens rem mixtam alia vilio-

liore, ut puram, v. g. vinum aqua mixtum; vel farinam tritici mixtam hordeacea; si mixtio sit noxia, aut rem reddat inutilem, vel deteriorem, quia injuste decipit emptorem; si autem immixtio non sit noxia, nec res fiat deterior, vel minus utilis quam illa, quæ simili pretio venditur ab aliis, censent *Molina*, *Sporer*, *Layman* licite vendi, modo proportionate detrahatur pretio; quia res ex parte vilis non æquivalet rei ex nulla parte vili, nisi pars melior immixta esset tanto præstantior. Immo *Lessius* putat, si materia deterior ita per industriam admisceatur, ut res melius temperetur, posse vendi consueto pretio: verum in praxi id locum vix habet; quia quisque facile sibi persuadebit, rem suam, non obstante mixtione, manere æque bonam, & sic via panditur fraudibus. Nec refert, quod vinum aqua mixtum forte melius sapiat, quia hoc per accidens est, poteritque emptor bibiturus aquam admiscere; neque vinum mixtum sit ejusdem valoris cum puro secundum se, sed in se deterius, citius acescit, & ad plures effectus est minus utile; unde minuendum pretium pro ratione mixtionis. Idem dicendum de aliis fraudibus, ut si quis avenam aqua perfundat, ut augeatur mensura, lanam ponat in loco humido, ut fiat ponderosior, qui per artificium facit ut merx appareat melior, & ita vendit supra summum pretium vel carius. Qui tamen per mendacium vel perjurium, dicendo se pluris emisse, pluris aliis vendidisse, &c. induceret ementes ad emendum pluris, etsi peccaret, tamen non teneretur ad restitutionem, quia satis constat, similia sæpe a mercatoribus falso dici; unde credens sibi imputet.

Resp. III. Emptor tenetur, per se loquendo, pretium justum saltem infimum commune pro merce ponere, & ignoranti pretium commune indicare; quia alias non servatur æqualitas a justitia intenta, uti si venditor putaret, 161. *Peccata emptoris.*

ret, gemmam esse vitrum, vel merces integras esse corruptas. Nec securus est in conscientia emptor, si dicat: Cupio rem istam emere sine scrupulo, visne vendere donando si plus valeat, & consentiat venditor; quia cum venditor ignoret pretium, ignorantia dat causam contractui, aliasque posset quivis emens justo minoris reddi securus. Hinc contraria sententia *Cajetani* rejicitur communiter ut improbabilis. Dixi, *Justum commune*: nam si res omnium æstimatione vilis bona fide ematur, & post emptionem inveniatur pretiosa, v. g. statua inveniatur partim aurea, quæ communi omnium æstimatione putabatur ænea, emens bona fide postea nihil tenetur addere, quia non fuit error in substantia spectata secundum æstimationem communem.

Quid si quis emat communi pretio agrū, in quo scit, latere thesaurum, &c.

Qui scit in agro latere thesaurum, potest agrum emere pretio communi ejus; quia thesaurus nec pars, nec fructus est agri, & ad neminem pertinet. Aliud de venis metalli judicant aliqui, vel alio minerali; eo quod sint pars, aut saltem fructus fundi, proinde ad dominum pertineant. Sunt tamen, qui tenent probabiliter, si bona fide ematur ager, non teneri emptorem compensare, quia habent se in æstimatione communi, ac si ibi non essent. Sic qui fasciculum herbarum emeret, in qua deprehenderet unam pretiosam, non teneretur pro ea quid addere; quia emit pretio secundum æstimationem communem. Ob eamdem rationem probabiliter licet communi pretio emere agrum, etsi scires ibi esse venam metalli. Vide *La-Croix l. 3. p. 2. n. 942.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quæ sint obligationes, & specialia peccata opificum?

RESP. I. Tenentur, non secus ac mercatores, sua artefacta non vendere super justum pretium. 2. Materiam sibi traditam conservare; superfluam non adhibere; residuum reddere; parare sibi commissa stato tempore, aut ita maturare saltem, ne domini damnum patiantur. 262. *Obligationes opificum.*

Resp. II. Peccant 1. Si jurent certo die opus paratum se tradituros; & quidem graviter, si vere Deum vocent in testem, scientes se non facturos: si autem sincere putarent fore paratum, peccant saltem venialiter propter abusum divini testimonii. Si sua culpa non steterint promissis, & alter damnum inde pateretur, tenerentur ad restitutionem: quod notandum pro iis qui plura suscipiunt, quam sine damno alterius præstare possint. 163. *Peccata.*

2. Si ad se attrahant fraude, dolo, vel mendacio famulos, vel operarios ab aliis horum opera utentibus; quia quilibet habet jus petendi, sperandi, impetrandi modo saltem licito bona ab aliis, quod per fraudem sine injuria impediri non potest. Unde tales tenentur ad damni secuti, vel lucri cessantis compensationem, uti & qui falso suam peritiam extollit supra alios, & se peritiore deprimit. Qui tamen id faciunt sine vi, fraude, dolo, & mendacio, non peccant, per se loquendo, contra justitiam; quia utuntur jure suo, quod habent ad quærendam utilitatem suam.

Dixi 1. *Per se loquendo*. Nam si alium sic impedirent a bono ipsi ex justitia debito, ut si quis famulum, artis suæ bene peritum, ab opera alteri addicta ante tempus abduceret, peccaret contra justitiam, & teneretur compensare.

Dixi 2. *Non peccant contra justitiam*. Quia peccarent contra charitatem, si ex odio, vindicta, vel invidia id facerent, ex quo præcise tamen non oritur obligatio restituendi. Idem est de mercatoribus.

3. Si plus materiæ exigant, quam ad opus sit necessarium: materiam ineptam adhibeant, aut opus non elaborent solide, sed perfunctorie; ut si sutor corium adhibeat transmittens aquam, suturam non debite faciat.

4. Peccat aurifaber, si æs pro auro vendat; vel auro aut argento plus æris admisceat, quam ars requirat, & ementes mixtionem celet, & pretium non minuat; si ex rebus furtivis aliquid mala fide emat.

5. Peccat Bibliopola, si libros non bene compingat, & tamen commune pretium exigat; si vendat libros lascivos, vel hæreticos, aliosve pernitiosos, vel defectuosos pro integris.

6. Peccat caupo, si sine justa causa vendat vinum iis, quos probabiliter putat se inebriaturos; causa autem, per se loquendo, sufficiens non videtur carentia lucri, quod ex illo præcise vino proveniret; sufficientem putant *Castrop. & Sanch.* si alioquin esset afficiendus contumeliis & gravissimis molestiis, & incommodis. Item si notabiliter imminuendus esset affluxus hospitum; quia id successu temporis illi esset grave damnum. Favet huic sententiæ cum gravissimis A.A. teste *La Croix l. 2. num. 261.* S. Augustinus serm. 231. de tempore his verbis: *Tum cum noli adjuvare, noli cogere, sed in potestate ejus dimitte, ut quantum sibi placuerit bibat, si se inebriare voluerit.* Idem est, si die jejunii hospitibus ministret carnes. Si tamen ii aliàs ad alium essent ituri, & æque peccaturi, ipseque successive grave damnum pateretur, non peccaret apponendo.

7. Peccat lanio, si carnes ita secet, ut amicis suis det meliores, aliis autem viliores eo-

dem

dem pretio; quia tenetur non gravare unum, ut faveat alteri.

8. Peccat sartor, si emat pro alio v. g. pannum pretio majori, cum posset minori; quia non agit fideliter rem committentis; si retineat partes residuas sine voluntate domini, ut si sint alicujus momenti, & adhuc usui futuræ domini; nisi consuetudo habeat, ut soleant illis relinqui, eo quod ideo minus accipiant. Quod si mercatores aliquid illis remittant de pretio, eo quod sæpius apud ipsos emant, possunt id retinere, modo utrimque fideliter agatur; emensque non ideo segnius mercetur, & vere remittat ipsi mercator de pretio, quod ab aliis, vel a domino obtineret: hæc enim si non adsint, peccat retinendo excessum pretii sibi traditi ad emendum; uti & si retineret ideo, quia ipse facilior est in mercando. Ratio est, quia hoc ipso, quod quis alterius negotium suscipiat, tenetur hoc utiliter agere, perinde ac suum, seque obligat ad ejus commoda procuranda, neque aliter illi res gerenda committitur. Nec potest operam suam occulte compensare, quam emendo impendit; quia satis compensantur, quod ipsi præ aliis vestis conficienda committatur, & opera communi pretio solvatur. Dein qui negotium alterius suscipit, nihil petendo, censetur præstare gratis operam suam.

9. Pistor peccat, per se loquendo, si panes faciat minores, prætendendo taxam a Magistratu constitutam non posse servari sine damno; quia non facile præsumenda est iniquitas Magistratus, qui juste taxavit pretium, prout communiter expedit, licet forte privatus per accidens patiatur damnum, quod alia vice compensabitur majori lucro. Unde non facile aliquid illis permittendum, nisi constaret, Magistratum errasse in taxa pretii constituti.

10. Peccant opifices, si sine justa causa labores protrahant per mediam noctem in diem festum; si tamen sartor vestem, vel sutor calceos,

 quos

quos bona fide promisit paratos ante festum; præter opinionem & sine culpa sua paratos non habeat, non peccat laborando per mediam noctem usque in diem festum, si propterea passurus esset grave incommodum, nec excusare se posset. Si sine causa rationabili laborent per tres horas die festo, v. gr. per unam mane, a meridie per unam, vesperi per unam, peccant graviter; secus si eodem die per unam tantum, immo etsi per unam singulis festis per annum; quia præceptum est affixum diei, & labores non coalescunt in unam gravem diei festi dehonorationem, sicut si fiant, licet discontinue, eodem die.

11. Sartores, molitores, ceterique artifices, quibus res tradita, polienda, vel immutanda; item nautæ, aurigæ, caupones, apud quos res deponuntur, peccant si non adhibeant diligentiam a diligentibus adhiberi solitam rebus conservandis, tenenturque saltem in foro externo ad restitutionem ex culpa levi; quia depositio etiam fit in commodum ipsorum, idque cautum est ad vitandas ipsorum fraudes. Secus esset, si res commissæ non essent illorum curæ, sed tantum videntibus illis depositæ in diversorio, navi, &c.

12. Et si opifices per labores graves, quos illi habent, ut sutores, fabri ferrari, & lignarii, textores, laniones, cursores, agricolæ, &c. excusantur a jejunio Ecclesiastico; non tamen reliqui, quorum labor est levis, ut sunt sartores.

13. Non possunt licite monetam materialiter falsam pro laboribus suis acceptam iterum exponere, & expositam tenentur recipere alia substituta; quia non habet valorem intrinsecum, aliique deciperentur. Nec juvat quod forte nesciant a quo eam acceperint, quia debent id inter infortunia sibi adscribere, ne scienter alios defraudent. Dixi, *Materialiter falsam*: nam si materia sit bona, & sit tantum formaliter falsa, id est, signum Principis sine auctoritate appen-

appensum habeat, & valorem communem, etsi eam cudens peccarit, potest, per se loquendo, iterum exponi.

14. Si operarius addixit suam operam pro inæquali stipendio, paupertate coactus, non potest uti occulta compensatione; quia cessit juri suo, modo nulla domini culpa intervenerit. Aliud esset, si esset injuste coactus ad id; si occuparetur in aliis, ad quæ non est conductus, pro his posset petere stipendium; sique aliter accipere non posset, licite sibi occulte compensaret, quod cum restrictionibus supra dictis accipiendum, salva Prop. damn. Si tamen volens facere obsequia gratuita, non posset; sed remuneratio domino foret libera. *La Croix l. 3. p. 1. n. 975.* Vide dicta n. 151. resol. 4.

QUÆSTIO III.

Quæ sint obligationes & peccata specialia militum, Belli Ducum, seu Officialium.

RESP. I. Officiales belli tenentur 1. Esse fideles suo Principi. 2. Curam suorum habere quoad corpus & animam. 3. Non excedere limites suæ potestatis. 4. Stare contractui cum militibus conscriptis. Unde peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem 164. *Obligationes.*

1. Si sua negligentia in bello justo permittant prævalere hostem; si non habeant completum numerum militum, pro quibus stipendium accipiunt a Principe taxatum; si plures putatitios milites in lustratione supponant, quam permittat consuetudo & consensus Principis; idque verum est, quamvis id facerent ad compensandum stipendium prius sibi debitum: tum quia compensatio fieri non potest licite fraude & fallacia; tum quia id cedere potest in grave damnum Reipublicæ, si Princeps, putans se habere tot milites, non conscribat plures, vel ad castra mittat, hostem jam superiore. Hoc casu, si nul- *Peccata.*

lium damnum sequeretur, & Officialis plus non accipere, quam sibi deberi novit, non teneretur ad restitutionem.

2. Si milites infirmos deserant; si potum vel cibum corruptum, vel periculosum præbeant; si a furtis, rapinis, blasphemia, &c. non cohibeant, quantum possunt; si non curent ut observent præcepta Dei & Ecclesiæ, quoad fieri potest.

3. Si pagos aliquos majori, quam par est, militum copia gravent; si a privatis domibus vel pagis pecuniam accipiant, ne eo milites imponant, qui ideo ad alios mittantur; si quid accipiant ad impediendas vexationes militum, quia ex justitia & officio ad id tenentur; si uni militi dent plura chirographa ad plures domos; si dissimulent, qua via velint exercitum ducere, & sic ab his illisve incolis pecuniam accipiant ad avertendum transitum: quia sic alios gravant amplius, quam eis concessum sit: si temere prælium ineant, vel militum vitam exponant.

4. Si vi, fraude, vel dolo milites conscribant, aut suos invitos aliis Ducibus vendant, vel commutent; si tempore, pro quo conscripti sunt, elapso, abeundi facultatem non faciant, vel abeuntes tunc, petita facultate, puniant; si stipendia debita subtrahant, vel diminuant, aut non dent debito tempore, cum possunt; si de vestitu, ut par est, non provideant; si milite mortuo stipendium illi debitum reservent, quia hoc debetur hæredibus. Ceterum usu in militia recepto, teste *La Croix*, Capitaneis conceditur locus mortuus pro duobus aut tribus famulis, & unus pro signifero, etsi illos actu non habeant. *Layman & Dicast.* dicunt quoque, consuetudine receptum esse, ut trium, vel quatuor mensium stipendia retineantur, quasi in deposito, ad milites in officio continendos, & militibus mortuis, nihil dari de iis hæredibus. At quo jure? An, quia dantes nomen militiæ,

id

id ſcientes, in id conſentiunt? At multi id ignorant, & conſentiunt coacti. Denique, ſi ad muniendam urbem privatos agro, vel horto privent, & non compenſent ſecundum juſtitiam diſtributivam.

Reſp. II. Obligationes militum ſunt hæ: 1. Daturi nomen militiæ ſub alieno Principe, debent poſſe prudenter præſumere bellum eſſe formaliter juſtum, ne temere ſe exponant periculo concurrendi ad injurias; & alias cuilibet militare ſub quolibet Hæretico vel infideli permittatur. Militaturi autem ſub ſuo Rege, vel Principe, ſi aliud non conſtet, poſſunt ſupponere bellum eſſe juſtum, ſique jam conſcriptis dubium oriatur, quod diſſolvere non poſſint, ut plerumque fit, tenentur obedire; quia Princeps eſt in poſſeſſione poteſtatis imperandi, & ſubjectio milites excuſat, poſſuntque præſumere bellum eſse juſtum. Si tamen de ejus injuſtitia conſtaret, bellare non poſſent. 165. *Obligationes militum.*

2. Tenentur milites ſtare contractui quoad tempus conductionis, obireque functiones militares.

3. Debent eſse contenti ſuo ſtipendio. Hinc peccant

1. Si Duci vel Præfecto non pareant, ſtationem deſerant, non pugnent fortiter, arcem ſibi commiſsam non defendant; quia ſunt conducti, & ſtipendia accipiunt ut iſta præſtent, etiam cum periculo vitæ. 166. *Peccata militum.*

2. Si a caſtris aut exercitu ſine licentia Ducis diſcedant, ſi militiam deſerant ante tempus condictum.

3. Si quid auferant, vel extorqueant a non hoſtibus; quia debent, per ſe loquendo, contenti eſse ſtipendio, pro quo conducti ſunt, nec excuſantur ex eo, quod Duces diſſimulent, aut ſtipendia non ſolvant: ſubditi enim jubentur pro iis contribuere, juſque retinent ad ſua: Principis vero eſt providere, ut ſolvantur ſtipendia. Dixi: *Per ſe loquendo*; quia ſi pabulum ſuffi-

sufficiens advehi, aut propter inopiam non posset emi, fierent pabula communia; putatque *Lessius in Auct. V. Bellum., casu* 4. etiam in gravi necessitate licitam esse pabulationem, modo servetur proportio, & uni non auferantur omnia, sed omnes æqualiter graventur.

4. Si sine permissu Ducis damna inferant subditis terræ hostilis, vel ab iis, dum Principi vel Duci pro immunitate a damnis contributionem solvunt, quid exigant, vel ex timore injuste incusso oblatum recipiat; quia donationes illæ ipsis sunt involuntariæ, habentque jus ad immunitatem; nec possunt milites quid auferre hosti sine auctoritate publica Ducis vel Principis.

5. Si, ubi agnoscunt, Principis sui bellum esse injustum, ei contra hostem servire, & militare pergant; quia sunt causa injusta damnorum. Si in hoc casu miles invaderetur ab alio, justo bello serviente non posset eum occidere; sed deberet animum nocendi deponere, idque alteri significare modo quo posset, & vitæ gratiam petere: his si nollet aggressor acquiescere, juxta *Sotum*, *Azor*, *Burgaber cent.* 2. *casu* 88. posset se defendere, & alterum, si necesse esset ad sui defensionem, occidere; quia tunc aggressor jus non haberet amplius ipsum occidendi, sed invaso faveret jus naturale se defendendi; secus ac reo condemnato favet ad se defendendum contra carnificem.

6. Si Dux justa de causa daret direptioni, vel ferro urbem, non liceret occidere innocentes, v. gr. pueros, religiosos, feminas, & peregrinos per transitum in urbe commorantes, si ab actione hostili abstinuerint; quia jus habent ad vitam suam retinendam, cum hostile nihil egerint. Possent tamen incolæ urbis laici, innocentes etiam, spoliari bonis suis fortunæ; quia cum hæc sint sub dominio alto Principis vel Reipublicæ, huic facultatem nocendi injuste præbent. Casu quo militibus licet spo-

liare

liare hostes, possunt quoque Religiosi & Clerici servientes militibus in spiritualibus sibi tunc sine injuria accipere & retinere spolia hostium, quia sunt pars exercitus. Cavendum tamen scandalum. *La-Croix lib. 3. part. 1. num.* 881. Atque ex his patet, quomodo examinandi sint milites, & quando obligandi ad restitutionem.

Sunt illis præterea sat frequentes blasphemiæ, imprecationes, juramenta, fornicationes, superstitiones, quibus se nituntur reddere impenetrabiles, duella. Hæc si ineantur ex condicto, certo loco & tempore, incurritur excommunicatio, casusque reservatur Summo Pontifici; a quo tamen in Germania & partibus Septentrionalibus absolvere possunt Religiosi Mendicantes, & qui cum iis in privilegiis communicant. Quod si non ex condicto, sed in subitam iram & rixas versi stringant gladios, & in loco pugnent; peccant quidem, casum tamen reservatum ex eo non incurrunt. *Duellum.*

167. *Quid de fœderibus?*

Petes. Quid de fœderibus cum hoste initis sentiendum? Resp. In fœderibus fides publice data servanda est, etiam hosti bellum injustum inferenti, etsi una pars coacta fuisset injuste ad paciscendum. Est communissima TT. Ratio est, quia cum Principes bellum gerentes non habeant superiorem, a quo contractus initus rescindi possit, si liceret propria auctoritate resilire, vergeret id in commune damnum societatis humanæ: quisque enim facile fingeret sibi injuriam, aut vim illatam esse; sicque pax nulla firma esset, & mundus perpetuis bellis involveretur. Quare, ut Princeps forte injuriam passus, suis cedat saltem tantisper, donec nova se justi belli, suaque recuperandi offerat occasio, bonum commune exigit. Et hinc Papa dispensare non potest in pactis inter Principes Catholicos, nisi vergerent in damnum notabile fidei, vel Religionis: immo nec in initis a Catholico Principe cum hæreticis; cum

enim hi nolint se obligare dependenter à Papa; cum illis numquam possent fœdera inire Catholici, id quod cederet in magnum detrimentum Reipublicæ Christianæ. Hæc intelligenda sunt de pactis validis jure naturæ, ut non sunt quæ fiunt de materia illicita, vel Principi non subjecta sæculari. *La-Croix l. 3. p. 1. num. 881.*

Quæ specialiter observanda Confessario circa Judices, Advocatos, &c. videri possunt p. 3. Theol. Moral. in fine.

NEO-

NEO-CONFESSARIUS PRACTICE INSTRUCTUS.

PARS TERTIA.

De iis, quæ Confessario specialiter sunt observanda circa personas diversis vitiis, peccatis, & defectibus tum physicis, tum moralibus obnoxias, &c.

QUÆ media præscribenda sint contra capitalia peccata, dixi a n. 61. ad n. 99. ubi etiam dictum de maledictis & blasphemiis: de iis autem, qui maledictis & juramentis assueti sunt, num. 94. Exponendum restat, quomodo tractandi sint consuetudinarii, præsertim in materia venerea, constituti in occasione proxima peccandi, invalide confessi per plures annos, captivi & rei, conversi ab hæresi, fatui, surdi, muti, ignotæ linguæ, indurati, inimicitiis & odio impliciti, moribundi, pudibundi, pusillanimes, desperabundi, restitutioni obnoxii, sagæ & malefici, scrupulosi, tentati, &c.

CAPUT PRIMUM.

De Confessario hominis constituti in occasione proxima graviter peccandi, & consuetudinariis.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit occasio peccandi, & quomodo differat a periculo.

168. *Occasio peccandi.* RESP. I. Occasio peccandi est circumstantia extrinseca, alliciens ad peccatum, ut cohabitatio, conversatio cum malis, choreæ, tripudia cum feminis, officium, negotiatio, &c. Periculum peccandi est omne sive intrinsecum, sive extrinsecum, inclinans ad peccatum. Unde omnis occasio peccandi est aliquod periculum seu léve, seu grave peccandi; non tamen omne periculum peccandi est peccandi occasio. Nam qui contraxit consuetudinem mollitiei, est in periculo peccandi, etiam dum solus est, non est tamen in occasione.

2. Occasio peccandi alia est remota, quæ habet quidem vim aliquam alliciendi ad peccatum; raro tamen illud post se trahit. Hæc dicitur etiam periculum remotum peccandi: alia proxima, quæ frequenter conjungitur cum peccato. Hæc dicitur etiam periculum peccati proximum.

3. Alia est proxima per se, seu absolute & intrinsece talis; alia per accidens & respective talis. Proxima per se & absolute talis, est quæ ob extrinsecam suam vim movendi respectu omnium frequenter cum peccato conjungitur, ut aspectus fixus rei valde turpis, habitatio cum concubina. Per accidens talis est, in qua non omnes passim, sed hic homo in particulari ex inclinatione vel fragilitate sibi propria & singulari frequenter labitur: ut esse

potest exceptio Confessionis mulierum respectu certi Confessarii, colloquium cum puella respectu certi juvenis. Male ab aliquibus dicitur universaliter occasio proxima, in qua quis frequentius peccat, quam non peccat, aut fere semper peccat. Nam licet illa sit vere occasio proxima, tamen potest esse proxima, etsi non peccet frequentius, quam non peccet: qui enim ter in septimana peccat cum persona cui cohabitat, est vere in occasione proxima, nec tamen intra septem dies sæpius peccat, quam non peccat. Immo in occasione proxima esse potest, qui numquam ante peccavit, ut si quis non assuetus vino, generosum cum aliis certando biberet, esset in occasione proxima se inebriandi, etsi se numquam inebriasset.

4. Occasio proxima alia est interrupta, in qua solum quis per intervalla versatur, ut frequentatio chorearum, tabernæ, puellarum; alia continua, in qua quis semper versatur sine interruptione, ut retentio alienæ pecuniæ, beneficii simoniace accepti, habitatio cum concubina, quæ non sunt peccatum quidem actuale, sunt tamen occasio sæpe renovandi voluntatem retinendi.

5. Occasio proxima alia est voluntaria, quæ physice & moraliter, seu per vires naturæ, & sine peccato gravique difficultate vitari potest; alia involuntaria, quæ physice vel moraliter vitari non potest. Physice involuntaria dicitur, quam quis per vires naturæ vitare non potest. Talis esset, si quis detineretur cum concubina in carcere, vel in navi in mari. Moraliter absolute involuntaria est, quam quis vitare non potest sine peccato: talis potest alicui esse militia, a qua sine peccato ante condictum tempus discedere non potest. Moraliter involuntaria secundum quid, est quam quis sine valde gravi difficultate, vel damno non potest vitare: talis possent alicui esse officium Advocati, Consiliarii, Chirurgi, quod

quis sine damno valde gravi non posset deserere. Quantum autem debeat esse damnum, ut occasio censeatur moraliter involuntaria, non potest una regula definiri; quia pendet ex variis circumstantiis, quæ Confessario ponderanda sunt. Universim dici potest, damnum esse debere tam grave, ut id subire communiter superet vires humanas; ut si vita exponenda esset evidenti periculo; si familia honesta esset ad mendicitatem redigenda; si viro honorato infamia valde gravis subeunda, si filiusfamilias deberet invito patre deserere domum paternam.

Periculū peccandi. Quæ dixi de occasione proxima, conveniunt quoque periculo proximo saltem plerumque: nam illud occasionem proximam cum circumstantia externa constituit; estque aliud vitabile, aliud physice vel moraliter inevitabile: aliud proximum respectu omnium, aliud respectu unius proximum, respectu alterius remotum, &c. Periculum proximum aliud est formale, quod vim suam ad frequentem lapsum inducendi retinet hic & nunc, etiam considerato subjecto; aliud materiale, quod in se quidem vim illam retinet, ob specialem tamen subjecti dispositionem non solet cum peccato conjungi, aut merito creditur non conjungendum, & hoc etiam dicitur formale respective remotum. Formale proximum aliud est per se, aliud per accidens tale, uti dixi de occasione. Quod si merito judicetur peccatum certo ex illo secuturum, dicitur formale proximum certum; si autem ob rationem gravem quidem, attamen incertam, futurum putetur, dicitur periculum formale probabile. Si quis citra motivum prudens timeat vel suspicetur se lapsurum, periculum erit leve. *Gobat* pro praxi putat, quod qui scit, si decies adeat periculum, v. g. consortium, se labi septies vel octies, periculum sit illi moraliter certum: si autem ter vel quater, censet quod tantum sit probabile; leve

vero

vero si numquam cadat, vel fortè semel aut raro, & veluti casu. Porro quot lapsus requirantur, ut quis in occasione certa censeatur frequenter labi, varie æstimandum est secundum dicenda num. 175. Quidam merito censent frequentem esse lapsum, si contingat fere ad singulas occasiones recurrentes.

QUÆSTIO II.

Quomodo procedendum sit Confessario cum constitutis in occasione peccandi proxima?

RESP. I. Propter existentiam in occasione peccandi remota non est neganda absolutio; quia existens in ea potest sufficienter esse dispositus, etsi eam nolit deserere, cum ad peccata remote se habeat, & vim ad peccata movendi facile superabilem, volenti uti gratiis ordinariis. Sic nemo dicit, dispositum esse non posse qui non vult deserere mercaturam, militiam, amovere divitias, paupertatem, morbum, sanitatem, quæ sunt occasiones peccandi remotæ. Immo cum in nullo statu tales occasiones desint, deberent omnes e mundo exire, ut loquitur Apostolus 1. Cor. 5. si tales occasiones necessario removendæ essent. 169. *Absolutio non neganda disposito ob existentiam in occasione remota peccati gravis.*

Resp. II. Neque neganda absolutio pœnitenti propter existentiam in occasione proxima, quam vel physice vel sine peccato deserere, vel vitare non potest, modo sit dispositus, paratusque uti mediis ad cavendum relapsum præscriptis. Ratio est, quia permanentia in tali occasione ipsi imputari non potest ad culpam; nemo enim obligatur ad aliquid, quod physice vel sine peccato præstare non potest. Quod si emendatio sequatur, poterit deinceps absolvi; si autem illa post unam alteramve Confessionem non appareat, differenda est absolutio, donec appareat emendatio saltem notabilis: tum ut pœnitens majorem concipiat hor- *Nec ob existentiam in occasione proxima physice inevitabili.*

rorem peccati, conatumque majorem adhibeat; tum ut amoveat fundatum dubium de serio proposito. Excipe, nisi adessent specialia signa doloris, aut necessitas aliud exigeret.

171. *Neganda nolenti deserere occasioné proximã continuã, facile vitabilem.* Resp. III. Non est absolvendus pœnitens; qui physice & facile potest occasionem proximam continuam mortaliter peccandi deserere, & non vult; etsi dicat, se habere propositum firmissimum non amplius peccandi. Est communissima, & certa sententia. Ratio est, quia talis propositum nec habet, nec manens in ista occasione habere potest; velle enim manere in tali occasione est velle peccatum, cum sit cum frequenti relapsu conjuncta, & sine gravi incommodo vitabilis. Unde Innoc. XI. damnavit hanc ordinem 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimmo directe & ex proposito quærit, aut se ingerit.* Damnatur autem hæc propositio, ut recte Cardenas in 2. *Crisi diss.* 40. c. 5. *a num.* 114. divisim, ita ut ejus contradictoria sit: Nec potest aliquando absolvi, qui in occasione proxima peccandi versatur, &c. nec qui directe eam quærit, aut illi se ingerit: quia particulæ, *quin immo*, exprimunt casum magis dubium.

172. *Et nolenti vitare interruptam.* Resp. IV. Absolvendus quoque non est, qui non vult vitare occasionem proximam interruptam graviter peccandi, v. g. choreas, tripudia, consortia, in quibus frequenter peccat graviter. Ratio est, quia cum sciat suam fragilitatem periculumque proximum, si vitare nolit, propositum requisitum non habet. Quod si serio promitteret vitare talem occasionem, posset prima vel secunda vice, qua peccata ista confitetur, absolvi; quia facilius præsumi potest propositum efficax, cum hic effectu non sit in occasione proxima, secus ac existens in continua: hic enim, licet forte affectu illam deserat, non tamen deserit effectu, estque illi periculum relabendi semper præsens.

Quod

Quod si semel atque iterum, sive eidem, sive diverso Confessario is fidem fregisset, ac tertio emendationem promitteret, differenda esset absolutio, usque dum emendatio appareat; quia cum ab illa occasione abesse facile possit, & non vitet, ei fidem jam aliquoties non servanti, credi ultra non potest. Excipe, nisi circumstantiæ essent mutatæ, vel occasio talis, ut Confessarius prudenter sperare posset, quod pœnitens per media specialia, hactenus ei non suggesta, sit ex occasione proxima facturus remotam.

Resp. V. Qui occasionem proximam continuam, sine peccato & gravi incommodo, & nunc & ante evitabilem, adeoque voluntariam non deseruit, per se loquendo absolvendus non est, nisi eam prius deserat; etsi promittat se eam deinceps deserturum. Ita *S. Carolus Borromæus p. 3. instr. pastoral.* Et ratio est, quia cum pœnitens eam facile deserere potuerit, & non deseruerit, suspectum est ejus propositum, exponiturque periculo proximo relabendi, eamque non deserendi, nisi timor negandæ absolutionis retrahat. Unde, per se loquendo, absolvendus non est magus, nisi prius pactum cum dæmone rescindat, extradatque omnia instrumenta diabolica comburenda: nec possidens beneficium Simoniace obtentum, nisi aut dimiserit illud, aut suum fecerit, aut serveat jam opera, ut fiat ipsius: nec qui facile potuit, modoque potest reparare gravem injuriam proximo illatam in bonis fortunæ, fama, honore, &c. & non reparavit: neque concubinarius, nisi concubinam dimiserit a se, etsi ploret, & promittat se, ubi domum redierit, statim dimissurum, maxime si id alias promisit, & fidem fefellit; quia sola præsentia mulieris apta est cor hominis libidinosi immutare, adeoque nec ipse sibi credere potest, præsertim cum amor naturalis, & non malus, si nimium excrescere sinatur, quosdam ita occupet, ut persona amata continuo obversetur, & animus quodammodo 173.

Immo &, nisi prius deserat facile vitabilem continuam.

modo fascinetur. Unde recte dicit *S. Franciscus Xaverius Epist.* 1. Cum hominibus horum tractatuum tam promptis & liberalibus ad obligandam fidem, quam ad exsolvendum tardis & segnibus, cum arrha transigendum esse; id est, datam fidem facto firmandam ab illis esse. Nec ante credendum lacrymis, ait *S. Thomas a Villanova serm. 6. post Dominicam 4. Quadrag.* Sed firmiter tenendum, vix aut ne vix unum, qui mulierculæ cohabitanti aliquoties mortifere adhæserit, licet res turpis necdum abierit in consuetudinem aut occasionem proximam, emendandum, nisi per separationem; quia peccati & dilectionis memoria, objecti præsentia, pronitas in talia insensibiliter cor ejusmodi hominis emolliunt. Dixi tamen, *Per se loquendo*; nam possent esse circumstantiæ, in quibus absolutio foret impertienda; ut si pœnitens esset in articulo mortis, vel evidenti ejus periculo, nec posset hic & nunc, paratus tamen proxime, occasionem amovere vel deserere; quia credibile est, adesse serium propositum eam amovendi. Quod si occasio esset cohabitans mulier, & pœnitens crederetur non statim moriturus, obligandus esset, non quidem, ut si sine gravi infamia vel scandalo fieri non posset; statim eam expelleret, sed aliquam pro se peregrinationem suscipere juberet, atque ita aspectus & tentationes vitarentur. Dein si pœnitens ignorasset peccatum esse manere in occasione, aut hanc putasset non esse proximam, aut saltem non esse obbligationem, illam tam cito tollendi, hoc casu posset prima vice absolvi, saltem si occasio non esset mulier. Si autem vellet altera vice absolvi, sublata necdum occasione, audiendus non esset. Putat quoque Suar. Lugo & alii, posse semel absolvi, si videatur ex audita Concione vel ferventi exhortatione Confessarii singulariter dispositus, statueretque eam statim tollere; quia censetur amplius non vel-

se illam occasionem retinere. Excipe; nisi occasio esset mulier cohabitans, turpiter amata: quia proposita in talibus sæpe sunt inefficacia, aut nimis periculosum est, ne data absolutione statim flaccescant.

Resp. VI. Absolvendus est existens in occasione proxima, quam moraliter vitare non potest, puta quia alias subeunda esset gravis infamia, vel damnum valde grave temporale, aut spirituale, modo prudenter judicetur habere dolorem seriumque propositum adhibendi omnia media, ad periculum formale destruendum necessaria. Ratio est, quia si possit velitque ex occasione proxima facere remotam, paratusque sit præstare quæ moraliter potest, prudenter creditur esse dispositus; fieretque illi injuria, si cogeretur in tali casu occasionem deserere statim. Uti si filius cogeretur discedere ex paterna domo: Parochus vel Chirurgus officium, quibus hæc essent proxima peccandi occasio, quam serio vellent facere remotam, abdicare statim juberentur. Ratio est, quia occasio de se non est peccatum, &, ut ponitur, pœnitens paratus est vim ejus inductivam ad peccatum enervare. Attamen si occasio esset talis, ut stante illa sperari emendatio non posset, aut spes nulla esset, remedia esse profutura, nec prima vice absolvi posset, nisi prius eam deseruerit; quia velle manere in tali occasione est velle peccatum, valetque tunc illud Christi Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*, id est, abscinde occasionem illam, etsi esset tibi res clara, ut oculus, &c. ac illud Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*. Similiter si adhibitis mediis æque frequenter relabatur ex illa occasione, differenda est absolutio, donec emendatio appareat; nisi forte nunc aliis mediis videretur juvandus, aut alia adessent signa sinceri doloris & propositi. Si autem per media illa relapsus rarus, aut

174. *Secus si sit moraliter inevitabilis & speretur reddenda remota.*

multo rarior redderetur, serioque pœnitens cooperaturus divinæ gratiæ videretur, absolvi posset. Dixi in responsione: *Aut damnum valde grave subeundum esset*. Nam non lucrum acquirendum, sed damnum incurrendum facit moralem vitandæ occasionis proximæ impossibilitatem, quæ ad permanendum licite in tali occasione requiritur, uti constat ex damnatis propositionibus. Alexander VII. damnavit hanc ordine quadragesimam primam: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendum concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illa, nimis ægre vitam ageret, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur*. Innocentius autem XI. hanc 62. proscripsit: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis & honesta non fugiendi occurrit*.

Ex dictis constat, magna prudentia opus esse Confessario in præsenti materia, ut ex circumstantiis discernat, an aliqua particularis occasio sit moraliter inevitabilis, adeoque talis, ut pœnitens in ea, saltem aliquo tempore, relinqui possit, & interim aliquoties absolvi; aut talis, ut ne vel semel absolvi possit, nisi deseratur. Prudenter monet P. Paulus Segneri *in Instruct. Confess.* ut attendat Confessarius, si pœnitens cogeretur subire grave malum pro evitanda occasione peccandi, an non plura ex eo peccata sint secutura, vel an non facilius sit persuadere, ut media efficacia adhibeat & emendet, quam ut deserat occasionem, eo quod periculum formale numquam sit inevitabile.

Consilium P. Segneri.

QUÆSTIO III.

Quis dicendus sit consuetudinarius & recidivus?

Resp. Consuetudinarius dicitur, qui ex inclinatione vel habitu per actus frequentatos in certa specie peccati, v. g. blasphemiæ, perjurii, imprecationis, luxuriæ, contracto, frequenter relabitur in certum peccatum. Cum consuetudinario multi confundunt recidivum, quem dicunt illum, qui iteratis aliquoties Confessionibus, post singulas Confessiones in eadem peccata reincidit. Verum in rigore idem non est: etsi enim omnis consuetudinarius sit recidivus, non tamen contra. Nam qui semel relapsus est in peccatum ante remissum, vere recidivus est; non tamen consuetudinarius; sicut & in occasione proxima relapsus potest necdum esse consuetudinarius. Quæ autem frequentia relapsuum requiratur, ut aliquis dicatur consuetudinarius, & tractandus ut talis, non una, uti dixi de occasione proxima, regula definiendum est; sed attendendum ad naturam & circumstantias peccati, ad tempus modumque committendi peccata. Nam peccata, quæ ore, vel cogitatione fiunt, sicut facilius committuntur, sic major in iis requiritur numerus ad frequentiam ex consuetudine. Dein ad consuetudinem requiruntur relapsus per notabile tempus: neque enim qui per unam tantum hebdomadam vel mensem frequenter est relapsus, is consuetudinarius dicitur; & relapsus, qui censentur frequentes respectu octidui, non censentur frequentes respectu aliquot mensium. Sic certum peccatum sæpe censetur in septimana committi, si ter quaterve per septimanam recurrat; non vero si toties per mensem, censetur frequens relapsus in mense. Similiter qui duodecies per mensem peccaret peccato mol-

175. *Consuetudinarius dicitur, qui ex habitu in materia certa frequenter peccat.*

mollitiei, censeretur frequenter in mense peccasse, non tamen si toties intra annum, dicendus esset frequenter in anno peccasse, ita ut haberetur pro consuetudinario: si singulis autem septimanis per annum, vel aliquot annis sic peccaret, habendus est pro consuetudinario, & frequenter relapso; relapsus enim essent quinquaginta duo intra annum. Denique peccata minus deliberata, vel ex communi fragilitate facile committi solita, majorem numerum petunt.

QUÆSTIO IV.

Quomodo practice procedendum cum consuetudinario extra occasionem proximam?

176. *Absolvi ordinarie potest consuetudinarius, quando prudenter judicatur dispositus.* RESp. I. Regulariter danda est absolutio consuetudinario extra occasionem proximam, quando prudenter judicatur adferre dispositionem requisitam, aut ad illam per exhortationem & industriam Confessarii jam adductus esse; nisi illam ad tempus differri suadeat, aut exigat illius utilitas, inconstantia, vel aliqua necessitas, &c. Ratio est, quia per Confessionem acquisivit jus ad absolutionem; ergo illi danda est, aut modo, aut saltem post tempus aliquod, si ad id eam differri causa justa suadeat, vel exigat. Dixi, *Si prudenter judicetur*: nam si judicium prudens formari non possit de requisita dispositione, per se loquendo absolutio aut neganda, aut differenda est. Vide dicta n. 34.

Petes: Ex quibus indiciis prudens illud judicium formari possit?

177. *Indicia dispositionis.* RESp. I. Ex indiciis sinceri doloris, & efficacis propositi, futuræque emendationis, qualia sunt 1. Suspiria, gemitus, lacrymæ sinceræ. 2. Si pœnitens longum & difficile iter proprio motu Confessionis gratia susceperit. 3. Si peccatum, alias celatum, magno cum rubore confi-

confiteatur. 4. Si aliquo tempore a peccato abstinuerit intuitu Confessionis faciendæ cum fructu. 5. Si jejunaverit, certas preces quotidie persolverit pro Confessione rite instituenda, & venia impetranda, &c. 6. Si major conatus emendandi sit adhibitus; si rarius vel difficilius ab ultima Confessione intra tempus priori simile relapsus sit; si sibi vim intulerit contra tentationem. 7. Si circumstantias & illecebras peccatorum removerit, v. g. novum vitæ genus sit amplexus, certam societatem periculosam vitarit; si quid evenerit, quod specialem metum incusserit. 8. Si remedia contra relapsum præscripta cum fructu adhibuerit; si de industria ad Confessarium venerit, a quo efficaciora putabat media præscribenda. 9, Si se offerat ad priora media serio & studiosius adhibenda, difficiliora libenter admittat, injurias ultro condonet; si desideret complices peccati converti, & velit ad id cooperari. 10. Si optet pati ad satisfaciendum Deo offenso, vel gaudeat se a Deo puniri, approbet justam Dei vindictam. Ex his deduco sequentes Regulas pro praxi.

Regula 1. Absolvi potest consuetudinarius, immo & ordinarie debet, nisi aliud circumstantiæ suadeant, non solum qui media præscripta adhibuit contra peccata consuetudinis jam ante confessæ, & numerum imminuit; sed etiam qui prima vice consuetudinem suam confitetur, & jam judicatur prudenter esse dispositus, vultque media proposita ad emendationem utilia vel necessaria adhibere. Ratio patet ex dictis. Neque necesse est, ut Confessarius judicet quod pœnitens numquam sit relapsurus; sed satis quod prudenter possit judicare quod verum dolorem propositumque habeat, & spem faciat emendationis: in his enim consistit sincera plenaque conversio. Unde & si quis medicinales pœnitentias non obivisset, eo quod a Confessario ipsi numquam fuissent præ- 178. *Absolvi potest dispositus, qui primum confitetur consuetudinem.*

scri-

scriptæ, nunc autem paratus esset eas subire, & media præscribenda adhibere, spemque faceret emendationis, absolvi posset.

Regula 2. Neganda consuetudinario absolutio est 1. Si non velit serio allaborare ut vincat consuetudinem, quia peccata sunt adhuc ipsi voluntaria in causa. 2. Si media præscripta neglexit, & quæ scivit necessaria non adhibuit pro vincenda consuetudine, nec modo signa dat extraordinaria doloris & propositi; idque, licet dicat se jam paratum adhibere media difficiliora. Ratio est, quia adest justa causa dubitandi de dispositione, & sæpe tales promittunt magna ex timore negandæ absolutionis, sed se & Confessarium decipiunt. Unde saltem ad tempus neganda absolutio, ut discant melius apprehendere mediorum necessitatem. 3. Idem faciendum ob rationem datam, si post singulas Confessiones frequenter deliberate relapsus est, ducto initio ab uno alterove die post Confessionem. Excipe, nisi nunc alia adsint signa ex prædictis.

Regula 3. Differenda est absolutio 1. Si ob frequentiam relapsuum Confessarius prudenter judicare non possit, pœnitentem esse rite dispositum, etsi is dicat se dolorem & propositum habere. Ratio est, quia Confessarius, utpote judex, debet prudenter judicare reum esse capacem absolutionis; alias abutitur sua potestate, estque præsumptio contra pœnitentem, ubi non sunt indicia ad judicium prudens formandum sufficientia; cum is fidem sæpe datam fefellit, lateantque in consuetudinariis pravi habitus, inclinationes, & pravi affectus, quos experirentur, si se coram Deo examinarent, & conscientiam suam consulerent: verb. grat. An, si occurrerent ordinariæ occasiones & illecebræ, non essent parati agere, negligere, ut ante redire ad consortia & pericula? Unde languida, & inefficacia sæpe sunt eorum proposita, quibus voluntas non avertitur à

pec-

peccatis ; ita ut si nunc adesset occasio ista repetendi, nulla ratione admitteret in iis complacentiam, aut desiderium eorum; talis autem voluntas requiritur ad propositum. 2. Si Confessarius judicet, quod absolutio ante nimis facile impensa ansam dederit relapsibus, ut proinde nulla sit spes emendationis si iterum statim detur, absolutio, per se loquendo, differenda est, etsi Confessarius prudenter judicet, pœnitentem hic & nunc esse dispositum. Ratio est, quia ad Confessarium, utpote medicum, pertinet non solum vulnera curare præsentia, sed etiam media præservativa a relapsu adhibere. Hinc si dilationem judicarit necessariam, teneretur differre absolutionem; si autem non necessariam quidem, attamen valde utilem, non teneretur quidem, posset tamen, pœnitente (licet hoc ordinarie non expediat) etiam invito: quia medici est providere infirmo, præsertim ubi agitur simul causa tertii, uti hic agitur causa Dei & Domini nostri; majusque bonum est ad breve tempus carere gratia (quam tamen pœnitens per contritionem acquirere potest) cum spe eam habendi deinceps perseveranter, quam statim eam accipere cum præsenti periculo, illam paulo post iterum amittendi. Experientia enim constat, quod brevis dilatio absolutionis multum conferat ad emendationem consuetudinarii; quia huic aperit oculos, ut cum sua confusione videat animæ suæ pericula, gratiæque divinæ det locum, juxta illud Psalm. 81. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*. Dixi, *Per se loquendo*: nam in articulo mortis, & casu quo putaretur dilatio absolutionis pœnitenti non profutura, danda esset absolutio.

179. *Quid si sæpius relapsus tibi non sit umquam confessus?*

Resp. II. Si alias tibi non confessus, prima vice tibi confiteatur suos relapsus in idem mortale, interroga quandonam ultimo sit confessus. Si spectato tempore secundum dicta num. 175. relapsus videatur frequens, interroga

an ante illud tempus frequenter fit lapfus in idem peccatum? An aliquo tempore abftinuerit, media adhibuerit, numerum imminuerit? &c. & facile patebit quid agendum fit fecundum dicta. Duo à Confefsario interim follicite cavenda: unum, ne fit nimis rigidus; alterum, ne fit nimis facilis, & de mediis efficacibus parum follicitus: rigor enim nimius pœnitentes in defperationem agit; terrendi funt, fed & animandi, proponendo pericula, & pœnas ex una parte; ex altera paratum Dei auxilium, & defiderium ut peccator ad fe revertatur. Languida autem benignitas, & nimis facile confuetudinariis impenfa abfolutio, caufa eft quod pluribus annis inforδefcant confuetudini, alii fe polluendi, alii blafphemandi, maledicendi, jurandi, execrandi, &c. *Unum*, inquiunt PP. Concilii Lateranenfis, *eft, quod fanctam maxime perturbat Ecclefiam, falfa fcilicet pœnitentia: idcirco Confratres noftros Presbyteros admonemus, ne falfis pœnitentiis laicorum animas decipiant, & in infernum pertrahi patiantur.* Hactenus PP. Verendum fane, ne in Confefsarios, qui injuncta levi pœnitentia confuetudinarios abfolvunt vix monitos, dimittunt mediis nullis munitos, aliquando cadat illud Achabo dictum lib. 3. Regum cap. 20. *Quia dimififti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius.* Quæ autem media fint præfcribenda, quæ pœnitentiæ injungendæ, dixi num. 18. 38. & a num. 56. Item dicetur num. 188. Ceterum confuetudinario in materiæ luxuriæ in primis necefsarium eft, ut frequenter confiteatur, & quoad fieri poteft eidem prudenti, docto, & bene experto Confefsario, cujus confilia fequatur, ad quem ftatim poft lapfum recurrat, aut, fi nequeat, vindictam de fe fumat, &c. Nemo, inquit Cardinal. Toletus, loquens de confuetudinario molli, fibi promittant emendationem, nifi per miraculum, vel rariffimum privilegium, fine frequentiffima Confeffione. Unde fi talis raro con-

Duo cavenda Confeffario confuetudinarii.

confiteatur ; vel notetur currere de uno ad alium, merito dubitari potest de ejus dispositione ; quia negligit medium utilissimum & fere unicum, si tamen de hoc monitus fuit.

Resp. III. Si consuetudinarius suam consuetudinem prima vice confiteatur, in eoque notetur extraordinarius dolor, & ideo videatur statim absolvendus, caveat Confessarius ne dolorem sistat, & animum pœnitentis a fœditate peccatorum suorum consideranda ad motiva dumtaxat fiduciæ in Deum intempestive abducat : hoc enim esset operationem Spiritus sancti impedire. Deinde advertat, an dolor oriatur ex clara divinæ bonitatis cognitione, qui solet cum dulcedine esse conjunctus, ob inchoatam veri boni per amorem possessionem ; an vero ex horrifico aspectu scelerum, sitque totus felle permixtus. Si primum, doceat blanditias illas suscipere cum humili confusione, ut faceret reus læsæ majestatis, si a Rege, loco supplicii, specialibus favoribus augeretur ; atque sancto rubore suffusus se intra se ipsum recondat, indignum se reputans favoribus & deliciis filiorum Dei. Si secundum, doceat oculos quidem in sua scelera generatim (in speciem enim recordari, præsertim in materiæ luxuriæ, non expedit) ad tempus conjicere, ita tamen, ut per intervalla ad abyssum misericordiæ divinæ meritaque Christi reflectat : sic enim & confusio & fiducia inducetur, quæ principium est fortitudinis. Quod si emendata jam consuetudine notetur pertristes animo volvere cogitationes, magis trahendus esset ad fiduciam, monendusque, ut ubi memor peccatorum tristatur, aut etiam lacrymas fundit, statim dolorem in Deum dirigat, dolendo ob ejus bonitatem offensam, statuatque offensas compensare, & tranquillum gerat animum. Fieri enim potest, ut dolor ex dispositione naturæ proveniat, & non ex gratia : neque peccata perpetuo sunt versanda

180. *Serio dolens non tantum ad fiduciam trahendus.*

animo, etsi salutare sit ea recordari in genere quandoque.

181. *Pusillanimis erigendus, minus sollicitus terrendus.* Resp. IV. Si pœnitens consuetudinarius videatur pusillanimis & turbati animi, eo quod parum proficiat, non multum terrendus, sed laudandus est si quid emendaverit, spesque facienda plenæ per Dei gratiam emendationis; quæ eo faciliora reddet omnia, quo sæpius ipse meliusque vicerit. Tali necessaria est magnitudo animi, spes magna victoriæ, & perseverantia. Si millies quis cadat, millies resurgat, & pugnam innovet. Deo major est gloria, magnum reducere peccatorem, quam minorem. Si videatur sibi nihil proficere, non ideo nihil proficit. Horologii umbra crescit, & non advertimus dum creverit; segetes crescunt, & non videmus crescere: sic virtus crescit, etsi non notetur statim augmentum; notatur tamen post tempus. Si autem non pusillanimis, sed minus sollicitus sit de emendatione; terrendus est proponendo judicia Dei, mortem, pœnas, diaboli insidias & invidiam, abusum donorum Dei, & concessi temporis ad operandam salutem, &c.

182. *Quando ad Confessionem generalem adducendus?* Resp. V. Si consuetudinarius, solitus frequenter relabi in eadem peccata mortalia, post plures jam Confessiones advertatur esse vere pœnitens, & incipiat se emendare, inducendus est ad Confessionem generalem, ut supra memini; quia prudens est timor, ne Confessiones antecedentes plures fuerint invalidæ ob defectum doloris & propositi; alias tamdiu in pessima consuetudine non mansisset.

183. *Quomodo tractandus consuetudinarius in pluribus materiis.* Resp. VI. Si consuetudinarius sit in pluribus materiis, specialis cura impendatur primo, radici, vel illis, quæ magis scandalosa sunt, instituto prius super his examine particulari, donec unum post alterum expugnetur; nec umquam despondeat Confessarius animum, multo minus repellat pœnitentem tamquam incurabilem, sed pro eo oret: si conatus fructum habet, non

extol-

extollatur ; nec dejiciatur, si non habeat: Dei enim est opus conversio animarum. Quod si tamen post longum conatum videret nulla juvare media, potest consuetudinario molli suadere matrimonium, si ætas ferat: aut quandoque statum religiosum, in quo sit rigor & disciplina; rara conversatio cum altero sexu, alias probro facile erit Religioni. Status autem Ecclesiasticus tali vix expediet; quia in hoc isti vitio sunt fomenta sua, & occasiones majores ruinæ.

Resp. VII. Si se emendans luxuriosus patiatur nocturnas pollutiones, ut contingere solet talibus, monendus est non terreatur, modo consensum non præbeat; quia patitur ex naturæ assuetudine, non agit. Videantur dicta numer. 73. 184. *Quid si emendatus de nocte patiatur turpia?*

CAPUT V.

Quid præterea notandum circa consuetudinarium in blasphemando, jurando, imprecando mala?

RESP. I. Qui consuetudinem habet proferendi verba blasphema, tenetur sub peccato mortali serio conari eam tollere. Quod si faciat, & tamen labatur, potest excusari aliquando; eo quod verba illa ex impetu naturæ effusa non sint voluntaria in se, nec in causa; quia retractata proposito efficaci. Si vero non conatur, est in statu malo, teneturque consuetudinem seu negligentiam suam graviter malam confiteri; & nisi serio statuat eam consuetudinem tollere, neganda est illi absolutio. Non excusatur, qui puerum vel stultum, aut ebrium induceret ad blasphemandum; quia, licet verba blasphema non retineant malitiam objectivam respectu stulti proferentis illa, retinent tamen respectu inducentis ad illa, qui censetur illa proferre per alium, non secus, ac 185. *Quid si assuetus blasphemiis conetur emendare, vel contra?*

ac si quis per organum talia proferret; multo minus qui ore profert, excusatur.

186. *Examen assueti juramentis?* Resp. II. Si quis se accuset de juramentis, 1. Interrogandus est, quibus verbis sit usus, præsertim si rudis sit. Nam sæpe dicunt se jurasse, cum simpliciter aliquid gravius affirmarunt sine ulla intentione Deum vocandi in testem: ad juramentum autem requiritur, ut Deus vocetur in testem, quod indicant hæc verba: Testor Deum: invoco Deum testem: sub juramento confirmo: sub juramento meo tibi hoc faciam. *Quæ verba juramentum indicent?* Multi tamen postremis his verbis non intendunt jurare, sed tantum gravius affirmare. Hæc vero: Deus novit: testabitur suo tempore: coram Deo loquor: Deus novit omnia: Deus videt meam conscientiam, nisi aliud constet ex circumstantiis, censentur tantum narrative, non vero invocative proferri. Nec juramentum est, si quis dicat: Tam verum est, quam hic sedeo, quam sol lucet: expono caput meum: amputentur mihi aures, nisi ita sit: per fidem meam, per conscientiam meam: vere, certe in veritate, fide boni viri, boni Christiani: sim nequam & fur, si ita non est. Esset tamen juramentum, si quis diceret: Per fidem Catholicam, per Evangelium ita est; quia censetur horum auctor invocari testis. Si quis dicat: Tam verum est, quam Evangelium, quam vere Christus est in Venerabili, quam vere Deus est, non videtur juramentum; esset tamen blasphemia, si intenderet asserere æqualitatem veritatis vel credibilitatis; secus si intenderet tantum dicere, hoc esse suo modo verum, sicut alterum verum est suo modo. Si quis aliquid affirmet per creaturas, quibus Deus specialiter indicatur, juramentum censetur: ut si affirmet per cælum vel templum. An affirmare per animam sit juramentum, dubium esse ait *Tamb.* ex communi, tamen usu censetur juramentum; quia est clarissima Dei imago. Excusantur a mortali tamen rudes sæpe, sic falso juran-

rantes; quia licet sciant id vocari juramentum; tamen non intendunt Deum vocare in testem, nec apprehendunt, nisi aliquam rationem mali in confuso non tanti momenti. Si quis dicat verba, quæ non continent juramentum, & reipsa velit Deum vocare in testem, jurat juxta *La Croix l. 3. p. 1. num.* 158. Si autem nesciret quid sit jurare, ut sæpissime non sciunt rudes, non jurat, etsi intenderet verba proferre, ut faciunt alii: quia inefficaciter tantum voluit jurare, neque Deum vocat in testem, cum non sciverit se hoc facere. Unde rudes interrogandi quoque sunt, an intenderint Deum vocare in testem. 2. Qui consuetudinem jurandi habere notatur, examinandus est, an promiscue juret, non attendendo, an verum vel falsum sit? Si hanc consuetudinem habet, & in malo statu, teneturque eam consuetudinem sub mortali tollere; si autem consuetudinem habet jurandi non falso, non peccat quidem, per se loquendo, nisi venialiter, etsi consuetudinem non retractaverit; est tamen talis consuetudo serio emendanda, quia scandalosa, & periculo exponit falso etiam jurandi. Dixi: *Per se loquendo*; quia parens v. gr. posset ratione scandali peccare graviter, si liberi inde discant promiscue jurare; aut si quis juramento se obligaret ad faciendam rem graviter malam, aut dubitans de veritate juraret. Tria enim requiruntur ad juramentum licitum, nempe justa causa, res justa seu honesta, & veritas saltem prudenter æstimata: si primum tantum desit, per se est veniale tantum; si secundum, est veniale, vel mortale juxta communiorem, prout est res graviter, vel leviter tantum mala, quæ juramento affirmatur facienda; quia irreverentia videtur gravis (de qua tamen aliqui dubitant si res sit levis) se astringere interposita Dei auctoritate ad faciendam rem graviter malam; secus si simpliciter peccatum, v. g. furtum factum sub juramento assereret; si desit tertium,

Tria ad juramentum licitum requiruntur.

semper est peccatum mortale: quia est gravis irreverentia Deum vocare in testem rei falsæ: immo juxta *Castropalao* semper est blasphemia, quia pejerans facit Deum testem falsi, & quantum est de se, dicit: Deus confirmet hanc falsitatem; id quod Deo convenire non potest; contradicunt tamen alii. Putant probabiliter *Sanch. Castrop.* & alii sufficere ad licite jurandum, saltem extra judicium, quod quis probabiliter judicet, rem esse veram. *Suar. Dicast.* requirunt certitudinem moralem, ita ut non sit prudens ratio in oppositum; quia jurans plus dicit, quam se opinari. *V. la Croix lib. 3. p. 1. num. 267.* 3. Si habeat quis consuetudinem jurandi falso, & juramenta procedant ex consuetudine revera omnino inadvertenter, juramenta, si consuetudo tetractata non sit, erunt peccata in causa, non tamen in se formaliter; quia, ut ponitur, in se libera non sunt. Dixi 1. *Si procedant ex consuetudine*; si enim indeliberate procederent ex impetu, vel subita ira, nec in causa forent peccata, sed difficile erit discernere, an non procedant ex consuetudine; hinc tutius est confiteri saltem consuetudinem. Dixi 2. *Revera inadvertenter omnino*; quia ut notat *Decastil.* post *Scotum*, assueti juramentis aliisve peccatis, licet reflexe non advertant ad malum, exercite tamen & actu tenui, & quasi imperceptibili communiter, vel sæpe advertunt sufficienter ad malum, ut peccent & demereantur. Sicut assueti actibus dilectionis Dei prorumpunt in actus illos quasi imperceptibiliter, nec tamen omnino inadvertenter, sed cum cognitione sufficiente ad meritum. *La-Croix lib. 3. p. 1. num. 274. & l. 6. p. 2. num. 973.* Unde in absolutione talis cum pro portione servanda sunt, quæ circa alios consuetudinarios. Videri potest *La-Croix l. c. a num. 271. & a num. 968.* Item *lib. 6. num. 48.* Idem dic de assueto diris imprecationibus, quæ si fiant sine animo, ut

Assuetus perjuriis.

eveniat malum, non sunt quidem de se mortalia, nisi gravem simul contumeliam contineant, aut scandalo sint gravi; retinent tamen aliquam turpitudinem, fiuntque cum advertentia ad substantiam operationis malæ. Unde & tales consuetudinarii serio admonendi sunt, ut emendent, v. g. dicendo: Qua mensura mensus fueris, remetietur tibi; eveniet tibi infortunium, & nescies ex qua culpa, scias autem evenire ex tuis diris imprecationibus, &c.

QUÆSTIO VI.

Quid observandum, si pœnitens frequenter relabatur in eadem venialia, sitque iis assuetus?

187. *Relabens frequenter in eadem venialia quomodo tractandus?*

RESP. I. Si venialia fiant ex subreptione, negligentia, aut subito aliquo motu, ut non raro contingit, v. g. in mentis evagationibus tempore orationis, verbis otiosis, motibus impatientiæ; frequens relapsus in eadem venialia non tam arguit defectum doloris ac propositi, quam magnam naturæ humanæ fragilitatem & inconstantiam: unde absolvi potest talis pœnitens sæpius in talia relapsus, modo aliunde nihil desit, velitque magis conari emendari. Consultissimum tamen est, ut talis suaviter inducatur ut addat ex vita præterita, quod emendatum est & magis apprehendit, quodque sine confusione singulari potest repetere; id quod addo, ne sacramentum reddatur odiosum. Dein excitetur ad dolorem singularem de illo, aut saltem de uno particulari jam ab ultima Confessione admisso: sic enim consulitur reverentiæ sacramenti, & fructus ejus certius obtinetur. Utile quoque est recidivis in eadem venialia frequenter ut vesperi leviores pœnitentias assumant, ubi se adverterint de die in illud lapsos: hoc consilium si se-

si sequantur, insensibiliter se emendatos invenient.

Si plene deliberata, quid agendū. 2. Si venialia sunt plene deliberata peccata consuetudinis, cautius procedendum, præsertim si non addatur alia materia, de qua appareat verus dolor & propositum; quia prudenter timeri potest, ne desit dolor de illis venialibus. Unde sunt excitandi tales ad sincerum dolorem, proponendo illis illius motiva, quæ sunt sequentia: Primum, Omne veniale est pejus malum omni malo physico hujus mundi: quia mala reliqua contra creaturas sunt, quæ respectu Dei sunt quasi non sint, & velut nihilum & inane reputatæ sunt ei; peccatum autem veniale contra Deum est. Malitia illius ex eo elucet, quia Deus Judex justus, & supra condignum non puniens, in servis etiam suis gravissime id punivit: Moyses propter levem diffidentiæ culpam exclusus est a terra promissionis: levis Ozæ imprudentia morte repentina: levis vanitas Davidis in numerando populo peste & septuaginta millium hominum morte punita est. Anima, in gratia licet constituta, infecta uno veniali, ad conspectum Dei, nisi id deleatur, numquam admittetur: animæ Deo dilectæ in purgatorio, quas desiderat Deus protinus ad se admittere, exigente justitia retardantur a Cælo, & gravissime puniuntur, donec pœnam venialibus debitam exsolverint. Ex his collige, quantum malum sit peccatum veniale. 2. Mortale peccatum est malum, quo gravius cogitari non potest, ad hoc veniale disponit: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* *Os quod mentitur, occidit animam.* Unde venialia deliberata causa sæpe sunt æternæ damnationis: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Venialiter peccans non horret Deo displicere, vult potius dæmoni, quam Deo ista actione placere; est inobediens, ingratus, injurius contra Deum, illi furatur gloriam suam. Veniale est abusus divinæ omnipotentiæ & propriæ facultatis, crea-

Motiva doloris de venialibus.

tura-

turarumque, quas Deus in gloriam suam condidit. Unde veniale est malum Deo summo bono, omni cultu, honore, amore dignissimo; an ergo non est detestandum? Juvat hic quoque similitudinem adducere, v. g. si filius esset, qui nollet sic offendere patrem, ut mereatur hæreditate privari, paterna domo ejici, non curaret tamen multis levibus eum offendere, & esse molestus; an is non merito vituperandus esset, sique ingenuæ foret indolis erubesceret? Ecce sic tu te geris erga Deum, qui mali nihil, sed innumera bona tibi contulit. Usui etiam esse potest similitudo sponsæ erga sponsum, famuli erga dominum bonum & liberalem sic se habentes. Ubi videbitur his dispositus, absolvi potest vel debet, nec est paritas recidivi in venialia, cum recidivo ex consuetudine in mortalia: quia mortalia in homine majorem arguunt malitiam; non ita venialia, quæ facilius evitantur, crediturque Deus facilius dare amicis gratiam efficacem dolendi, quam inimicis, præsertim inveteratis, habetque ipsa in illis facilius locum, utpote Deo bene affectis. Hinc plus fundamenti est credendi esse dispositos.

QUÆSTIO VII.

Quæ sint remedia spiritualia constitutis in occasione proxima, & consuetudinariis in materia venerea.

RESP. Præter dicta n. 16. & n. 74. proderunt sequentia.

Primum. Frequens Confessio & Communio, ut jam dixi, cum sincero dolore & proposito. Oratio & contritio frequens cum petitione veniæ; sique sit in occasione proxima, quam amovere non potest, fuga conversationis solius cum sola, blandi aspectus, joci, colloquii familiaris. 188. *Remedia pro consuetudinariis.*

2. Sedulo expendere finem, ad quem creatus

tus est homo, quo obtento perdita erunt omnia, & restabit infelix æternitas: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

3. Expendere pretium animæ suæ tam Christo dilectæ. Est hæc thesaurus unicus hominis, pretiosior omnibus totius mundi bonis; quia spiritus immortalis, capax Deitatis, pretium Sanguinis Unigeniti Filii Dei. Habet homo unicam, & hanc tam parvipendat?

4. Concipere ingentem horrorem omnis peccati, ponderando ejus turpitudinem ex infinitis Dei in hominem beneficiis, gravitatem ex dignitate personæ offensæ & offendentis vilitate, aliisque circumstantiis. Quis offenditur? Deus infinitæ majestatis. Quis offendit? Vilis, ingratus, rebellis homo. Ubi? In conspectu Dei, justi Judicis, Benefactoris maximi & unici, in conspectu Patris amantissimi, &c. Quibus auxiliis? Donis & facultatibus a Deo concessis, & in hanc horam conservatis, ut salutem tuam, quam Deus unice intendit, iisdem opereris. Hæc tu in perniciem tuam, in Dei contemptum detorqueas? Cur offenditur? Ob vilem, turpem, bestiis communem voluptatem, ob nihilum. Huic tu Deum postponis, ob hoc perditum is animam tuam, quam habes unicam: pejor ipso diabolo, qui tentare te potest, nolentem in ruinam impellere non potest; sed quod ipse non potest, tu sponte facis. Quomodo offenditur? Summa temeritate, dementia intolerabili, quasi certum tibi foret, postmodum locum futurum pœnitentiæ, aut non sufficiant ad te cohibendum præmia quæ diligentibus se, aut pœnæ quas derelinquentibus se Deus præparavit. Quid si Deus diabolo, qui adstat paratus, permitteret, ut in flagranti te ad infernum abriperet? Quando Deus offenditur? Eo momento, quo te portat in manibus suis, quo te invitat ad se unicum bonum tuum, offert tibi gratias suas, ut sa-

lutem tuam operêris, quas tu in ejus inspectantis convertis contemptum. Vide quid agas? Tam diu te Deus toleravit, toties ignovit, venit finis, finis venit; & quia sprevisti miserantis clementiam, incides in manus vindicantis. Poterisne habitare cum ardoribus sempiternis igne, quem succendit furor ejus?

5. Meditari de æternis inferni pœnis, & ex iis colligere peccati gravitatem, de Passione Domini nostri expendendo, quis, cur, pro quo, quantoque amore sit passus? & inde inferre quid recta ratio a nobis exigat?

6. Moderate uti cibo & potu, sibi paulatim subtrahendo, donec deprehendatur quantitas, tantum ad vires officio suo pares necessaria: hoc enim dæmonium non ejicitur, nisi in jejunio & oratione, proinde medium illud prius adhibendum est.

7. Ambulare in conspectu Dei præsentis, frequentando preces jaculatorias, v. g. jam petendo veniam, concitando in se confusionem, quod toties offenderit benignissimam faciem Patris, confitendo se indignum conspectu Dei; indignum, qui assumat nomen Dei per os suum, &c. jam agendo Deo gratias pro tam diuturna patientia & tot beneficiis, jam adorando, jam committendo se ejus protectioni.

8. Sistere se in ingressu & egressu cubilis Crucifixo, & audire dicentem: Quid feci pro te? Et tu quid pro me? Quando erit finis turpitudinis tuæ?

9. Assuescere, ut omnia fiant ex sincera Dei dilectione, nempe quia dignus est omni cultu, honore, amore, obsequio.

10. Mane & vesperi confugere sub præsidium Beatissimæ Virginis, ei se magna cum humilitate & fiducia custodiendum offerre, per diem sæpe ad eam recurrere velut Matrem, &c.

15 Familiariter agere cum Angelo suo Cu-

stode, colere S. Josephum, S. Joannem Baptistam, & Evangelistam, S. Aloysium, aliosque Sanctos eximiæ castitatis.

12. Quoties pulsat tentatio, existimare signum sibi dari ut eliciat actum charitatis, statimque recurrere ad vulnera Christi, rogando ne frustra velit impensum pretium sui sanguinis; vel statim mentem applicare aliis, dolendo quod umquam Deum offenderit, vel humiliare se coram Deo, fatendo suam infirmitatem, dicendo: Domine salva me causa tua, honor tuus impugnatur, ne permittas me separari a te. Si caro infestet vehementer, expedit sibi dolorem imprimere, cedere loco, & aliis se occupare. Cavendus autem est nimius timor & reflexio ad tentationem; his enim augetur. Juvat dicere: Deus ego amo te, munire se signo Crucis, & serio mentem applicare aliis, seu bonis, seu indifferentibus, v. g. numerandis vitris in fenestra, legendo librum, colloquendo aliis, &c.

13. Vitare occasiones tentationum & lapsuum; qui enim amat periculum, peribit in illo: si autem tentationes sine nostra culpa eveniant, non sunt anxie timendæ, sed agendum sine perturbatione, ita tamen, ut tota spes & fiducia ponatur non in nostris conatibus, sed in Dei auxilio, a quo omne datum optimum descendit. Quod si naturaliter oriatur naturæ venereæ evacuatio, quæ impediri facile non possit, teneantur manus quietæ supra pectus, mens elevetur ad Deum, cum humili petitione, ne permittat labi in consensum, eliciatur dolor de peccatis, quibus sic puniri meruit, & animo sit pacato. Vide dicta num. 74.

CAPUT II.

De Confessario pœnitentis, qui longo tempore confessus est invalide, vel de eo anxius est, aut generalem Confessionem facere desiderat.

QUÆSTIO I.

Quomodo agendum cum eo, qui sacrilege diu confessus est?

RESP. I. Si confessus est invalide, aut de 189.
eo timet ob peccatum aliquod omissum, 1. Moneatur ut confiteatur commissa ab ultima Confessione, & tunc addat peccatum omissum. 2. Interrogetur, an, dum tacuit, sciverit, vel putaverit, vel certe dubitaverit, an sit mortale? Si neget, petatur an postea aliquo tempore illud tacuerit, putans esse, aut dubitans, an sit mortale? Si hactenus nec scivit, nec dubitavit, non est opus aliquid repetere; si autem aliquo tempore scivit, aut dubitavit, ab hoc repetendæ sunt Confessiones; quia hæ sunt invalidæ; præcedentes autem dubium, aut ignorantiam invincibilem non ideo fuerunt invalidæ. 3. Si scivit tantum in genere esse malum, non distinguendo grave an leve sit, non celaturus si scivisset esse grave, probabile est non esse opus repetere Confessiones, quia probabiliter tantum peccavit venialiter, nisi tamen ipse putasset, vel dubitasset esse obligationem gravem confitendi, de quo & interrogandus est; nihilominus tutius est repetere Confessiones, quia forte exercite apprehendit malitiam gravem. 4. Si sciens vel dubitans esse mortale, tacuit, petatur quoties memor illius peccati confessus sit & communicarit, vel solitus sit intra annum confiteri & communicare, an singulis mensibus, &c. Illæ enim Confessiones omnes repetendæ sunt, non tamen illæ, quas immemor illius bona fide-

Diu confessus invalide quomodo tractandus?

de fecit, si aliunde nihil defuerit. Contingere tamen potest, ut nesciat quæ peccata commiserit tempore illo, quo bona, & quo mala fide processit; adeoque a quibus absolutus, aut absolutus non sit; quo casu inducendus esset, ut generalem a tempore peccati omissi Confessionem faciat. Porro si reticuit ex verecundia, aut gravi remorsu conscientiæ, censendus est satis advertisse esse grave illud omittere. 5. Si semper fuit memor illius peccati, ideoque semper sacrilege sit confessus, petendum quoties in illo statu per annum solitus sit confiteri & communicare. Et tunc, si semper eidem Confessario sit confessus, qui & adhuc memor sit mortalium peccatorum, & status pœnitentis, sufficit, si dicat: Accuso me de peccatis omnibus, v. g. ab hoc triennio commissis, ex quo per annum v. g. vigesies solitus sum confiteri & communicare. At si Confessarius non sit amplius memor mortalium, saltem in confuso, ut statum sciat pœnitentis, vel semper alteri est confessus, tenetur omnia repetere, quoad numerum, & quoad speciem, simulque addere quoties sacrilege confessus sit & communicaverit. Si aliquoties confessus sit alteri, hæc omnia repetenda sunt in numero & specie, non tamen quorum adhuc memor est præsens Confessarius. 6. Confessarius deprehendat confessum multis annis sacrilege non præparatum ad Confessionem generalem, jubeat eum confiteri quæ occurrunt memoriæ, examinet illum de magis obviis, ut sic aperto ulcere, & deposita parte verecundiæ facilius redeat; deinde moneat, ut circa reliqua magis se examinet; nam tam subito omnium recordari non potest: demum dicat, ut redeat designato tempore pro complenda Confessione, addendo, modo non absolvi eum pro majori sua deinceps quiete, sicque bene animatum impertita benedictione dimittat. Quod si non posset redire, nec putaretur alteri facile confessurus, adjuvandus esset examinando illum per præce-

pta Decalogi, Ecclesiæ, peccata capitalia, monendusque si forte deinceps peccata occurrerint commissa a tempore primæ sacrilegæ Confessionis, confitenda esse; demum ei injungatur pro pœnitentia, ut proxima occasione, prævio diligenti examine, confiteatur, si quid occurrerit quod omissum & confitendum sit. 7. Pro examine talis pœnitentis notandum, quod numerus peccatorum internorum melius conjiciatur ex consuetudine & tempore, quo in illis hæsit, ea iterando in septimana vel mense toties, vel toties, quam ex relatione pœnitentis. In peccatis autem externis expedit primo proponere magnum numerum; quem si affirmet, is augeatur paulatim, quærendo an non forte sæpius tot vicibus? Si neget illum magnum numerum, proponatur paulo minor, donec aliquando tandem aliquid affirmet, addendo semper circiter. Denique Confessarius magis laboret de vero dolore & proposito ab ejusmodi hominibus extorquendo, quia in eo periculosior & frequentior est defectus.

Resp. II. Si pœnitens nihil quidem voluntarie omisit, attamen timet ne invalide sit confessus, indaganda est causa illius timoris, & constitutio pœnitentis: ac 1. quidem si timet ideo, quia longo tempore hæsit in consuetudine peccandi graviter, timetque defuisse dolorem sæpe & propositum, utiliter faciet Confessionem generalem, saltem incipiendo ab illo tempore, a quo merito timet. 2. Si sit scrupulosus, & inaniter timet, ordinarie permittendum non est, ut Confessionem generalem faciat; præsertim si bene vixit, aut malæ vitæ semel Confessionem generalem fecit. 3. Etsi scrupulosus non sit, si tamen moraliter non est certum, quod antehac invalide sit confessus, aut peccata non explicaverit debite, obligandus non est ad Confessionem repetendam; quia possessio est pro Confessione, cujus valor cum adesse debuerit, præsumendus est, nec delictum præsumitur. Unde quamdiu probabile est, quod ante-

190. *Quid si timeat, ne sit invalide confessus?*

antehac confessus sit valide, non tenetur Confessiones repetere; est autem probabile hoc ipso, quod aliquando vitam præteritam cum morali diligentia recogitaverit, & confessus sit. *La-Croix lib. 6. p. 2. num. 1221. & n. 1883.* 4. Si antehac fuit semper timoratæ conscientiæ, solitusque se bene præparare, nec voluntarie aliquid omisit, prudenter præsumitur semper bene confessus; quia ex communiter contingentibus prudens est præsumptio. At si antehac non fuit timoratæ conscientiæ, sed consuevit negligenter se præparare, præsumptio est contra ipsum, adeoque tenetur iterare Confessiones, de quarum valore dubitat. Quamquam non expedit semper, quando quis advertitur male confessus, statim eum monere de Confessione generali facienda, præsertim si pœnitens sit plane rudis, aut anxius, aut pudibundus; quia hoc quosdam nimis perturbat, putantes impossibile esse omnium recordari; itaque hoc casu Confessarius dicat pœnitenti: Numquid libenter pro quiete tua vis omnia peccata totius vitæ confiteri, quæ modo potes? Si annuat, percurrat præcepta, peccata capitalia, occasiones, & occupationes pœnitentis, & sic eliciat ipso quasi non advertente Confessionem generalem; deinde interroget: An adhuc quid sit, quod conscientiam gravet? Demum intelligat numerum Communionum & Confessionum, quæ forte sacrilegæ fuerunt. Per has quidem non satisfecit annuæ Confessionis & Communionis præcepto; at pauci ad hoc reflectunt.

QUÆSTIO II.

Quomodo agendum cum eo, qui vult generalem Confessionem facere?

191. *Cupiens generali-* RESP. Cum eo qui non tenetur, vult tamen generalem Confessionem instituere, sic procedi potest. 1. Etsi, per se loquendo, non

non teneatur peccata ab ultima Confessione commissa distinguere ab aliis jam confessis; quia omnia vult subjicere æqualiter, & confusio substantiam actus non mutat; sæpe tamen melius est ea distinguere: tum quia circa numquam confessa communiter magis est pœnitens examinandus; tum quia sic melius intelligitur status præsens pœnitentis, & quæ media necessario sint contra relapsum, si forte ab ultima Confessione frequenter lapsus sit in idem peccatum. 2. Non sit Confessarius importunus in exquirenda specie & numero, nisi pœnitens velit; quia cum semel, ut suppono, sit bene confessus, necesse non est novam molestiam facere, nisi videretur id expedire ad majorem pœnitentis quietem. 3. Si semel fecit Confessionem generalem exactam de juventute, incipiat ab ultima generali, omittendo antecedentia; nisi quid esset, quod magis gravaret, & vellet ad solatium addere. 4. Qui in peccatis luxuriæ vixerunt, iis una tantum vice permittenda est Confessio generalis, ne sordes sæpius movendo, phantasiam rerum turpium speciebus magis impleant, & se iterum inquinent; una accurate facta permittatur tantum, deincepsque de anno in annum generaliter confiteri, aut in genere tantum se accusare de illis. Nec expedit talibus suadere Confessionem generalem, nisi postquam impetus illius vitii est repressus; nisi tamen aliunde esset obligatio. 5. Peracta Confessione generali, prævio diligenti examine, non tenetur amplius recogitare præterita; sed, ubi certus non est se aliquid omisisse, præsumere potest se statum suum satis exposuisse: alias enim cum omnium, quæ fecimus, recordari non possimus, numquam esset confitendi finis, dum hoc anno hoc peccatum, alio alia recurrant, quæ quomodo confessi simus, non meminimus. Permitti tamen expedit, ut ter vel quater postmodum incidentia confiteatur, de quibus dubitat an sit confessus, maxime si non fuerit timoratæ conscientiæ:

ter confiteri quomodo dirigendus?

sic

sic enim magis purgabitur anima, & quieti consulitur. Demum moneatur, ut sollicitudo illius in eo sit, ut Deo sincere serviat, & injurias compenset.

CAPUT III.

De Confessario fatui, surdastri, muti, vel ignotæ linguæ.

QUÆSTIO I.

Quomodo agendum cum fatuo, surdo, & muto?

192. *Quando fatuus absolvi possit?* RESP. Cum plene fatuus capax non sit actuum supernaturalium, etiam capax non est absolutionis. Semifatuus autem, cum capax sit peccati & actuum supernaturalium, absolvi potest, & quidem juxta *Gobat*, singulis mensibus, si hic & nunc judicetur habere saltem imperfecte actus ad pœnitentiam necessarios. Si dubium sit an plene, vel semifatuus sit, disponi debet quoad potest, saltem in articulo mortis, & absolvi sub conditione. Ut non censeatur plene fatuus, debet distinguere posse inter bonum & malum morale, cujus signum sufficiens non est, quod revereatur Clerum, aliqua mandata rite exequatur, genuflectat, pectus tundat: quia hæc facere potest destitutus usu rationis, eo quod videat ista ab aliis fieri. Alia proinde signa esse debent, qualia indicavi supra de pueris num. 100. Stante tamen dubio absolvi potest in Paschate, ne anima, si forte in mortali esset, periclitetur. Quod si aliquis esset delirus in uno, & prudens in aliis, capax est absolutionis; quia defectus in uno provenire potest ex impressione forti secundum dicta num. 100.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quomodo cum surdastro?

RESp. I. Surdaster Confessario ignotus, qui instrui non potest, vel examinari, quin circumstantes audiant, ducendus ad locum separatum, neque præsumi semper potest, quod putat *Gobat*, tales esse contentos, & ex hoc ipso, quod in tali loco velint confiteri, facere potestatem Confessario loquendi ea, quæ ad absolutionem spectant, licet ab aliis audiantur: multi enim putant se sic confiteri, ut opus non sit interrogatione. Si Confessario autem nota esset innocens vita surdastri, posset absolvi injuncta pœnitentia, ostendendo rosarium, vel digitos; prout inter ipsos convenerit; ita tamen, ut alii non advertant gravem, si forte detur, pœnitentiam. 193. *Quomodo juvandus surdaster?*

Resp. II. Mutus, qui non est surdus, juvandus est per interrogationes, quibus per signa respondere potest. Si, postquam didicit scitu & creditu necessaria, talis factus est, absolvi non potest, nisi scripto vel signo se accuset, & dolere se ostendat. In articulo mortis præsumitur facilius dedisse signum. Mutus, qui scribere potest, monendus est, juxta communem, ut per scripturam confiteatur, nisi per signa satis possit. Quod si scribere nesciat, possit autem per signa indicare numerum & speciem, ad hoc tenetur; sique periculum sit, ne unus Confessarius ea non recte intelligat, debet accedere alium, si quis sit qui ea præ reliquis intelligat; si non potest, juvandus est quoad fieri potest, & absolvendus, si plus haberi non possit, licet tantum in genere se peccatorem fateretur. Quod si sciret legere, possent ei quæstiones in scripto proponi, & pœnitentia eodem modo præscribi. 194. *Quomodo mutus, non surdus?*

Resp. III. Si surdus simul & mutus ad

195. *Quomodo surdus & mutus?* Confessionem adducatur, inquiratur prius à ductore, qualia doloris, accusationis, & peccatorum signa soleat dare; postea in locum separatum deductus ex signis examinandus est: intellecto uno alterove peccato, dum plus obtineri non potest, cum signo doloris absolvi potest; quia in tali casu integritas materialis Confessionis non requiritur. Caveat autem Confessarius, ne si unum alterumve signum non satis intellexerit, postea alios interroget, quid illo signo indicare velit, quia facile aget contra sigillum; cum sic alii intelligant quæ peccata voluerit significare Confessario. Putant quidem aliqui, surdum & mutum a nativitate incapacem esse absolutionis, eo quod nequeat habere actus supernaturales fidei & spei; at, cum capax sit peccati, agnitionis Dei, & vitæ æternæ, quæ per signa & lumen naturæ discit, credendum videtur quod Deus, qui omnes vult salvos fieri, suppleat suis inspirationibus, detque fidem saltem virtualem, atque ad actum spei excitet. Hinc *Gobat* tenet, surdum & mutum posse etiam sæpius absolvi extra articulum mortis. Putat *P. La-Croix*, surdum & mutum, & cæcum a nativitate habendum instar perpetuo amentis, & solius Baptismi esse capacem; quia non apparet, quomodo signum dare possit in ordine ad absolutionem obtinendam. Si autem factus sit talis post usum rationis, interrogandus esset, & etiam absolvendus, si det signum doloris, aut saltem Christiane vixerit; possét talis disponi per signa, si ante sit confessus, sæpius & Eucharistiam perceperit, v. g. manu ipsius signum crucis in pectore formando, pectus tundendo, manus conjungendo, adjungendo stolæ, vel superpelliceo, faciendo circulum in ejus ore, vel lingua, ut Sacerdotem adesse agnoscat, & moneatur de Eucharistia percipienda. Hæc si nihil prosint, inungendus est, inquit *Lohner*; sed non video, cur absolvi non possit sub conditione, si Christiane vixerit, putatque *La-*

Croix; etiam posse dari Eucharistiam pro viatico. *V. l. 6. p. 2, n.* 1875.

QUÆSTIO III.

Quomodo cum pœnitente ignotæ linguæ?

RESp. Si Confessarius sciat linguam principalem pœnitentis, v. g. Germanicam, vel Gallicam, etsi nesciat certos modos loquendi pœnitentis, v. g. Flandricum, vel Leodiensem, vel Vallonicum, putat *Gobat*, quod licite possit se exponere excipiendis Confessionibus talium; verum extra casum necessitatis, nisi per circumlocutionem & explicationem intelligere possit materiam Confessionis necessariam, videtur teneri prius discere modos illos loquendi: alias sine justa causa negligitur integritas materialis Confessionis. Si autem ob imperitiam linguæ Confessarius nequeat percipere omnia mortalia, mittendus est pœnitens, si commode fieri possit, ad alium linguæ peritum; si vero sine gravi incommodo remitti non possit, & saltem certum unum peccatum indicaverit, absolvi potest in tempore, quo præceptum urget, vel necessitas, qualis etiam est status peccati mortalis hominis itinerantis, qui brevi tempore Confessarium habere non possit; quia tunc sufficit integritas formalis. Tenetur tamen pœnitens mortalia non intellecta, data occasione, alteri confiteri. Hinc etiam potest tacere peccata, quæ certo novit non intelligenda. Quod si habeat sola venialia, potest adire Confessarium minus peritum linguæ, neglecto altero, teste *Gobat*, qui putat etiam blæsum, cujus omnia gravia peccata intelligi non possunt, audiri & absolvi posse tempore Jubilæi, cum onere se sistendi alteri pro ceteris peccatis, a quo intelligi potest. Denique si Confessarius plane non intelligat linguam pœnitentis, potest hic absolvi in necessitate, si se accu-

196. Vel linguæ ignotæ?

set

ſet per ſigna in genere. Quod ſi ſe velit accuſare per interpretem, ad quod tamen ſaltem extra periculum mortis non tenetur, ut habet communis apud *La-Croix l. 6. p. 2. num.* 1190. poſſet hoc ita practicari, ut interpres interroget pœnitentem; & hic ſtantis poſt ſe Confeſſarii manus digito premat dum reus eſt, & repetito attactu etiam exprimat numerum.

CAPUT IV.

De Confeſſario Hæretici convertendi, vel converſi.

QUÆSTIO I.

Quomodo agendum cum Hæretico volente ad Eccleſiam admitti, vel admiſſo?

197. *Hæreticus Catholicam amplecti fidem cupiens benigne, ſed caute excipiendus.* RESp. I. Si quis Catholicam fidem amplecti & inſtrui deſideret, primo excipiendus cum magna charitate & benevolentiæ ſignificatione, & amice interrogandus quomodo hæc ei gratia obtigerit, qua de cauſa religionem ſuam velit deſerere, & Catholicam amplecti? Quamcumque afferat, cautela opus eſt, quia dantur homines fraudulenti, qui ſub velamine pietatis quæruntur non ſalutem animæ & veritatem, ſed ſuſtentationem aliaque temporalia; hiſque obtentis poſtea male vivunt, & ad vomitum revertuntur, ut docent exempla tam in Judæis, quam Hæreticis. Proinde primo excitandus ut quærat regnum Dei, reliqua ab ipſo cum fiducia exſpectet, qui quærentes & diligentes ſe non deſerit, non tamen ei auxilium in temporalibus ſtatim promittendum.

198. *Hæreticus an formalis, an materia-* 2. Si his peractis inſiſtat propoſito, indagandum, an ſit hæreticus materialis tantum, an formalis & pertinax. Formalis erit, ſi ſcienter voluntarie adhæſit errori alicui contra veritatem fidei Catholicæ, poſtquam hanc ſufficienter ſibi pro-

propositam agnovit, sustineri a reliqua Ecclesia universali tanquam revelatam. Est autem veritas Catholica, quæ vel in sacris litteris aperte continetur, aut inde evidenter deducitur, vel habetur ex traditionibus Apostolicis, vel ex Conciliis generalibus, aut a Summo Pontifice ut loquente ex Cathedra, definita ac declarata est pro articulo fidei: hæreticus vero tantum materialis dignoscetur, si adhæsit tali errori ex simplicitate, ignorantia, sinistra informatione, paratus interim vel actu, vel habitu errorem deponere, si agnosceret veritatem. Tales dantur teste *P. Pichler l. 2. Decret.* in Germania; nec solum illi qui procul a Catholicis degunt, sed etiam qui his immixti vivunt, tam plebeii, quam quidam etiam honestioris conditionis; quia ab annis teneris a præconibus suis pessime instruuntur, & innumeris mendaciis contra fidem Catholicam imbuuntur. Neque ubi aliquod dubium oritur ex iis, quæ apud Catholicos vident contra religionem suam, statim existimant se obligari ad magis inquirendum; sed pro tentatione in fide habent, vel arbitrantur differentiam non esse substantialem; proinde & se in sua religione posse salvari. In hac persuasione quamdiu inculpabiliter manent, hæretici tantum sunt materiales. Immo quamdiu existimant, ejusmodi occurrentia dubia esse tentationes, non possunt mutare Religionem: quia ad hoc requiritur dubium prudens, quale si oboriatur, tenentur inquirere, lumenque implorare divinum, paratique esse ad statim amplectendam veritatem, eamque reipsa amplectendi ubi satis agnoverint: alias fiunt hæretici formales, quia adhærent errori cum pertinacia, si sic constituti essent, ut agnitam veritatem nollent amplecti. Si tamen sine hac quis pertinacia negligeret inquirere veritatem, peccaret is quidem contra fidem; non esset tamen in hæresi formali, quæ casus sit reservatus.

tis tantum?

199. *Vera Re-*

3. Cum fides debeat esse assensus prudens

ligio certis notis, ex quibus discernatur a falsa, insignita esse debet. & super omnia firmus, docendus est non posse esse veram Religionem, nisi unicam; cum Religio seu fides vera debeat esse a Deo; Hic autem ipsa veritas non possit loqui opposita, quæ vera simul esse non possunt. Deinde ostendendum veræ Ecclesiæ certas debere esse notas; quibus dignosci & discerni possit a non vera: quia cum Deus hominem obliget ad veram fidem amplectendam, seque aggregandum veræ Ecclesiæ fidelium; tot autem sint in mundo Religiones, quas excitandas utique novit Christus, necesse fuit ad providam sapientemque Ecclesiæ fundationem notas aliquas esse, ex quibus vera a falsis dignosceretur. Notas autem veræ Ecclesiæ Christi esse, quod sit Una, Sancta, Catholica & Apostolica. Una debet esse unitate doctrinæ; quia doctrinæ fidei oppositæ a Deo esse non possunt. Una unitate Capitis; quia cum Scriptura in diverso sensu a diversis accipiatur, necesse fuit ut esset Caput unum Ecclesiæ, a quo dubia definirentur; alias nemo veritatem invenire posset, cum varii varie sentiant, & reputentur prudentes. Sancta autem iterum sanctitate doctrinæ; quia doctrina fidei a Deo est, & ad veram sanctitatem debet hominem ducere, ut Deo fini suo conjungatur. Sancta sanctitate causali Sacramentorum, quibus homines sanctificantur, & in unum cœtum fidelium velut signis stabilibus adunantur. Sancta sanctitate membrorum, hominum qui sanctam sequuntur doctrinam. Catholica, id est, universalis; quia prædixit Deus fidem a Christo fundatam per universum mundum esse propagandam, & non defecturam. Apostolica, quia debet fides esse eadem, quæ ab Apostolis est tradita; alias Christi fides non perseverasset. Demum ostendendum, has notas soli Ecclesiæ Catholicæ convenire, eamque esse in rebus fidei & morum infallibilem, adeoque credendum quod illa credendum proponit. Quibus addi potest Sanctitas Patrum, qui fidem Catholicam sapientissime de-

fen-

fenderunt semper, & secuti sunt: constantia Martyrum, qui sanguine suo illam confirmarunt: miracula tot in ejus confirmationem facta. Quid econtra Calvinus, Lutherus, aliique hæretici? Atque hæc optima quoque methodus est hæreticum convincendi, præsertim si sine altercatione modeste per discursum ista proponantur, & ipsi relinquantur consideranda, imploratο lumine divino, conceptaque contritione de peccatis cum proposito sincero Deo serviendi.

4. His permissis, docendus scitu & creditu necessaria, si nesciat; ostendendumque in quibus Catholici cum hæreticis conveniant, v. gr. quod Deus sit Unus in Natura, & Trinus in Personis, Remunerator bonorum, & Vindex criminum, &c. Deinde adducendi articuli, in quibus Catholici ab hæreticis discrepant, ut de bonis operibus, de numero Sacramentorum, de Purgatorio, cultu Sanctorum, Communione sub utraque specie, & quidquid ipsius erroribus magis contrarium est; & inter cetera, quod Romanus Pontifex sit Vicarius Christi Caputque Ecclesiæ; quia cum Christus ipse visibilis nobis amplius non adsit, ut haberemus, ad quem recurreremus, a quo gubernaremur, necesse erat statui Vicarium Capitis invisibilis. 200. *Docendus scitu necessaria.*

5. Ubi satis instructus erit in rebus fidei, parandus est ad Confessionem & ad Communionem rite suscipiendam, explicando Sacramenti Pœnitentiæ partes, fructum illius, & Communionis; & ne Confessionem apprehendat ut nimis difficilem, exponatur illi obligatio sigilli sacramentalis, moneaturque ut percurrat præcepta Decalogi, occasiones & negotia sua, & quæ occurrerint, adhibita morali diligentia, confiteri non erubescat; peccata nostra nota esse Deo, confusionem illam, quam Deus voluit nos subire ea confitendo uni homini, esse partem pœnitentiæ & satisfactionis; nec mirum esse si forte in multis deliquerit, cum caruerit Sacramento Pœnitentiæ & Eucharistiæ, aliisque au- 201. *Præparandus ad Confessionem & professionem fidei.*

xiliis, quæ fidelibus communicari solent. Deinde detur illi formula Professionis fidei proprio idiomate, si sciat legere, & explicetur. Hæc duplex est: una brevior, quæ emittitur ab iis qui convertuntur secreto coram testibus ante Confessionem; altera longior, quæ emittitur ab iis qui publice convertuntur; fitque ante Communionem, ubi minister dixerit *Confiteor*, &c. Sacerdote ad latus Evangelii flectente. Hac emissa datur Communio. Ubi observandum, non esse admittendos ad professionem fidei publicam, nisi prius bene explorata sit illorum constantia, ne Professio cedat in ignominiam Religionis Catholicæ, si non perseverent in suscepta fide. Poterit quoque aliquando professio scripta & subscripta a converso exigi. Sic enim tanto firmius ratum habebit. Poterit etiam illi factæ professionis testimonium pro majori solatio dari. Formulæ professionis habentur apud *La-Croix l. 6. p. 2. sub n. 1862.*

Quid deinde agendum? 6. Ne decipiatur Confessarius vel postea traducatur, per varias quæstiones diverso tempore factas experiatur dictorum cohærentiam: non magnopere aliis, nisi bene exploratos, commendet: nec libros magni pretii, vel aliud quid commodet: non se iis familiarem præbeat: nihil in privata conversatione dicat aut agat, quod dictum aut factum nollet, si ad hæresim forte redeant. Videri potest *Lobner instr. pract. 5. de Confess. pratic. personarum, & de instructione Apostolica c. 2. §. 2.*

202. *Quomodo in ipsa Confessione agendum cum eo?* Resp. II. Ubi jam rite præparatus est ad Confessionem, Primo, Benigne excipiatur: eximatur illi, quoad fieri potest, omnis horror: dicatur, omnia peccata ipsius esse delenda, futurum illum jam hæredem Cæli, & filium Dei.

2. Examen rigidum ne instituatur, sed ubi exposuerit quæ ipsi post examen conscientiæ occurrerunt, circa præcepta Decalogi, fidei, spei, & charitatis examinetur, prout in Domino videbitur pro circumstantiis. Deinde interrogetur

quot

quot annis vixerit in sua religione compos rationis, & habens dubium de ejus veritate? Quoties in hoc statu solitus sit quotannis adire cœnam suæ sectæ; & sic facile intelligetur quoties circiter violaverit præcepta Ecclesiæ de prohibito esu carnium, &c.

3. Interrogari potest, prout circumstantiæ indicabunt, an non sit reus specialis contemptus Papæ vel Ecclesiæ? An non dixerit blasphemias vel calumnias contra Ecclesiasticos; vel dederit scandalum in rebus fidei, alios perverterit, detinuerit in hæresi? Si dubium habuit prudens de sua religione, an & quamdiu contempserit, vel neglexerit inquirere. Si circa hæc gravia afferat peccata, non terreatur, sed erigatur in spem, dicendo id mirum non esse, cum caruerit Sacramentis, & minus agnoverit.

4. Si advertatur tantum fuisse hæreticus materialis, a quovis equidem absolvi potest; expedit tamen, si aliud timeri possit, habere facultatem specialem. Si autem deprehendatur fuisse hæreticus formalis, non sciverit tamen hæresi formali annexam esse excommunicationem, hæc non erit casus reservatus Pontifici; quia ipsi reservatur propter excommunicationem, quæ ab ignorante eam non incurritur. At quia & Episcopi hæresim formalem sibi non propter excommunicationem, sed propter se reservant, attendendum an non opus sit petere specialem facultatem, uti erit, si Confessarius eam non habeat.

5. Absoluta Confessione pœnitentiam injungat, non gravem tamen ab initio, sed ad proximas indulgentias invitet; demum absolvat ab hæresi & censura. Alii dicunt adhibendam esse hanc formam: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quam per hæresim contraxisti, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ & Communioni fidelium*; sed hæc forma præscripta est pro foro externo, in interno sufficit forma communis. An pro admissione hæretici ad Ecclesiam recurren-

dùm sit ad Episcopum, attendenda est praxis Diœcesis. Quod si occurrat conversio tentati contra fidem, dicat illico: Credo Domine; sufficit mihi verbum tuum: Minor ego sum, quam ut capiam mysteria divina, qui naturalia non intelligo. Non crederem ego, quod tot sanctissimi & illuminatissimi crediderunt, quod Ecclesia, quæ, teste Apostolo, ut columna & firmamentum veritatis, credendum proponit & credit?

Petes. Quid agendum Sacerdoti si intelligat, hæreticum esse ad extrema deductum?

203. *Quomodo cum eo, qui jam est ad extrema deductus?* Resp. Ubi poterit, prudenter aget si eum accedat, & dissimulata sua persona, etsi putaretur prædicans, cum eo eliciat, Primo, in genere actum fidei circa omnia a Deo revelata, in specie circa necessaria necessitate medii credenda; tum actum spei, contritionis, resignationis, &c. Dein loquatur illi tantum de illis, quæ hæreticis cum Catholicis communia sunt: tum quærat, an, si sciret se non credere aliquid quod Deus revelavit, velle credere, & de facto credat? An non vellet recedere a sua religione, si sciret ipsam non esse illam, quam Christus & Apostoli docuerunt? An non velit facere omnia ad salutem necessaria, & confiteri etiam & absolvi, si sciret hoc Christum requisivisse, tamquam necessarium ad salutem? Si annuit, repetat, ut prius, actus fidei, spei, contritionis perfectæ propositique, & voluntatis præstandi modo omnia, quæ Christus ad salutem requisivit: demum jubeatur elevare manum, aut aliud signum dare in contestationem, quod velit implere omnem Dei voluntatem. Hæc si præstet, poterit absolvi sub conditione, forma clam sine alio signo pronuntiata. Quod si diceret: Non possum me resolvere; an velim mori Catholicus an Lutheranus, non posset absolvi. Si subjungeret, Deus propitius est mihi peccatori, putat *Gobat*, posse absolvi; quia præsumitur ma-

materialis ex verbis prioribus. Quod si quis absolvi non possit, utiliter tamen eliciuntur prædicti actus. Ceterum hæretici, etsi materiales tantum, moribundi passim non absolvuntur, si signum pœnitentiæ non potentur dare; sicut Catholici sensibus destituti; quia Catholici censentur dare signa in ordine ad absolutionem, etsi non distinguantur, & Catholice vivendo petiisse mori Christiane, adeoque absolvi. Non sic hæretici, cum censeant pœnitentiam non esse necessarium Sacramentum remissivum peccatorum: & sic etiam non baptizantur moribundi Judæi, quia adulti ante Baptismum debent esse saltem attriti, & credere in Christum, & intentionem habere suscipiendi Baptismum.

QUÆSTIO II.

Quomodo agendum cum Hæretico, qui invitat ad disputandum?

204. *Cum hæretico ad disputandum invitante non descendendum statim ad particularia.*

RESp. I. Acturus cum hæreticis de materia fidei, ubi disputatio publica instituta non est, non descendat statim ad misteria particularia expendenda, an vera, an credibilia sint: sic enim sine fructu aget, & locus variis evagationibus dabitur; sed ostendat, Primo, veram fidem necessariam esse ad salutem. 2. Non nisi unam esse veram Religionem & Christi Ecclesiam, quia contradictoria nequeunt esse a Deo revelata. 3. Illam Ecclesiam debere posse inveniri, adeoque habere certas notas, ex quibus dignosci possit; quia tenemur ejus doctrinam amplecti & sequi. 4. Notas veræ Ecclesiæ Christi esse, quod sit Una, Sancta, Catholica, Apostolica, hasque soli Ecclesiæ Catholicæ convenire ex n. 199. 5. In vera Christi Ecclesia debere esse Judicem infallibilem controversiarum in rebus fidei & morum; alias Christus Ecclesiæ suæ non satis providisset; facile defi-

Sed demonstranda vera Ecclesia.

deficeret ab unitate & sanctitate doctrinæ; & post ortas tot hæreses & opiniones de iis diversas, nesciremus quid tenendum, quid rejiciendum esset: non intelligeremus verum in multis scripturæ sensum: non possemus discernere, quinam libri Scripturæ sint a Spiritu sancto dictati, & qui non: Gentilis aut merito dubitans de sua religione invenire veram Religionem non posset. Judicem autem talem non apud hæreticos esse fatentur ipsi; eum autem Catholici habent, nempe Vicarium Christi, S. Petri successorem. His præmissis, si velit descendere quis ad particulares fidei articulos, dicendum, intelligendos esse juxta sensum veræ Ecclesiæ Christi, cui Judex infallibilis controversiis decidendis præpositus a Christo. Hæc autem tractanda sunt cum mansuetudine, comitate, sine contemptus signo, ne acerbentur animo, & suscitetur pertinacia. Atque hoc modo agendum cum convertendis, qui & excitandi sunt, ut a Deo petant lumen; offerant se paratos ad obsequendum ejus voluntati; frequenter eliciant dolorem de peccatis; caveant ab iis, ne obicem ponant Spiritui sancto.

205. *Quid si dicat, scripturam esse claram?*

Resp. II. Si forte quis dicat, 1. Scripturam esse claram. 2. Nihil credendum necessario, quod in ea non habetur, vel ex ea per evidentem consequentiam non deducitur. 3. Quod nihil in ritus Ecclesiæ moresque hominum sit inducendum, quod non exprese mandatur in Scriptura. Respondendum, aliud sentire Ecclesiam, veræ Ecclesiæ notis insignitam, cui credendum. Dein responderi potest ad primum: Cur ergo Propheta David Psalmo 118. ait: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua?* Unde ergo tot hactenus fuere controversiæ inter Christianos? Unde quod Calviniani cum Lutheranis inter se non conveniant in rebus fidei? Unde quod Apostoli propositas a Christo Parabolas Matthæi 13. non intellexerint? Unde quod S. Petrus dicat, Paulum scripsisse ali-

aliqua ad Romanos difficilia intellectu? Deinde proponi possunt illi exponendi textus. 1. Quomodo Jacob sine mendacio dicere potuit Gen. 27. v. 19. *Ego sum primogenitus tuus Esau*. 2. Quomodo intelligitur 1. Reg. cap. 13. vers. 1. *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset: duobus autem annis regnavit super Israel*, cum Saul, dum eligebatur, humero eminuerit super omnem populum, & xx. annis regnaverit? 1. Reg. cap. 9. vers. 2. 3. Quomodo intelligitur illud Eccles. 3. vers. 19. *Unus interitus hominum & jumentorum, & æqua utriusque conditio, nihil habet homo jumento amplius*. 4. Quomodo illud Psalmi 3. vers. 8. *Homines & jumenta salvabis Domine*. 5. Quomodo illud Ecclesiastici cap. 42. vers. 19. *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens*. 6. Ezechielis 18. dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris*. Exodi 20. *Ego Dominus visitans iniquitatem Patrum in filios*. Primum de culpa, secundum de pœna intelligitur. 7. Exod. 33. ait Deus: *Non videbit me homo, & vivet*. Genesis 32. ait Jacob: *Vidi Deum facie ad faciem*, nempe sub corporali specie. 8. Jobi cap. 1. dicitur: *In omnibus non peccavit Job labiis suis*. Cap. 7. dicit, se desperasse, suspendium elegisse, peccasse. 9. Eccl. 1. v. 4. *Terra in æternum stat*. Lucæ 21. *Cœlum & terra transibunt*. 10. Ecclesiastici 3. dicuntur universa sub Cælo suis spatiis transire. Ibidem vers. 14. Omnia opera, quæ fecit Deus, in perpetuum perseverare dicuntur, puta, quoad speciem. 11. Joannis 15. dicit Christus: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Cap. 16. *Adhuc multa habeo dicere vobis, quæ non potestis portare modo*. 12. Matthæi 10. dicitur: *Gratis accepistis, gratis date*. Lucæ 10. *Dignus est operarius mercede sua*. Plures ejusmodi antilogias vide apud Tirinum.

Ad Secundnm: 1. Ubi expressum in scriptura clare tres Divinas Personas non moraliter

tantum, sed realiter distingui? Id contra Arianos in Concilio Nicæno probatum unanimi PP. doctrina ab Apostolis tradita. 2. Ubi in scriptura, duas in Christo esse naturas, & unam personam? Negabant id olim Nestoriani & Eutichiani. 3. Ubi in scriptura clare exprimitur, Spiritum sanctum a Patre simulque a Filio procedere? Quod negant multi Græci. 4. Ubi scriptum, quod Dominica dies loco Sabbati celebranda sit? 5. Ubi scriptum, quinam libri sint Canonici, & a Spiritu sancto inspirati; quod illi, quos hæretici ut tales recipiunt, sint incorrupti? 6. Ubi scriptum, quod Christus fiat præsens sub speciebus panis & vini, in sumptione; vel quod illa tantum sint signum & figura Corporis Christi, &c. Denique cur ante suam cœnam, exemplo Christi, non edunt agnum Paschalem? Non lavant sibi pedes? Cur feminas ad cœnam admittunt? Cur quater de anno adeunt? Ubi hæc & similia scripta sunt, esse facienda aut omittenda?

Ad Tertium: Cur ergo hæretici hora octava habent concionem? Cur primum Mercurii in mense diem, ut festum, dant orationi? Cur ante sumptionem cœnæ pridie habent concionem præparatoriam? Cur infantes tantum eo die baptizant, quo est concio? Cur in Baptismo adhibent Patrinos? &c.

3. Si nolit acquiescere signis Ecclesiæ veræ, interroga 1. Ex quo libro scripturæ velit disputare? Unde sciat librum illum esse sacram Scripturam, aut si sit, unde noverit esse incorruptum? Unde sciat illum esse sensum a S. Spiritu intentum; cum, ut hæretici ajunt, nihil sit credendum, quod in scriptura non est? Si recurrat ad spiritum privatum, dicat cur potius illius, quam aliorum spiritui contradictorio credendum? Ubi habetur, illum spiritum esse a Deo?

2. Ecclesia tua vel est nova, vel antiqua? Si nova? Non est Ecclesia Christi, quæ ante an-

annos plus, quam 1700. fuit. Si antiqua? Ubi ergo per xv. sæcula a Christo usque ad Lutherum & Calvinum latuit? Quis Historicus ejus meminit?

3. Vera Christi Ecclesia vel est fallibilis, vel infallibilis? Si infallibilis? Ergo Romana Christi Ecclesia, quæ secundum vos aliquando fuit vera, adhuc est vera; quia errare non potuit. Si fallibilis? Unde ergo estis certi quod recte credatis? Quomodo potestis habere fidem certam & firmam? Si dicat, suam Ecclesiam fuisse in mundo ante Lutherum: Vel ergo fuit visibilis, vel invisibilis? Si visibilis? Quis eam vidit? Quis de ea scripsit? Quis in ea fuit? Si invisibilis? Ergo nemo, etiam volens recte colere Deum, eam invenire potuit? Ergo nec tenebatur: ergo omnes tunc damnati sunt defectu fidei? Et numquid eodem jure se Turcæ & Anabaptistæ habere se veram fidem Christi dicent?

4. Vel possunt homines salvari in Ecclesia Catholica, vel non? Si possunt; ergo Sectarii egressi sunt de salvifica Ecclesia, quæ nonnisi unica esse potest. Si non possunt; ergo omnes per duodecim sæcula damnati sunt, tot Martyres pro Christo passi, tot Confessores, S. Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Bernardus, Benedictus, Dominicus, Franciscus Seraphicus, & Xaverius, quos ipsi vos dicitis Sanctos?

5. Numquid Lutherus & Calvinus sacram Scripturam a Romana accepit Ecclesia? Vel tunc hæc erat vera, vel falsa? Si vera Ecclesia; ergo damnandi sunt, qui ab ea recesserunt. Si falsa, quomodo vestra scriptura non est falsa, quam ab Ecclesia falsa accepistis?

6. Credisne non dari Purgatorium, Missam, septem Sacramenta? &c. Ubi hoc habetur in Scriptura?

7. Vel agnoscis veteres Hæresiarchas, Arium, Nestorium, aliosque recte ab Ecclesia damnatos, vel non? Si non; ergo primævam con-

demnas Ecclesiam, & hæreticorum illorum doctrina erit vera, adeoque non erunt tres Divinæ Personæ, Christus non erit verus Deus & verus homo. Si ita, idem & de Luthero & Calvino admittere debes, quia & eorum doctrina in illis damnata est, ut quod opera bona non sint necessaria ad salutem; quod non sint admittendæ traditiones, aliaque superius relata.

8. Religio seu secta potius Lutherana & Calviniana per quos est propagata? An incorruptam habet scripturam? Minime. Nam *Epist.* 2. *Petri cap.* 1. antiquissima vulgata editio habet: *Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* Lutherus delevit to: *Per bona opera.* Epist. Rom. cap. 30. vers. 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem.* Lutherus addit: *Per solam fidem.* Joannis 6. vers. 50. textus antiquissimus habet: *Ego sum panis vivus.* Calvinus substituit: *Vivificus.* Epist. Hebr. cap. 13. vers. 4. ait: *Honorabile conjugium in omnibus,* id est, omnia in legitimo matrimonio honorabilia sunt. Sectarii substituerunt: *Inter omnes,* ut defendant conjugia ministrorum Ecclesiæ. Ephes. cap. 15. vers. 32. de matrimonio dicitur: *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Sectarii substituere: *Secretum hoc magnum est,* ne cogantur admittere Matrimonium esse Sacramentum. 1. Cor. 9. ait Apost. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* nempe ad ministerium temporale. Lutherus addidit: *In uxorem.* Plures ejusmodi corruptelas omitto, quæ videri possunt apud Polemicos.

9. Denique si cum Judæo sit de fide tractatus, ostendendum illi Messiam venisse, proponendaque motiva credibilitatis, quibus Religio Catholica unice sit prudenter credibilis. Si Gentilis ad fidem esset deducendus, demonstrandum illi

illi foret, Deum esse unicum, omni honore & cultu dignissimum, eum colendum esse cultu rationabili, quo ipse vult; ubi autem ille habeatur, debere & posse colligi per notas & signa, &c. ut supra. Legem Christianam esse rectæ rationi conformem, Deo dignam, bono publico utilissimam, &c.

CAPUT V.

De Confessario Pœnitentis indurati, aut volentis differre seriam Pœnitentiam ad finem vitæ, vel præseferentis exiguum dolorem de peccatis.

QUÆSTIO I.

Quomodo agendum cum Peccatore indurato?

RESP. Cum homine duri cordis procedi potest hoc modo: 1. Confugiat Confessarius ad orationem, præsertim in Sacrificio Missæ, & petat sibi dari animam illam. Orationi utiliter junget mortificationem aliquam, v. g. jejunium, & aliorum preces, quas expetere potest, præsertim a parvulis. Proderit etiam promittere Sacrificium pro animabus Purgatorii offerendum. 206. *Peccator induratus mox suaviter, mox severe tractandus.*

2. Si tempus ferat, non faciendo mentionem de Confessione, blandis verbis & officiis charitatis studeat sibi devincire virum indurati animi, dumque illum utcumque sibi attentum habet, dicat: Quid existimas, si quis enorme crimen publice commisisset, & adesset jam judex cum suis ministris, illum ad carcerem, patibulum, vel rotam, aut rogum abripi jubens, annon ille esset deprecaturus? an non esset, in genua provolutus, humiliter per Deum & omnia sacra rogaturus veniam? an non & tu id faceres? Si annuat: Numquid credis Deum esse ju-

stum Judicem, qui nullum peccatum, si pœnitentia seria non sit expiatum, possit, sic exigente justitia rectaque gubernatione, relinquere impune? Numquid credis Deum hic esse præsentem? an non posset hic jam mandare, vel permittere dæmonibus, ut in hoc momento ad infernum te abriperent? *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis.* Quid si te mox? Quid si cras abriperet? Væ animæ tuæ; væ in æternum! Adhuc tempus est, erit cum tempus non erit amplius. Quin ergo prostratus humi, dicas contrito corde: Parce Domine, parce mihi misero. Juvat quoque referre historiam aliquam de impœnitentibus: v. g. Impœnitens lusit operam S. Francisci Borgiæ, & ad pœnitentiam adduci noluit. Crucifixus autem avulsa a cruce manu sanguinem e vulnere lateris haustum conjecit in ejus faciem, dicens: Sanguis meus tibi in perditionem sit.

3. Si pergat esse obstinatus, petat causam, & eam amovere studeat Confessarius. Submittat hominem gratum, qui illum sui commoneat; sique æger est, quoad licet per sigillum, moneat medicum, ut eum de morte imminente moneat. Hæc si non juvent, accedatur iterum, & serio de salute animæ suæ moneatur: Deus non irridetur, non dat gratias pro arbitrio nostro, sed quando vult. Erit cum monentem te officii vel non habebis, vel percipere non poteris. Idem JESUS, qui nunc benignus ad pœnitentiam te invitat, erit tuus severissimus Judex; nunc paratus est omnia tibi condonare, tunc ridebit in tuo interitu. Quis tibi erit animus in eo momento, quo animæ tuæ corpore solutæ, in ictu oculi omnia tua peccata, beneficia Dei, te salvare tam diu volentis, tibi objicientur, & in momento post in inferno eris sine fine cruciandus? Si necdum moveatur, fingat se cum indignatione abire Sacerdos, ultimoque serio & acri-

ter adhortetur eum, v. g. Quid tibi persuades? Putasne Deum te egere in Cælo? An non potest habere alios, Judæos, etiam Gentiles, qui locum alias tibi paratum occupent, cum majore Dei laude, gloria, & gratiarum actione? Stulte & insipiens, hæccine reddis Deo tuo, qui creavit te, & redemit tanto pretio? Et his dictis abeat. Interea instiget eos, quos impœnitens novit optime sibi affectos, uxorem, liberos, consanguineos, qui genibus ipsius advoluti rogent, ut misereatur animæ suæ, sæpe hæ voces aures obdurati vulnerant. Subinde revertatur Sacerdos, sique adhuc obstinatum inveniat, acrius eum aggrediatur: Quis tandem es tu miser homuncio, ut resistas divinæ voluntati? Resistis pietati te misericorditer invitanti, incides in manus vindicantis. Ecce instat momentum, a quo pendet æternitas, eaque infelix si pergas molestus esse Deo tuo. Nolens volens mox deseres omnia, & ab omnibus desereris. Poterit etiam cum adstantibus, humi provolutus, Crucifixum manu tenens, hunc in conspectu pœnitentis ita alloqui: Non sinas Domine perire animam hanc, quæ tanto tibi pretio stetit, pro qua cruci affigi, illudi a Judæis, a Patre deseri, & mori voluisti, &c. Proderit etiam humana motiva proponere, v. g. Ecce, si ita moriaris, patietur tua & tuorum fama coram omnibus: sepelire debebis non in cœmeterio, sed ad sepem cum bestiis. Si his non cedat victus, remotis aliis interroget Sacerdos: An forte times confiteri? Homo sum & peccator, egens misericordia Dei, sicut tu; non existima deesse alios, qui diu in gravissimis sceleribus vixerunt, & levem erubescentiam vincendo, misericordiam consecuti sancte partim vivunt in terris, partim modo gaudent in Cælis. Confitere homo homini fragili, sicut tu. Si vis inconfessus latere, post mortem coactus confiteri damnaberis. Amabo! quæ sunt, quæ erubescis edicere?

An hoc? An illud? Saltem dic levia aliqua, &c. Si via sternitur ad dicenda alia. Si nihil impetretur, morte instante dicatur: Migrandum est: elige quod vis; aut pœnitere hic ad momentum, aut æternum ardere. Si omnia nihil proficiant, putant quidem aliqui ad terrorem aliorum dicendum, si aliud non vis, abi maledicte in ignem æternum: at consultius est ingeminare pia suspiria contritionis & amoris, ut vel in ultimo articulo non desertus, possit resipiscere.

QUÆSTIO II.

Quomodo agendum cum peccatore volente differre Pœnitentiam?

207. *Terrendus novissimis.* RESp. Cum volente differre pœnitentiam in finem vitæ, aut annos senectutis, sic procedi potest. Monet nos *Eccles. cap.* 5. *vers.* 8. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Monet nos Christus *Matth.* 25. *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Statutum est hominibus semel mori.* Mors certa, hora incerta, locus, modus incertus. Major pars hominum ante quinquagesimum annum in æternitatem abripitur. Quid si hodierna, quid si crastina dies ultima tibi foret? Omni die, omni hora mori potes. Si scires uni ex cibis pluribus tibi appositis almixtum venenum, quam cautus fores? uni horæ inest mors tua, & ita securum te putas?

2. Deus, qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Angelo peccanti moram pœnitendi non concessit. Adamum mox a commisso peccato Paradiso expulit. Benignus est in tolerando, sed & justus in puniendo. Exspectat quidem sæpe ad tempus, sed ab ipso prædefinitum; intra quod si peccator se non convertat, actum est de ejus salute.

3. A mo-

3. A momento, quo esse incœpisti, cœpisti mori: statuit Deus singulis numero certo annos; dies, horas, momenta; quo diutius vixisti, eo propinquior es morti; eo plus debes Deo, quod tam diu te toleraverit, eo gravius inde judicaberis. Seu vigiles, seu dormias, ad mortem properas. Si difficile tibi est jam pœnitere, quid erit in fine? Quomodo tunc assurges ad Dei charitatem, tot peccatis ab eo aversus? Arbor, quæ numquam floruit, numquam viruit, fructum quomodo profert? A quo exspectabis auxilium? Deum tam diu contempsisti, quomodo promittes tibi gratiam efficacem? Amor terrenorum, dolores corporis, obtusio sensuum, animi perturbatio, insidiæ dæmonis pœnitere te, & de salute cogitare non sinent. Fiet justo Dei judicio, ut qui cum posses pœnitere, noluisti; non possis, cum velles. In tota Scriptura non invenitur, nisi bonus latro unus, quem in fine vitæ vere pœnituit: unus, ut nullus desperet; solus, ut nullus præsumat. Sancti timuerunt, & adhuc timent, ne in morte deficiant; & tu speres converti? Si vis agere pœnitentiam, cum jam amplius peccare non poteris, peccata te dimiserunt, non tu illa. *Sanctus Augustinus*.

QUÆSTIO III.

Quomodo cum præferente exiguum dolorem de peccatis?

RESP. Si pœnitens exiguum de peccatis dolorem præferre videatur, non illico judicandum deesse verum dolorem; quibus enim temperamentum durius est, corque minus tenerum, difficilius moventur ad dolorem sensibilem, quo verba & gustus animentur: hic autem dolor necessarius non est; sed sufficit rationabilis dolor vitæ præteritæ, & prompta voluntas emen- 208. *Exploranda voluntas.*

dan-

dandi; quæ adesse judicatur, si pœnitens libenter admonitionem & instructionem admittat: si conatus sincerus emendandi præcesserit, si ostendat se paratum ad expianda peccata pœnitentiis propositis, quæ statui ejus & conditioni non sunt nimis graves & inconvenientes. Quod si doloris & propositi sinceri signa hæc deesunt, proponenda Illi essent motiva doloris, pericula, &c. & excitandus ad dolorem pro conditione sua secundum dicta.

CAPUT VI.

Quomodo Confessario agendum cum infirmis, & moribundis?

QUÆSTIO I.

Quid præstandum Confessario in accessu ab infirmo?

209. *Sex primum servanda.* RESp. Vocatus ad infirmum cogitet 1. Moneri se a Christo, ut cooperetur ad salutem animæ, auxilio nunc maxime indigentis, & illico accedat; interim suæ infirmitatis memor, utpote qui sine Deo nihil in naturalibus, minus in supernaturalibus potest: roget Deum Patrem per infinitam bonitatem suam, & charitatem qua dilexit mundum: Christum Dei Filium, Dominum nostrum, per passionem & mortem suam, pro salute animæ illius toleratam: Spiritum sanctum per amorem illum, quo animam istam in Baptismo sanctificavit, ut sibi gratiam largiatur recte infirmum disponendi, huic vero veram contritionem & charitatem. Imploret quoque patrocinium & intercessionem B. M. V. per labores & dolores, quos pro nostra redemptione pertulit ejus Filius. Petat item auxilium Angeli Custodis illius infirmi.

2. Si non novit infirmi personam, conditionem, & habitudinem; vel in itinere, vel

in

in domo infirmi, si tempus ferat, prius conetur intelligere qualis sit: v. g. An sit vir eruditus, prudens, aut utatur judicio, sensibus; an petierit Confessarium; an credatur morti vicinus; an sit confessus, communicaverit, extremam Unctionem acceperit, testamentum fecerit? Quod vitæ genus tenuerit? an aliquid sit magni momenti, de quo eum moneri conveniat, vel necesse sit? an se afflictum spiritu ostenderit? Hæc, vel ex his, prout convenire videbitur, interroget.

3. Infirmi cubiculum ingressus, aqua lustrali infirmum aspergat, eique benedicat hac forma: *Benedicat te Deus Pater † Sanet te Deus Filius † Illuminet te Spiritus Sanctus †. Corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, & ad æternam vitam te perducat, Amen.* Vel dici potest oratio: *Visita, quæsumus Domine, habitationem istam, &c.* Sacerdotibus nota. Deinde salutet infirmum, nisi mors instans aliud suadeat: quærat de morbo, doloribus, eorumque circumstantiis; de his enim infirmi plerumque libenter loquuntur. Ostendat commiserationis affectum, exponatque ex cujus ordinatione prospera nobis & adversa eveniant: hunc morbum esse a Deo providentissimo & nostri amantissimo Patre illi immissum, ut suum infirmus erga Deum probet amorem; pro debitis per humanam fragilitatem contractis satisfaciat, & ipsa satisfactione quæ in altera vita sine merito præstanda fuisset; ut merita sua & gloriam augeat, Christo assimiletur magis; ut recordetur, nos in hoc mundo peregrinos esse, patriam nobis Cælum designatum, &c. Proinde acceptet morbum de manu Patris, & vertat in bonum animæ suæ, & quod pati debet, libenter patiatur; alioquin passurus tamen, sed sine merito.

4. Si non inest periculum mortis, non ingerat statim mentionem Confessionis; sed, si forte eam horreat, prius studeat ejus animum lu-

erari, & disponere ad illam non advertentem; v. g. exponendo Dei in humanum genus charitatem, paternam hactenus de nobis curam, beneficium vocationis ad veram sui agnitionem, beneficium Baptismi, Christi in nos amorem, potens patrocinium Virginis Matris ejus, quam voluit esse matrem nostram, & quæ gaudet intercedere pro nobis.

5. Hoc modo lucratus animi partem, si ipse non insinuet velle se confiteri, proponat illi Confessionis utilitatem, ostendendo hanc conferre ad animi quietem; animo autem quieto facilius recuperari corporis sanitatem, quam animus sollicitus impedit: morbos sæpe esse nuntios, quibus indicat Deus cupere se ut penitus ad se nos convertamus; hanc esse suavissimam Dei providentiam, scilicet monere nos, dum adhuc mens & sensus vigent: monuisse & hoc Christum suo exemplo, qui in Cruce moriturus primam curam habuit, ut peteret a Patre veniam peccatoribus: nulli periculo objiciendam esse animam, quam habet unicam: nulla satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas.

6. Si æger petat moram, v. g. horæ, ut se præparet, concedenda illi est, nisi obstet periculum. Cavendum tamen, ne diu differatur, præsertim in febribus malignis, ne delirio postea præoccupatus, Confessionem non possit amplius peragere. Si de die in diem velit differre, urgendus est suaviter, proponendo Dei invitantis amorem & desiderium, ut obsequatur: gaudium Christi quod habet, ovicula vel una ad se redeunte; gaudium Angelorum super uno peccatore pœnitentiam agente, &c. Si his nihil flectitur, inquiratur causa, cur nolit animæ suæ consulere, & audita amoveatur: submittatur amicus, qui eum inducat ad Confessionem; sique morbus sit periculosior, moneat eum Confessarius, si forte alii non audeant, serio de periculo, ut disponat domui

suæ.

suæ. Si necdum cedat, cum discretione adhibenda sunt, quæ dixi a num. 206. de indurato & volente differre pœnitentiam; si autem paratum se ostendat, disponatur secundum jam dicenda.

QUÆSTIO II.

Quomodo infirmus, volens confiteri, disponendus sit?

RESp. I. Confessarius juvet infirmum, præsertim si hic rudis sit, in eliciendis actibus fidei, spei, charitatis, contritionis, &c. sæpe enim vel motiva nesciunt, aut morbus impedit, quo minus possint eos elicere. Quod si infirmus debilior sit, proponenda sunt illi credenda & speranda per breves quæstiunculas, quibus attendat, & subinde uno alterove verbo respondeat, *v. g. pro actu fidei.* 210. *Excitandus ad fidem, spē, charitatem.*

Charissime, &c. Numquid credis, quæ credit & credenda proponit sancta Mater Ecclesia, quæ, teste Apostolo, columna & firmamentum est veritatis, cui Christus perpetuam promisit Spiritus sancti assistentiam? Resp. Credo. Credis igitur quod Deus sit Unus in Natura, & Trinus in Personis; Remunerator bonorum, & Vindex malorum? Et hoc ideo credis, quia Deus dixit, qui nec falli, nec fallere potest? Resp. Credo firmissime. Numquid quoque credis quod Deus creaverit nos, & conservaverit hactenus ut ei serviamus, & tandem salvi fiamus: quod, postquam perieramus, Filius Dei sit pro nobis incarnatus: quod morte & Sanguine suo nos redemerit: gratiam nobis meruerit, qua possumus, & sine qua non possumus salvari: quod Sacramenta instituerit, per quæ gratiam accipimus, & sanctificamur? Et hoc credis, quia Deus ista revelavit? Credo. Numquid quoque credis quod Deus sit paratus pœnitentibus remittere peccata, & justificatis dare vitam æternam? *Actus fidei.*

ctam? quod sit omnipotens, justus, fidelis, misericors, summe bonus, omni amore & cultu dignissimus, & peccata oderit super omne malum, juste graviterque puniat? Atque hoc iterum credis, quia Deus ita revelavit omniscius & verax? Credo. In hac & pro hac fide mori sum paratus.

Actus spei. *Pro actu spei.* Numquid speras per infinitam Dei misericordiam, & per merita Christi veniam peccatorum, necessaria auxilia gratiæ, & vitam æternam; quia Deus infinite potens, benignus, misericors & fidelis promisit ista inquirentibus se? Resp. Spero. In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Actus charitatis. *Pro actu charitatis & contritionis.* Numquid nosti quanta tibi præstiterit Deus? Creavit & conservavit te, ut eo æternum fruereris: dedit tibi Filium suum Redemptorem, Magistrum, Cibum animæ tuæ in terra, & Advocatum in Cælis: MARIAM Filii sui matrem dedit tibi Patronam, præterea Angelum tui custodem. Quam liberalis & benignus fuit in te Deus? Est ipse sibi sufficientissimus, in se ipsa bonitas, ipsa misericordia, ipsa clementia, summa majestas, omne bonum. Numquid ergo omni amore dignissimus? Numquid ergo gaudes & gratularis ipsi de omni bono suo? Numquid ipsum præfers omnibus, quæ cogitari possunt: ipsi optas omnem gloriam: te offers ad ipsum benedicendum, ad amandum & laudandum hic & in æternum: eumque diligis ex toto corde, ex tota anima, quia dignus est omni cultu & amore? Resp. Amo & amabo in æternum! Utinam illum eo amore, quo amant ipsum omnes Sancti in Cælis, amare possem!

Contritio. Numquid ex corde doles, quod Deum, tam in te benignum, tam in se amabilem, tam dignum omni honore, umquam peccatis tuis offenderis? Quod feceris quæ tantæ Bonitati displicent; qui, etsi nec præmium exspectandum, nec pœna timenda esset, omnium cordibus est

aman-

amandus? Resp. Ex toto corde doleo. Dic ergo: Deus, propitius esto mihi peccatori! Pater, peccavi in Cælum, & coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus: ne projicias me a facie tua! numquid statuis deinceps, quoad Deus tibi vitam dederit, amore ejus omnia peccata vitare, occasiones peccandi fugere, & præstare omnia quæ, re prudenter considerata, ad salutem necessaria judicaveris? Resp. Statuo per Dei gratiam. Dixi, nunc cœpi. Statui custodire justificationes tuas, Domine. Confirma hoc Deus, quod operatus es in me.

2. Si terreatur forte multitudine peccatorum, excitetur Dei clementia erga peccatores, v. g. erga Magdalenam, Latronem in cruce, S. Petrum, cui primo inter Apostolos post Resurrectionem apparuit, S. Thomam, cui pertinaciter incredulo obtulit latus & manus: item erigatur verbis Dei dicentis: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Misericordia Domini super omnia opera ejus.* Ipse Pater optimus est, etsi nos filii prodigi. Etsi tu commiseris, unde damnare te potest; ipse tamen non amisit, unde salvare te potest.

3. Si infirmus esset rudis, minusque apprehenderet motiva dilectionis Dei, inducendus esset primum ad dolorem minus perfectum, seu attritionem, secundum dicta.

QUÆSTIO III.

Quæ sint præstanda Confessario in Confessione infirmi, vel moribundi?

Resp. Infirmum dispositum rite; animet ad Confessionem sinceram in conspectu Dei faciendam, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur; quem nullum latet secretum; qui tantum exspectat, ut serio pœnitenti & sincere confitenti occurrat, eumque stola gratiæ vestiat, & in filium recipiat. 211. *Infirmus animandus.*

Examinandus & monendus suaviter.

2. Impertita benedictione petat a quo tempore ultimò confessus sit; an nihil voluntarie omiserit, & pœnitentiam impleverit? Si reperirentur priores Confessiones invalidæ, procedendum secundum dicta num. 191. quo casu necesse non esset urgere, ut non confessa a confessis separet, ubi commode fieri non posset.

3. Si, ut apud infirmos plerumque contingit, interrogationibus opus sit, excitetur ut sincere & animose respondeat ad singula, uti conscientia dictat: nihil præ verecundia taceat, numerum nec augeat, nec minuat; sed sincere certa pro certis, dubia pro dubiis confiteatur.

4. Tum interrogando percurrat præcepta fidei, spei, charitatis, Decalogi, Ecclesiæ, peccata propria, officii, status, prout discretio dictabit, & conditio confitentis. Si mora talem ordinem non ferret examinis, convenit interrogare graviora, circumstantias mutantes speciem, numerum, pro personarum diversitate: de scandalis, Confessionibus non rite factis, odiis inveteratis, usuris, &c. demum alia, prout tempus & circumstantiæ patientur.

Excitandus ad contritionem.

5. Si absoluta Confessione nihil supersit, quod gravet conscientiam, aut præstandum ante sit, Confessarius pœnitentem benigne alloquatur, & renovet cum eo dolorem de peccatis, & propositum vitandi omnia, occasionesque peccandi, hoc vel simili modo: Deus! Deus cordis mei! Propter te ipsum, qui infinite bonus es, ame te, & amabo super omnia. Pœnitet, ah pœnitet me, misericordissime Deus, quod te tam graviter & toties offenderim! Tu quæsivisti me, & ego contempsi te. Ex intimo corde doleo quod te, omne bonum, omni amore dignissimum, tam parvi æstimaverim. Pater, peccavi in Cælum, & coram te: respice in faciem Christi tui, & miserere mei. Quid tibi retribuam pro patientia tua in me? Offero me totum ad obsequium tuum, & statuo firmissi-

missime per gratiam tuam, quam suppliciter peto, numquam peccare amplius, occasiones peccandi fugere, & tibi soli servire. Amore tui condono omnibus, qui numquam me offenderunt. In satisfactionem suscipe labores, dolores, sanguinem, mortem Filii tui, Domini mei JESU Christi; suscipe & hos dolores meos, quos tui amore lubenter feram: vitam meam lubens pro te profundo. Hæc sicut nunc supplico, ita de tua infinita bonitate confido, Te per pretiosum sanguinem Filii tui veniam & gratiam daturum, ut emendatus in finem usque perseverem. Bone JESU! respice super me miserum peccatorem oculis misericordiæ, quibus respexisti Petrum flentem in atrio, Magdalenam in convivio, latronem in crucis patibulo; & præsta, ut peccata mea cum Petro digne defleam, cum Maria Magdalena perfecto amore te diligam, & cum Latrone in Paradiso in sæcula sæculorum te videam, & glorificem. Amen.

Ad restitutionem faciendam in vita.

6. Si sit obligatio præstandi aliquid in vivis, jubeatur illud statim infirmus præstare: ut 1. Si teneatur ad restitutionem famæ, curet restitui ut potest, vel verbo, vel scripto. Si ad restituenda fortunæ, vel damna compensanda, & possit restituere vivus, jubeatur restituere; si non possit, obliget hæredes in testamento, etiam sub pœna, ut statim restituant. Si dubium sit, an quid debeat, uti fieri potest, v. gr. in administratione bonorum, curet, ut re declarata, cuique suum tribuatur. Vide infra n. 235. Si aliqua acquisivit per contractum injustum, uti debet, restituat. Vide tamen de hoc Less. de just. l. 2. c. 20. Dian. p. 3. trat. 9. res. 92. 2. Si sit in occasione proxima continua peccandi, ut si concubinam habet, & proles ex ea, aut matrimonium illi promisit, inducatur, ut, si possit, ineat cum ea matrimonium, quo proles legitimentur, & promissioni satisfiat. Si hoc fieri non possit, nec concubina ejici potest quidem absolvi, si dispositus sit; cu-

randum tamen, ut concubina ægro non ministret, sed amoveatur ab ejus conspectu, uti monui supra sub num. 173. 3. Si ab altero sit graviter offensus, vel læsus quocumque animo etiam pessimo, inducendus est ut offensam remittat, odium, rancorem internum deponat, signa det odii remissi externa; immo & actionem injuriarum, si quæ competit, remittat: etsi enim a legitimo judice sine peccato possit petere satisfactionem, & punitionem lædentis; quia legitima vindicta ad virtutem justitiæ pertinet, estque per se decens malefactorem puniri, ut alii ab injuriis inferendis coerceantur; periculum tamen est, ne ex occulto odio procedat, & gaudeat de alterius malo, tamquam suo bono. 4. Si mulier honesta infirma, separata a viro persuaderi non possit, ut velit dein ad virum redire; examinanda est causa divortii: si justa sit, non tenetur redire: si sit dubie justa, interrogetur an parata sit facere, quod postea judicabitur in conscientia faciendum; si ita, absolvi poterit.

Satisfactio injungenda. 7. Omnibus rite peractis, infirmo danda pœnitentia levis, aut levior pro ratione morbi gravis, vel gravioris, sine tamen præjudicio tertii. Possunt imponi actus fidei, spei, charitatis, patiens dolorum tolerantia, resignatio in voluntatem Dei, restitutio mature facienda, condonatio injuriæ publice illatæ, reconciliatio cum inimicis, invocatio SS. Nominum, Jesus, Maria, Joseph &c. Posset etiam gravis injungi in eventum valetudinis recuperandæ.

Absolutio danda. 8. Demum eum absolvat primum a censuris, si quam incurrit, tum a peccatis, & applicet illi indulgentias moribundis concessas. Ubi notandum, quod quidem possit quilibet Sacerdos etiam non approbatus absolvere a censuris omnibus, & reservatis tum in articulo mortis, ut clare habet Trid. sess. 14. de pœn. cap. 7. quia potestas absolvendi data est ad salvandas animas, adeoque non restringi debet, ubi ani-

ma

mâ periclitatur, tum etiam in periculo mortis, ut habet probabilior; quia pia mater Ecclesia non præsumitur velle quemquam exponere probabili periculo damnationis: non potest tamen dari absolutio a censuris & reservatis a quolibet statim a prima die infirmitatis, sed debet adesse vel articulus, vel periculum mortis probabile. Adest autem articulus mortis, quando mors moraliter certo proxime instat, seu ex morbo, seu ex vulnere, seu sententia judicis: cui æquivalet, si quis sit in periculo proximo perpetuæ amentiæ; periculum vero mortis est, quando sub dubio, vel timore prudente mors exspectatur; uti in prælio, morbo, vel itinere periculoso, obsequio pestiferorum: vel si quis sit bannitus, aut mulier sit partui vicina, experta in partubus periculum vitæ. Unde reus ad mortem condemnatus, si instet executio sententiæ, mulier illa, si instet partus, &c. potest a quovis absolvi, si alius non adsit. Si tamen infirmus haberet casum reservatum, cui annexa esset excommunicatio major, hæc tria simul præstanda forent: Primum, ut ante satisfiat parti læsæ, v. g. restitutio famæ, honoris, bonorum, ob quorum læsionem lata est censura; aut res sic disponatur, ut illa satisfactio sit infallibiliter secutura, v. g. dando Confessario, vel apud alium deponendo quod restituendum erat, vel obtinendo a parte læsa condonationem. 2. Si satisfactio fieri non possit modo, detur cautio pignoratoria, vel fidejussoria, vel saltem juratoria, si alia dari non possit. Putant tamen quoque aliqui, pro foro interno firmum sufficere propositum, probantque ex Rituali Romano Pauli V. Ita *Nav. Laym. Tamb. Viva* & alii. 3. Ut juret quod velit obedire Ecclesiæ, seu Superiori injungenti, ne illud crimen iterum committat; & per se ipsum, si possit, componere cum Papa (compositio cum Papa est conventio, in qua Papa indulget, ut major quantitas debiti domini incerti mutetur in mi-

Quid si incurrisset casum reservatum, cui annexa excommunicatio major?

minorem:) *La-Croix l. 3. p. 2. num. 409.* si non possit, velit se sistere Episcopo vel Superiori, qui possit absolvere extra casum necessitatis; alias reincidet in excommunicationem. Si tamen esset destitutus usu rationis æger, posset, si alia adsint, absolvi; immo valide absolveretur, etsi Confessarius hoc negligeret, quamquam hic graviter peccaret. Neque reincideret pœnitens, si promissam satisfactionem non præstaret, etsi tunc peccaret. Si impotentia satisfaciendi esset perpetua, non est opus quidquam a pœnitente requirere. Demum si casus reservatus non habet annexam censuram, non est opus se postea sistere Superiori. Vide *La-Croix l. 6. p. 2. num. 1559. 1623. 1693.*

QUÆSTIO IV.

Quomodo infirmus sit excitandus ad conjunctionem cum Deo, resignationem, patientiam? &c.

212. *Proponenda ad firmam fidem eliciendam.* RESP. In visitatione infirmi primo exercendi sunt cum ipso actus fidei, spei & charitatis, quibus anima intellectu & voluntate Deo conjungitur, modo supra dicto, vel hoc.

1. Pro fide elicienda possunt illi exponi præcipua fidei puncta, & ejus motivum, & tunc elici actus fidei hoc v. gr. modo: Credo, Domine, quidquid per Ecclesiam Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam credendum proponis; & adeo firmissime credo, quia tu dixisti, qui es infinita veritas, nec potes fallere, nec falli. Credo, adjuva Domine incredulitatem meam.

Ad spem. 2. Pro spe elicienda proponi illi possunt infinita Dei benignitas, misericordia, clementia, fidelitas, omnipotentia, beneficia particularia infirmo præ tot aliis collata, ut salvus fieret; merita Christi, Beatissimæ Virginis, Sanctorum; tuncque sic spes elici: Spero misericordissime & be-

benignissime Deus, per merita Unigeniti tui Filii pro me passi veniam meorum peccatorum, gratiæ auxilia, & vitam æternam; & ideo firmissime spero, quia venientibus ad te illa promittere dignatus es, qui in promissis tuis servandis es fidelissimus & potentissimus. In te Domine speravi, non confundar in æternum.

3. Pro charitate proponi possunt Dei beneficia, desiderium ejus ut ad se veniamus, & nos æternum beatos faciat; labores doloresque Christi; tum summa Dei bonitas, Majestas, dignitas ad omne obsequium & amorem: & actus charitatis hoc vel simili modo elici.

O quàm sero amavi te, pulchritudo æterna! o bonitas infinita, dulcedo ineffabilis! Quid est mihi in Cælo, & a te quid volui super terram? En paratum cor meum ad amandum te, nunc & in æternum. Deus cordis mei, diligo te super omnia; gaudeo, gratulor tibi de infinitis tuis perfectionibus, de omni honore & gloria tua in Cælo & in terra: quia tu dignus es. Utinam mille corda mihi essent, quibus solum te amarem: ament, laudent, benedicant te omnes creaturæ mecum, & pro me, & plus quam possim ego. *Ad Amorem.*

Ah! quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut defleam peccata mea, quibus te summum bonum offendi! Peccavi in conspectu tuo, & coram te: abusus sum donis a te mihi concessis ad gloriam tuam & salutem meam, in tuam ignominiam & meam perditionem: servire te feci in peccatis meis. Detestor ingratitudinem meam, abominor mala quæ feci coram te, omni honore dignissimo. Utinam vel sanguineis eadem lacrymis deflere possem! Delicta mea pavesco, & ante te erubesco; sed tamen spem veniæ non abjicio, verum infinita fretus misericordia tua statuo expiare peccata mea, eaque amplius non admittere. Confirma hoc Deus, quod operatus es in me. *Ad Dolorem.*

213. *Motiva resignationis.* Resp. II. Pro resignatione in voluntatem Dei, juvat proponere sequentia: 1. Statutum est hominibus semel mori. Nescimus, quandonam mori nobis magis expediat: novit id Pater noster. Avocat ille nos ex hac mortali vita quandoque citius, ne diutiùs viventes labamur in peccata, & pereamus æternum. *Raptus est* (justus) *ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Sap. 4.

3. Vitam a Deo gratis accepimus, cur eam reposcenti non libenter obediamus, ut temporalem & miseram commutet in æternam & felicem?

3. Non sumus majores Sanctis, Virgine Matre Dei, ipso Christo. Sancti mortui sunt, & mortem desideraverunt. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, inquiebat S. Paulus. S. Ignatius Martyr cupiebat devorari a bestiis sibi præparatis, ut Christo frueretur. B. Virgo mortua est, ut imitaretur Filium suum. Christus dignatus est mori, ut nos liberaret a morte æterna. Quis recuset igitur mori, si ita Deo placeat? Ita Pater, quoniam sic placitum est ante te: paratum cor meum, paratum ad faciendam voluntatem tuam. Sive vivam, sive moriar, tuus sum.

4. Peregrinamur a Domino; hic in exilio sumus, patria nostra Cælum est: quis ad eam non festinet ex hac lacrymarum valle? Pater! non mea, sed tua voluntas fiat. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Resignationis impedimenta removenda. Notandum quod resignationem sæpe difficilem reddunt terrena, conjux, liberi, &c. hæc removeantur, nec colloquium de iis instituatur; nisi forte necessarium foret, jubeaturque infirmus eorum mentionem omittere, ac Deo committere: quia illa nihil utilitatis, multum vero incommodi affert illum affligendo, & impediendo quo minus ad bona majora se præparet. E Cælo, quo properat, plus illi auxilii impetrare poterit, quam vivus præstaret in terris.

Pater illorum Deus est, ipsi cura erit de illis. Brevi standum erit ante tribunal Dei; ibi quæretur de operibus nostris, non de aliorum felicitate. Christus nudus mortuus est in cruce, & nos mundo oportet mori, antequam moriamur.

214. Resp. III. Pro præparando animo ad patientiam servit, 1. Necesse est nos pati, quia homines sumus, quia exules, quia Christiani. Homo nascitur ad laborem, teste Jobo *cap.* 5. *Quasi flos egreditur, & conteritur, jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Vocamus sæpe terram hanc vallem lacrymarum, & nos exules filios Hevæ; quid ergo exspectare possumus, nisi adversa? Pati omnes necesse est, parvos & magnos, divites & pauperes, Reges & plebejos. Christiani appellari volumus: sacrum hoc nomen astringit nos, ut adversa libenter patiamur. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam:* non intrabimus in gloriam ejus, nisi per patientiam. *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam quotidie.* Lucæ 9. Ideo Christiani sumus, ut sequamur Christum, & cum eo patiamur: unde dixit Apostolus *Thes.* 3. *Nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus.* Rex passus est, non recuset pati famulus.

Motiva patientiæ.

Pati debemus, quia homines sumus.

2. Nos pati æquum est: peccando ereximus nos contra Deum; turbavimus ordinem rectum, qui exigit ut creatura Deo, servus Domino subsit; hic ordo restituendus, nosque Deo per adversa iterum subjiciendi. Proinde, si placet dulcedo misericordiæ, non debet displicere pulchritudo justitiæ.

Nos pati æquum est.

3. Pati utilissimum est: nam patiens adversorum perpessione purgat animam ab affectu ad terrena & illicita, adducitque ad amorem cælestium; delet cum magno merito debita peccatis contracta, quæ magnis pœnis sine merito in

Nobis utile.

altera vita eluenda essent: meretur magnam in Cælis gloriam: *Momentaneum & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, inquit Apostolus 2. Cor. 4. *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis*. Eccles. 25.

Et gloriosum. 4. Æquo animo nos adversa ferre, gloriosum est Deo & nobis: Deo quidem, quia Deo gloriosum est habere filios, qui paternum agnoscentes affectum, de manu ejus etiam dura libenter admittunt, qui in asperis etiam suam profitentur subjectionem, voluntque concurrere ad reparandam gloriam Patris; habere famulos, qui, seposita omni commoditate propria, in adversis patientes, ejus consilia, ordinationem & providentiam laudant, prompto animo omnia, seu corpus, seu animam spectent, excipiunt, suam in eum fiduciam & amorem, cum sui immolatione contestantes. Nobis autem gloriosum est: tum sic probamus nos veros Dei filios, & famulos fideles, ejus gloriæ studiosos, profitemur nostram in ejus providentia fiduciam subjectionemque; ejus in nos amorem quo in nostram salutem adversa immittit: tum quia sic conformantur Christo Regi gloriæ, quo nihil gloriosius. *In hoc vocati estis: quia Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. 1. Petri 2. *Communicantes Christi passionibus gaudete... Quoniam, quod est honoris & gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus spiritus, super vos requiescit*. 1. Petri 4. Hinc dixit S. Apost. Paulus 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Et S. Jacob c. 12. *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis*. Proinde Deum amanti etiam jucundum est pati.

Indecens & periculosum est ad- 5. Adversa a Deo immissa impatienter ferre valde indecens est & periculosum. Quid diceremus de infirmo, qui potionem amaram, ad sanitatem utilem valde, aut necessariam, recu-

ſaret a Medico peritiſſimo admittere? Quid de condemnato ad mortem, qui nollet manere aliquot dies incluſus, ut liberaretur a morte? Quid de debitore, qui oblato uno nummo nollet extinguere cum lucro ingenti debita immenſa? Ecce talis eſt homo, qui non acceptat æquo animo oblata a Deo adverſa. His vult Deus ſanare animas noſtras; vult remittere pœnam mortis æternæ; vult condonare magna debita per peccata contracta, & dare nobis divitias gloriæ æternæ: quis igitur non acquieſcat! *verſa impatienter ferre.*

6. Percurri poteſt tota vita Chriſti, quæ a primo ſuo momento uſque ad ultimum vitæ ſpiritum fuit mera paſſio, qui non habuit, in quo reclinaret caput ſuum; cujus morientis lectus fuit dura crux: hujus nos cohæredes eſſe volumus & erimus, ſi tamen compatimur. Caſtigat Dominus omnem filium, quem recipit. *Proponenda exempla Chriſti.*

7. Proponi poteſt exemplum B. Virginis & Sanctorum: illius animam doloris gladius pertranſivit: præſciens mortem Filii ſui duriſſimam & perſecutiones, compaſſa eſt viventi, & poſt ejus mortem paſſa contradictiones ab inimicis Chriſti. Sancti autem, quam diverſa non ſunt paſſi? In vetere quidem Lege Tobias, Patriarcha Joſeph; in nova Apoſtoli, & alii: Petrus crucifixus, Bartholomæus excoriatus, &c. Laurentius vivus aſſatus, &c. *B. Mariæ Virginis. Et Sanctorum.*

Tii actus & affectus alii per intervalla breviter cum infirmis exercendi.

Actus Fidei.

PRimo. Sapientiſſime & veraciſſime Deus! credo quæcumque revelaſti; ſufficit mihi verbum tuum. Tu es ipſa ſapientia & veritas, quæ nec fallere, nec falli poteſt. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. 215. *Breviores actus fidei, ſpei, & charitatis.*

2. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo: Pater, Verbum, Spiritus ſanctus; & hi Tres

unum sunt. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.

3. Credo, mi Deus! quod Filium tuum miseris in mundum, ut peccatores salvos faceret, quorum ego primus sum.

4. Credo remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam.

5. Credo quod Redemptor meus vivit, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.

6. Credo, bone JESU! quod nemo veniat ad Patrem, nisi per te; & nemo ad te, nisi Pater traxerit eum. Sine te nihil possum, sed de plenitudine tua nos omnes accipimus.

7. Tu es Deus Omnipotens, Sanctus, Immortalis, Creator, Conservator, & Gubernator omnium: ad imaginem & similitudinem tuam creasti me, ut tibi servirem, & salvus fierem. Miserere mei, & salva me.

8. JESU bone! tu Judex constitutus est vivorum & mortuorum: non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Actus Spei.

PRimo. In te Domine speravi, salvum me fac a persequentibus me, & libera me.

2. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam. Ego egenus & pauper sum, Deus adjuva me.

3. Miserere mei, quoniam tribulor. Deus meus es tu: in manibus tuis sortes meæ.

4. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

5. Adjuva me Deus salutaris meus; & propter gloriam nominis tui Domine libera me, & propitius esto peccatis meis propter nomen tuum.

6. Be-

6. Benignissime JESU! redemisti me Sanguine tuo: ne perdas cum impiis animam meam.

7. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ! tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe: memento, quanti steterim Filio tuo.

8. Angele Dei, qui custos es mei, ab hoste maligno protege me! &c.

Actus Charitatis.

PRimo. Diligo te Domine, fortitudo mea, refugium meum, liberator meus, & Deus meus.

2. Iste Deus meus, & glorificabo eum: in æternum cantabo misericordias ejus.

3. Quid mihi est in Cælo, & quid volui super terram? Diligo te Domine Deus meus: quia solus es omne bonum, magnus, & omni amore & cultu dignissimus.

4. Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum? Vivit Dominus, & benedictus Deus meus in æternum: in te, per te, & ex te sunt omnia.

5. Domine bonorum meorum non eges; attamen diligo te ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota mente mea, ex omnibus viribus meis. Amo te propter te; da, ut amem validius.

6. O bonitas æterna! sero cognovi, sero amavi te. Utinam numquam offendissem te! Pœnitet, ah pœnitet! Oculo misericordiæ respice miseriam meam. An damnabis pulicem unum? Da gloriam nomini tuo, & dimitte mihi universa delicta mea. In te speravi, non confundar in æternum: statui custodire mandata tua: Tibi vivam, quoad vivam.

QUÆSTIO V.

Quid agendum Confessario, si vocetur ad infirmum loquela, & sensibus destitutum?

216. *Absolvendus est, si signa pœnitentiæ det Sacerdote præsente.* RESp. I. Si loquela plane destitutus, signo vel nutibus significet pœnitentiam Sacerdote præsente, absolvendus: quia signa pœnitentis animi, quæ præsente mortis periculo eduntur, censeri debent ad absolutionem Sacramentalem directa; adeoque esse sacramentalis Confessio: nam in tali statu quivis optimum animæ suæ medium solet desiderare. Signa autem pœnitentiæ sunt: Pectoris percussio, elevatio manuum, vel oculorum in Cælum, aspectus intentus Crucifixi vel piæ imaginis, &c. Si prudens sit dubium, an hæc signa sint orta ex pœnitentia, an vero ex mœrore & mortis angustiis, absolutio danda esset sub conditione, ut consulatur reverentiæ Sacramenti. Dixi: *Si loquela plane destitutus*: nam si aliqua in specie posset confiteri, deberet & in primis mortale, si quod haberet, aperire, etsi non posset omnia.

217. *Vel dederit eo absente, quæ testentur alii.* Resp. II. Si præsente Sacerdote nullum dare posset pœnitentiæ signum, dedisset vero priusquam Sacerdos accessisset, idque idonei testes, immo etiam unicus præsens testaretur, absolvendus esset. Ratio est; quia signa censetur dedisse ut alii manifestarent, velut interpretes, Confessario suam pœnitentiam; sicque dolor & Confessio fit sensibilis Confessario & sacramentalis. Docuit hoc Concilium Arausicanum primum Can. 12. his verbis: *Subito obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat.* Et idem esset, si qui signa pœnitentiæ viderunt, non amplius essent præsentes infirmo, sed in platea Sacerdoti occurrenti indicarent. Ratio est eadem. Neque si moribun-

dus ratione & sensibus sit destitutus, magis fit Confessio Sacerdoti præsenti a teste præsente, quam absente; cum moribundus non sit præsens Confessario, ut cum eo humano modo possit agere: ergo sicut in primo casu Confessio absenti Sacerdoti facta in ordine ad absolutionem a præsenti accipiendam sufficit, & sic in casu secundo.

Resp. III. Moribundus, qui Christiane vixit, jamque sensibus & loquela destitutus, nec signa pœnitentiæ notatur dare, nec dedisse constat, sub conditione absolvendus est: tum quia ad extrema deducti censentur Deo velle conciliari, & Christiane mori; & sæpe dant signa, quæ non advertuntur data, ad absolutionem accipiendam: tum quia vita Christiane acta est testimonium quoddam voluntatis, & petitio tacita absolutionis: qui enim Christiane vivit, recte censetur velle Christiane mori, & petere extrema Christianis dari solita. Et hinc censetur, si potuit, dedisse signa pœnitentiæ. Hoc *Gormaz* & alii extendunt ad eum qui male vixit, modo fuerit Catholicus, si inveniatur sensibus destitutus: quia tales sæpe utuntur ratione, fidesque, quam in Christum professus est, præbet fundamentum judicandi quod velit Catholice mori, & ad hoc conetur; nec constat, an non dederit signa pœnitentiæ, quæ non sint notata. Unde si quis in duello cadat, tempusque intercedat inter lapsum & mortem, & præsumi possit adhuc uti ratione, censeri potest pœnitere, & sub conditione absolvi: quia vita Christiane acta est aliqua pœnitentiæ manifestatio non pro quocumque, sed pro tempore mortis instantis; & moriens præsumitur memor salutis, nisi clara det signa impœnitentiæ. Immo forte anhelitus ab eo dirigitur ad Sacerdotem pro absolutione. Hæc quidem incerta sunt, quia tamen non omnino improbabilia, consulendum est saluti animæ, ad quam Sacramenta instituta sunt, a quibus etiam

218. *Quid si nulla notatus fuerit dedisse?*

arcetur irreverentia in casu necessitatis per conditionem appositam.

219. *Quid si dubitetur an mortuus sit?* Resp. IV. Si Sacerdos ad infirmum veniens dubitet, an jam mortuus sit, adhuc debet eum absolvere: quia hic in dubio vita est in possessione, pro qua standum est. Idque, si signa pœnitentiæ ante dedit, etsi probabilius putetur mortuus: nam sæpe judicantur mortui, qui postea adhuc ad se redeunt. Nec desunt Medici, qui existimant animam aliquando manere unitam corpori uno alterove quadrante post mortem vulgariter existimatam. Retulit mihi celebris Medicus, puerum in aquam lapsum, & extractum plane apparuisse mortuum, igni autem dein applicatum rediisse ad se. Testantur quoque indubitatæ historiæ, quosdam qui ad horam videbantur mortui, immo sepulti fuerunt, ad se rediisse. Proin si incertum sit, an jam infirmus objerit, adhuc sub conditione absolvendus est, si signa pœnitentiæ dederit, aut dedisse prudenter præsumi possit secundum dicta. Hæc valent tantum pro Catholicis, nisi tamen hæreticus Sacerdotem Catholicum petiisset: quia hæretici non censentur signa dirigere ad accipiendam absolutionem sacramentalem.

220. *Si pactū cum Confessario inierit, ut in agone iterū absolvatur?* *Petes*. Quid sentiendum de pacto, quod moribundus jam confessus inivit cum Confessario, ut in agone adhuc semel absolvatur? Resp. Cum ad novam absolutionem, saltem extra casum necessitatis, requiratur nova accusatio, jubeat Confessarius ut absolutione accepta in genere iterum se accuset, & dolorem eliciat cum proposito: his præstitis potest eum agonizantem iterum absolvere, saltem nisi mora nimis longa inter agonem & præmissum dolorem intercessisset: hoc enim casu expedit renovare dolorem ante agonem. Si tamen in agone signa pœnitentiæ nova daret, absolvendus esset; uti & si non temere timeretur, ne delapsus sit in grave peccatum.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quando & quoties infirmis danda Communio; & extrema Unctio, & quomodo ad illa disponendi & inungendi?

RESP. I. Euchariſtiæ Sacramentum pro Viatico dandum infirmis, ſi ſint in periculo mortis; tunc enim obligat præceptum ſub mortali pro Viatico communicandi. Unde inducendi ſunt infirmi, ne cum periculo non accipiendi illud differant, & eximendus mundanus ille timor, quo nollent divulgari ſuam infirmitatem. Forma illius conferendi eſt: *Accipe frater* (vel ſoror) *Viaticum Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam, Amen.* Differt Viaticum ab ordinaria Communione: quia in hac gratia bene vivendi, in illo moriendi datur & petitur. Circa hoc nota, 1. Qui mane ſanus communicavit ex devotione, ſi deinde eodem die incidat in periculum mortis, juxta *Vaſquez* & alios probabiliter iterum communicare tenetur pro Viatico: quia præceptum mane non obligabat; ergo nec illi ſatisfecit. At communior cum *Suarez*, *Lugone* & aliis tenet, non poſſe iterum eodem die communicare: tum quia non licet eodem die bis communicare per præceptum Eccleſiæ prohibentis; tum quia mors erat vicina, quando communicavit; ergo ſatisfecit. Alii cenſent cum *Illſung*, poſſe quidem, eo quod non communicarit in periculo mortis; & Eccleſia tunc non prohibeat communicare bis eodem die: non teneri tamen, quia finis Viatici habetur, cum fuerit moraliter præſens mortis periculum. Hæ ſententiæ omnes ſunt probabiles. In praxi ſeligatur illa, quam potius ſequendam hic, & nunc circumſtantiæ, devotio, & neceſſitas infirmi ſuadebunt.

221. *Viaticum mature dandum infirmo.*

2. Qui

Quid si ante octo dies communicavit? 2. Qui ab ultima Communione post octo dies incidit in periculum mortis, juxta probabiliorem tenetur iterum communicare; quia periculum ante octo dies satis propinquum non erat. *Suarez* tamen, *Lugo*, *Aversa*, *Illsung.* & alii probabiliter tenent non teneri, quia habetur finis præcepti, qui est per Communionem se disponere ad mortem vicinam: ergo præcepto satisfactum est, quamvis mors non fuerit prævisa; erat enim vicina. In praxi tali iterum danda Communio, tum propter ædificationem populi, tum ad infirmum melius ad mortem disponendum.

Si non sit jejunus? 3. Si infirmus non possit commode exspectare, aut Parochus altero die difficulter possit Viaticum ministrare jejuno, potest communicare non jejunus, quod & sæpe potest in infirmitate eadem diuturna: quia Concilium Constantiense & Ecclesiæ consuetudo videtur absolute a præcepto jejunii eximere periculose infirmos, si commode non possint manere jejuni. Putat *Dicast.* & alii, posse toties, quoties posset sanus jejunus: sed spectanda est praxis & consuetudo loci, devotio & necessitas infirmi. Si infirmus heri aut ante dies aliquot communicasset ex devotione, posset hodie iterum communicare pro Viatico; non tamen teneretur.

Si rejiciat omnia? 4. Si infirmus ex indispositione stomachi, quæ sumit ejiciat omnia, non est illi danda Communio ob irreverentiam certam. Habet quoque communior & probabilior, quod in dubio, an rejecturus sit sacras species, non sit danda: hoc tamen casu posset dari infirmo minima particula etiam in liquore, vel jusculo, licet hoc moraliter certo sit prius descensurum. Potest etiam prius dari particula non consecrata, & hanc si retineat, dari deinde Communio; non vero si rejiciatur.

Si continua tussiat? 5. Continua tussis non obest Communioni; quia si species possint ad stomachum descendere,

dere; non est periculum eas ideo ejiciendi: quia via, qua sputa, etsi ascendant e pectore tussiendo, excutiuntur, non est via cibi & potus ad stomachum, sed via respirationis ad pulmones. Immo putant *Tann. Reiff. Gobat*, posse dari in dubio, an sit rejecturus: eo quod fructus certus Communionis, qui haberetur, etsi species rejicerentur, & necessitas infirmi excusent ab irreverentia, quæ tunc tantum foret materialis. Hoc practicari videtur posse, si longe probabilius videtur non rejecturus: immo *La-Croix lib. 6. part. 1. num. 653.* docet ex *Gobat*, non teneri abstinere a Communione, qui aliquoties per diem vomit: quia non est morale periculum, ne id eo præcise tempore eveniat.

Si rejiciat sacras species?

6. Si infirmus rejiciat sacras species, & purgari possint, purgandæ sunt, & suo tempore sumendæ: si autem purgari non possint, nec tam cordatus esset qui vellet sumere, comburendæ non sunt, sed aquæ immittendæ in vase, donec dissolvantur, aut bacillo dissolvi possunt; & dissolutæ ita, ut desinat esse species panis, mittendæ sunt in sacram piscinam, si adsit. Si autem quis paulo post Communionem revomeret, & species non apparerent, *Rubrica Missalis de defectibus tit. 10. num. 14.* præscribit, ut vomitus comburatur, & cineres in sacrarium mittantur.

Si non possit deglutire?

7. Si infirmus non possit deglutire species panis, danda illi minima particula hostiæ cum vino, vel jusculo potius, quam Communio sub speciebus vini. Monet autem *Gobat*, Sacerdotem ad infirmum debere secum deferre duas hostias, ne postea in reditu obviantes adorent pixidem vacuam: nisi tamen deferret in pixide, quæ postea non esset deferenda publice.

An dandum reis?

8. Viaticum dandum est reis ad supplicium deducendis, prægnantibus proximis partui, præsertim periculoso, omnibus adituris pro-

ximum

ximum vel probabile periculum mortis, in quo postea videtur dari non posse: hi enim omnes tenentur sub gravi ad illud, nisi non ita diu ante communicassent. Si tamen quis durante periculo mortis peccasset graviter, non teneretur communicare denuo in eodem periculo. Non autem dandum ebrio moribundo, si constet quod voluntarie se inebriarit, aut sic se inebriare soleat. Si autem sobrius ratione usus censeretur modo non uti, dandum foret, nisi positive constaret esse in mortali. Ratio est, quia si aliud non constet, potius præsumitur esse in statu gratiæ, quam peccati; favendumque potius homini, pro quo Sacramentum est institutum, cum existenti in gratia certo prosit, immo probabiliter in attrito tantum causet primam gratiam, nec periculum sit irreverentiæ, nisi forte materialis.

Privato ratione?

An amenti?

9. Dandum adulto in dubio, an ex amentia sit privatus usu rationis: item illi, qui usum rationis habuit, nec scitur amisisse in mortali, ut docet *S. Thomas* 3. *p. q.* 80. *art.* 9. *in* 6. saltem si prius ostenderit devotionem ad illud, vel bene vixerit, & habitus ut vir bonus. Ratio jam data est; estque probabile, sufficere voluntatem interpretativam. Si tamen sciretur incidisse in amentiam paulo post mortale, nec adessent signa positiva pœnitentiæ, dandum non esset: quia semel malus præsumitur semper malus, nisi sit fundamentum præsumptionis oppositæ.

An semifatuo?

10. Dandum quoque semifatuo, vel debilem usum rationis habenti, si censeatur capax absolutionis, & absit periculum irreverentiæ; frustra enim exspectatur plenior usus rationis. Item phrenetico vel deliranti, si alligatus admittat alios cibos; modo tamen absit periculum irreverentiæ. In dubio posset dari hostia non consecrata, & hanc si reverenter accipiat, dari poterit consecrata. Ita *La-Croix l.* 6. *p.* 1. *n.* 660. Item dari debet energumeno seu obsesso.

ſo. Etſi dæmon impediat quo minus profiteatur Chriſtum præſentem, ſemper tamen abeſſe debet periculum irreverentiæ.

11. Dandum quoque adulto a nativitate, *Surdo & muto?* ſurdo & muto, qui inſtrui poteſt per ſigna, ut diſcernat cibum ſpiritualem a corporali: ſi tamen ſimul a nativitate cæcus foret, eſſet incapax, & æquiparandus perpetuo amenti, cui dari Euchariſtiam prohibet Rituale Pauli V.

12. Pueris quoque, ut inſinuavi num. 191. *An pueri?* dandum eſt Viaticum, etſi ante non communicaverint; modo judicentur uti ratione, & inſtrui poſſint: quia tum obligantur præcepto divino, & Sacramentum certo illis proderit; immo prodeſſet, etſi uſum rationis non haberent. Unde & in dubio poſſeſſio eſt pro libertate. In dictis caſibus ſemper præmittenda abſolutio, ſi poſſit.

Notandum tamen, quod cum pueri per ætatem non habeant ſufficiens judicium, quo ſatis æſtiment hoc Sacramentum ſanctiſſimum, extra periculum mortis raro admittendi ſint ad Communionem, niſi præferant ſpiritualem aliquam famem, & ſolito diligentius ſe præparaverint; quia frequentia inducet facile vilipenſionem, facietque ut potius ex conſuetudine accedant, quam devotione: ſi autem retardentur, & inculcetur dignitas Sacramenti, fructum majorem participant ex una Communione, quam alias ex pluribus. Ita fere *La-Croix num.* 653. 222. *An Communio frequenter danda pueris?*

Reſp. II. Purgata per Pœnitentiæ Sacramentum anima excitandus infirmus, priuſquam detur Viaticum, ad magnum deſiderium, Chriſtum ſuſcipiendi, ad vivam fidem, firmam fiduciam, & ardentem charitatem. *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo.* Joann. 6. O mira pietatis dignatio! *Qui manducat me, vivet propter me. Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Joann. 1. O inæſtimabilis dilectio charitatis! *Si filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæ-* 223. *Quomodo ad Viaticum diſponẽdus infirmus.*

pedes autem Christi. Ecce charissime frater, quanta dignatio, quanta Dei charitas, quæ animæ tuæ æstimatio! Veniet ad te Deus ipse, Salvator tuus amantissimus, ut te pascat, soletur, confortet, illuminet, bonis suis ditet, &c. Quid retribues ei? Non exigit a te, nisi ut ipsi te plene resignes, ei fidas, eum diligas, patienter sustineas. *Fili præbe mihi cor tuum.*

Hic præeatur infirmo in breves actus fidei, spei, charitatis, contritionis, resignationis, patientiæ, dilectionis proximi: verb. gr. Tu es Christus Filius Dei vivi: hoc credo, non quia caro & sanguis, sed quia Pater cælestis revelavit. In te Domine spero, quia apud te misericordia & copiosa redemptio. Diligo te Domine, fortitudo mea, refugium meum, & liberator meus: quia Deus meus es, omne bonum. Utinam te dilexissem semper, & te numquam offendissem! Desidero te millies, mi JESU, quando venies ad me? Tibi corpus animamque committo; nihil opto amplius, quam ut impleatur in me tua sancta voluntas. Iram tuam merui, probato eam; quoniam ego peccavi, & offendi benignissimam faciem tuam. Tui amore ignosco omnibus, tu quoque pro misericordia tua ignosce mihi. Sumpta Communione possunt ejusmodi actus repeti, & dici: *Anima Christi santifica me. &c.*

224. *Disponendus infirmus ad extremam Unctionem.* Resp. III. Quando infirmitas est periculosa, monendus & excitandus infirmus, ut suscipiat Sacramentum Extremæ Unctionis, exponendo illi ipsius effectus; quod nempe conferat gratiam, purget animam a reliquiis peccatorum, roboret contra tentationes dæmonis, conducat & expediat ad salutem, ad recuperandam corporis sanitatem; uti testatur Scriptura, idque ex opere operato, seu vi institutionis suæ. Unde Cardinalis Bellarminus ait: Ideo rariores ægros sanari, quia differunt sacram Unctionem. Proinde si æger laborat mala persuasione, ideo jam actum de sanitate recuperanda, eximenda

est

est illi. Habeo a medico, quod plures infirmi, qui valde periculose decumbebant, accepta sacra Synaxi statim melius habuerint, & dein convaluerint. Quod si accedat & sacra Unctio, quæ etiam ad corporis sanitatem restituendam instituta est, plus spei erit; animo nimirum confortato & corpus roboratur. Nec omittat Sacerdos plebejis eximere persuasionem, quod non liceat injuncto deinceps saltare, vel nudis pedibus incedere, ubi semel extremam Unctionem acceperint. Deinde eliciantur pii affectus, ut supra, vel fides de hoc Sacramento, spes obtinendi promissa, amor Dei tam boni, gratiarum actio pro occasione suscipiendi Sacramentum hoc, cujus fructu tam multi destituuntur. Dumque inungitur infirmus, occupare se piis affectibus: JESU, Filii Dei vivi, miserere mei! Propitius esto mihi peccatori! Bone JESU, dic animæ meæ: Salus tua ego sum! &c. Demum peracta inunctione animetur ad fiduciam sanitatis, si ita expediat; simul tamen ad perfectam resignationem, finiaturque consuetis orationibus. Quod si in morbo diuturno periculum post datam sacram Unctionem desinat, & dein iterum redeat, iterari extrema Unctio potest: iterata tamen in eodem morbo & periculo esset irrita, uti & collata non graviter vel periculose laboranti. Hinc tali adveniente periculo iterum danda, si data extra periculum fuisset.

Resp. IV. Danda extrema Unctio tantum, quando constituti sunt infirmi in periculo mortis ex infirmitate corporis, v. g. febri, læsione, indispositione, vel debilitate corporis. Hinc danda est reo, qui sumpto veneno exspectat mortem; existenti in periculo mortis ob sanguinem e naribus fluentem, qui sisti non possit; puerperæ, cui ob specialem rationem timenda mors; senibus deficientibus: non tamen suspendendo, vel capite plectendo; nec ituris in prælium; nec cui pes abscindendus. 225. *Danda solis constitutis in periculo mortis ex indispositione corporis.*

Ra-

Ratio est, quia hoc Sacramentum institutum tantum est pro infirmis. Priores infirmi sunt, non posteriores: & pede minuendi, ordinarie cito non deficiunt.

Omnibus adultis regulariter. 2. Danda quoque est, per se loquendo, omnibus adultis ratione aliquando usis, si non constet esse in mortali non retractato, absitque periculum irreverentiæ. Unde danda est furiosis, lapsis in amentiam, ebrio deficienti, vulnerato in duello, si tempus superfuit pro contritione, quod in dubio præsumendum est. Ratio est, quia in bonum animarum Sacramenta sunt instituta, sufficitque hic intentio interpretativa: & quamvis, per se loquendo, ad fructum hujus Sacramenti requiratur status gratiæ, cum sit Sacramentum vivorum; per accidens tamen potest attrito conferre primam gratiam. Nec hic periculum est irreverentiæ, nisi materialis forte, quæ permitti potest ob necessitatem & bonum animæ, quod speratur.

Etiã pueris ratione usis. 3. Danda est pueris sufficientem usum rationis habentibus ad peccandum, etsi sacram Eucharistiam non accepissent: tum quia, cum pueri quandoque peccent graviter, inde aliquando salus eorum dependere potest; tum quia hoc Sacramentum confert gratiam & robur, conducitque ad sanitatem. Unde dari potest illi, qui post Baptismum numquam peccavit, v. g. qui in extremo mortis periculo baptizatur. In dubio an puer, vel alius æger umquam sit usus ratione, inungendus est ob rationem datam. Idem est in dubio alio quocumque, v. g. an sit in mortali, an sit periculum mortis: quia in extrema necessitate præsumendum est in favorem hominis, pro quo sunt Sacramenta instituta.

226. *Quæ partes inungendæ?* Resp. V. Per se seorsim inungenda sunt organa quinque sensuum, vel si unum desit, pars propinqua: quia probabilius talis quinque sensuum inunctio est de essentia hujus Sacramenti. Per se quoque pro singulis sensibus adhibenda

pe-

peculiaris forma exprimens sensum; v. g. pro visu: *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deliquisti.* Et sic de aliis sensibus. Si mora non permitteret, specialem formam adhiberi omnibus, inungendi sunt cito omnes sensus etiam sine cruce, & pronuntianda hæc forma: *Per istas sanctas Unctiones & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, gustum, &c. deliquisti.* Si mora vel occasio nec hoc ferret, posset inungi frons, utpote sedes sensuum per prædictam formam, vel per hanc: *Per istam sanctam &c. indulgeat tibi Deus, quidquid per omnes sensus deliquisti.* Hæc autem sub conditione fiant, sique æger supervivat, repetantur inunctiones singulorum sensuum sub conditione. Si dubitet, an æger sit mortuus, prosequatur sub conditione: *Si vivis, per istam, &c.* In his casibus non est opus servare ordinem præscriptum sensuum, nec opus est utramque, v. g. aurem, oculum inungere. Pro inunctione adhibendum est oleum infirmorum ab Episcopo benedictum: quod si deficiat, per annum potest modicum de non benedicto affundi. Si per errorem chrisma esset adhibitum, probabiliter valet Sacramentum; repetenda tamen esset inunctio, si fieri commode posset, sub conditione.

Porro conferens hoc Sacramentum debet esse Sacerdos. Valide conferre potest quivis, licite tamen non potest, nisi Parochus, vel alius, de ejus licentia. Parochus sub mortali tenetur ex justitia, etiam in morbis contagiosis; etsi qui aliis Sacramentis instructus, hoc Sacramentum petere sine contemptu & scandalo negligeret, juxta communionem non nisi venialiter peccaret: quia hic potest magnum bonum non necessarium sine gravi omittere, non tamen Pastor negare. Vide plura apud AA.

QUÆSTIO VII.

Quæ præterea in visitatione infirmorum observanda?

227. *Curanda in cubiculo infirmi, & post obitum agenda.*

RESP. Seqq. 1. Curetur ut in cubiculo infirmi altum servetur silentium, nec quosvis admittat ad alloquium, sed eos tantum, quorum consuetudine sublevetur infirmus.

2. Si morbus sit periculosus, jubeatur infirmus totus esse in negotio animæ suæ, nec sermones profanos admittere; & arceantur nimis crebræ visitationes & complorationes parentum, liberorum, consanguineorum, uxoris; & maxime aspectu eorum, ex quibus posset tentatio ad peccatum reviviscere.

3. Curetur, ut sacræ Christi Crucifixi imagines, B. Virginis, Angeli Custodis, &c. ob oculos decumbentis ponantur; sitque ad manum aqua lustralis, qua frequenter aspergatur infirmus, & fugentur infestantes dæmones.

4. Moneatur suaviter de mortis periculo, & breves affectus pii suggerantur.

Quid si infirmus sit sensibus destitutus?

5. Si sensibus videatur destitutus, suggerenda ei sacra nomina, & eliciendi sunt breves actus fidei, spei, charitatis, resignationis, &c. sed non nimis alta voce; quia experientia constat, ægris acutum esse auditum, & graviter affligi voce altiore. Juvat ad cranium capitis potius formare voces, quam ad aures ipsas. Successive auribus infirmi ingeri potest: JESU, Filli Dei, miserere mei! Maria, Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu me ab hoste protege! nunc te monstra esse Matrem! Angele Dei, Custos mei, defende me, ne peream! Domine JESU! per amaritudinem illam, quam pro me in cruce sustinuisti, maxime cum benedicta anima tua egrederetur de corpore tuo, mi-

miserere animæ meæ in egressu suo. Beatæ animæ, quibus quoquo modo solatium attuli aliquando, nunc mementote mei! &c.

Si morbus sit contagiosus, quæ cautela adhibenda?

6. Si morbus sit contagiosus, exquirat media, quibus præcaveatur ne Sacerdos & infirmo servientes inficiantur. Caveat in primis, ne propinquius accedens attrahat halitum infirmi, aut nidorem movente se infirmo ex lecto provenientem; sedeat ad caput infirmi, non ipsum inter & ignem, vel fenestram, quibus aer infectus attrahitur. Curet fieri, priusquam intret in cubiculum infirmi, suffitum ex granis juniperi, & flammam ex ligno ejus; si hæc non præcesserint, aperiens januam contineat nonnihil halitum, aut aperta janua nonnihil expectet: aperta enim hac aer infectus copiosior ipsi se offert. Dum adest infirmo, ne deglutiat salivam, sed moderate exsputat. Ne timeat, quia timor cor costringit, & impedit quo minus venenum repellatur, habetque imaginatio vim miram in corpus, ut patet in prægnantibus. Confidat proinde in Domino, cujus causam agit. Juvat quoque uti balsamo ruthæ hortensis, vel zeduaria, aut mane sumere duo grana piperis albi, & jejunare. Sumpto cibo accedere infirmos minus expedit, quia venenum, quod attrahitur, in illo receptum, cum alimento se diffundit in sanguinem.

Quid dicendum defunctii conjunctis?

7. Soletur, si expediens sit, defuncto conjunctos, ubi decesserit, his aut similibus: Sicut placitum fuit coram Deo, ita factum est. Is laudandus est in omnibus, novit ille quid cuique magis expediat, & paterne ordinat omnia. Non habemus hic manentem civitatem, sed peregrini sumus super terram, ea lege nati ut transeamus per mortem ad vitam felicem. Nescimus diem neque horam, qua transeundum nobis sit, & quando nobis magis conducat; novit id Pater noster: acquiescamus igitur ejus voluntati. Dilecta fuit Deo anima de-

functi, ideo properavit illam educere de medio iniquitatum, & ex periculis eripere. Non invideamus ejus felicitati: commodatus nobis fuit, repetiit illum Deus. Gratias agamus, quod tanto tempore nobis indulserit illum; multi suis orbati sunt maturius, invenit tamen Deus modum quo juvaret eos; inveniet etiam quo juvet modo. Ipse melior est, quam decem filii, amici, &c. Hæc dicenda sunt fidenter, non animo vel voce tristi, alias movebuntur consolandi ad majorem tristitiam. Adduci quoque possunt exempla eorum, qui mortem suorum forti tulerunt animo. Talis fuit Beatissima Virgo, Mater Machabæorum, S. Felicitas, quæ septem filios coram spectavit morte affici, & animavit eos. S. Franciscus Borgias, qui intelligens conjugis dilectæ mortem nihil motus dixit: Deus illam nobis commodaverat, eamdem jam repetiit; agamus gratias, quod tam diu eam nobis indulserit. Poterunt etiam circumstantes hac occasione excitari ad vitam Christianam.

CAPUT VII.

Quomodo tractandus homo odio vel inimicitiis implicitus, & condonare nolens?

228. *Quomodo examinandus accusans se de odio?* RESP. I. Si quis de odio contra proximum se accuset, advertat Confessarius, & inquirat an vero odio laboret: sunt enim, qui de odio se accusant, & odio non laborant; sunt quoque qui odium fovent, & in corde coquunt, & tamen dicunt se iis, a quibus offensi sunt, favere omne bonum. Proinde de hoc se accusantes excutiendi sunt, in quo situm sit illud odium? Sicut amare alterum, est velle & procurare illi bonum, de ejus bono gaudere, malis ejus indolere; sic alterum odisse, est velle illi inferre, vel inferri malum, de illius malis gaudere, & de bonis dolere. Si

exa-

examinatus ex his postremis nihil habeat, proximoque communia & debita charitatis officia & signa præstet, etsi queratur se aversionem experiri contra illum, & moveri sanguinem dum illi obviat; odio voluntario non deprehenditur laborare, monendusque est ut pro illo oret; defectus ejus excuset; apud alios bene de ipso loquatur; illius alloquium quærat: sic enim aversio & displicentia, quæ silentio pressa fovetur & manet, dissipabitur. Si autem communia & debita charitatis signa & officia neget, etsi dicat se avere illi omne bonum, odio laborat.

Resp. II. Qui deprehenditur odio laborare, ei sua declaranda est obligatio. 1. Etsi offensus possit exigere pro injuria illata satisfactionem, tamen proximo suo malum velle licite non potest, ut illi malum est; est contra ordinem charitatis. 2. Tenetur ostendere communia signa charitatis, & tollere scandalum, si quod adsit. 3. Non ostendere signa inimicitiæ; quia lex, qua prohibemur odisse inimicum, prohibet signum odii. Unde interrogandus talis, a quo tempore foverit odium, an mala optaverit, voluerit inferre, & quæ? An gavisus de alterius malis, inviderit bona? Quoties tales actus, interruptos moraliter, repetiverit per hebdomadam, &c. Deinde, an adversarium sit allocutus? Si dicat, procul absit, nimia erat injuria; an saltem salutanti responderit amice? Si neget, ex natura sua gravis est contemptus, & pars vindictæ repugnans charitati, nisi salutatus esset multo superior, vel conditione, vel officio, aut præcedens injuria ita levis fuisset, ut illi adscribi non possent omissiones illæ: immo licet sermocinatio & salutatio de se sint signa specialia benevolentiæ debita proximo non ex præcepto, sed dumtaxat ex consilio; in praxi tamen ex circumstantiis evadunt communia, & ex præcepto debita, ut quando inimicitia est publica, vel offensus so- 229. *Quomodo agendum cum reo odii?*

litus est ante acceptam injuriam salutare & alloqui, vel sermones miscet cum ceteris suæ communitatis, omnesque salutat, eo prætermisso.

230. *Inducendus, ut ex corde ignoscat.* Resp. III. Peracto examine inducendus est pœnitens ut odium deponat, & ex animo ignoscat, statuatque se reconciliare cum adversario, & communia signa & officia charitatis exhibere. Si dicat, Ignosco, sed non adibo ædes vel nuptias, &c. Attendendum, an non adire sit signum veteris rancoris, intus latentis, ut si frater fratris, vel consobrinus consobrini nuptiis adesse nollet, non habens aliam causam, quam nuperam offensam. Et hoc casu incapax est absolutionis, uti & si nollet salutantem resalutare sibi non multo inferiorem; hæc enim vindicta foret, eaque scandalosa. Ordinarie tamen, etsi suadendum sit, pœnitens non est obligandus ad salutandum primo, si ipse sit affectus magna injuria, vel sit conditione multo major; & multo minus, si salutans sciret se non resalutandum. Quamquam hac in re non facile credendum pœnitenti, utpote in causa propria, eaque lubrica. Si his se non det, ostendatur illi primo necessitas ignoscendi, & charitati satisfaciendi: Quid petis in oratione Dominica? *Dimitte*, inquis, *nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Vis tibi dimitti, ut tu dimittis? an non oras contra te? Quid dixit in Evangelio Dominus servo, qui noluit dimittere conservo suo? *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* Quid fecit dominus illius servi? Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet omne debitum. Quid Christus infert? *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Quid dicit Christus Matthæi 5.? *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, &c.* Ecce agitur de

Motiva ignoscendi.

ani-

animâ tuâ, quam habes unicam, quæ unice tua est, quæ est thesaurus tuus, quam Christus tanti fecit, ut pro ea poneret dilectam animam suam, ut redimeret eam in sanguine suo; nisi remittas proximo, actum est de ea. Miserere animæ tuæ, & vindictam relinque Deo, qui inquit: *Mihi vindicta*. 2. Si his non emolliatur, proponatur illi, quam gloriosum sit ignoscere: est enim victoria maxima, & gravissimum Deo sacrificium: *Diligere proximum suum, sicut se ipsum, majus est omnibus holocautomatibus & sacrificiis*. Marci 12. Est maxima apud omnes prudentes laudis materia, & gaudii apud Angelos. *Res pro martyrio tibi computabitur*, inquit S. Chrys. Homil. 3. de Saule & Davide, *si insidias molientem inter bene meritos numeres*. Si ergo gloriam quæris, quam falso in vindicta apprehendis, hanc tibi appropria. Nonne laudabile est in S. Catharina Senensi, quod pus suxerit e vulnere feminæ suæ calumniatricis; in S. Ambrosio, quod stabilem victum assignaverit cuidam sicario, qui ei necem moliebatur; in S. Achatio, quod vasa sacra quoque vendiderit, ut quibusdam succurreret, a quibus graviter fuerat diffamatus? 3. Exponatur utilitas condonationis, & consequens delectabilitas: nam elevat ad dignitatem filiorum Dei, juxta illud Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est*. Aperit januam misericordiæ divinæ: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Animam liberat molesta illa tortura aversionis, quam circumfert. *Qui pacis ineunt consilium, sequitur eos gaudium*. Prov. 12. Non datur hic medium: aut condonandum, aut renuntiandum dignitati & hæreditati filiorum Dei: aut deponenda vindicta, aut spes misericordiæ. Demum ingentia debita extinguit, peccando contracta. An non libenter aliquot asses debitori tuo remitteres, ut tibi

vicissim ab ejus domino aliquot millia remitterentur? 4. Proponatur quam decens sit, ut remittat: Deus toties tibi dimisit, desideratque ut remittas inimicis tuis; an id ei negabis? Christus oravit in cruce primum pro suis adversariis, ut nobis exemplo suo adderet animos ad nos hoc in genere vincendos; an exemplum hoc contemnes? Desiderat Christus, ut ignoscas, an, si coram id a te peteret, velles ei id negare? Vis in Cælo aliquando gaudere cum electis Christi fratribus, & amore cum illis in Deo jungi, cur non incipias modo? 5. Exponatur quod adversa omnia nobis obveniant a Deo, ut nos vincamus, & immolemus ejus dispositioni. Item quam fragilis sit homo, quam facile impingant, quot modis impellatur a dæmone, & naturæ corruptæ inordinatis affectibus, ut proinde dignus sit potius misericordia, quam ira. Consulat propriam experientiam, inveniet quod & ipse sæpe impegerit, & tamen cupit ignosci. Si dicat: Injuria est nimis gravis, quam vilis homuncio mihi intulit. Respondeatur: An non graviora sunt, quæ Deo intulisti, & vis tibi ignosci? Ne vilem dixeris, quem Deus & in filium adoptavit, & Christus in fratrem. Animam attende. Si replicat: Sanguinis nobilitas & honor meus postulat, ut vindictam sumam. Respondeatur: Nobilitas in virtute, qua Deo assimilamur, sita est; ex eadem massa sumus omnes. Famam & honorem optime tueberis, si Christum Regem gloriæ imiteris. Si ad tuum ac familiæ honorem est necesse injuriam puniri, noli involare jurisdictionem alienam, sed ini viam a Deo constitutam, & Judicem implora, sed ex bono zelo, procul omni inordinato appetitu vindictæ. Si respondeat: Ignoscam, sed oblivisci non potero. Respondeatur: Ignoras forte quid dicas. Recordaberis forte injuriæ; at noli sine renovata condonatione. Si animo vindictam foveas, aut resumas, incides in manus

vin-

vindicantis Dei, qui impunem te non dimittet; forte etiam in hac vita. Experti id sunt permulti. Ad Martyrium ductus Sapritius Sacerdos, quia noluit inimico ignoscere, lapsus est in idololatriam, & idolis immolavit, & corona Martyrii alteri delata est. *Surius 9. Febr.* Mulier, ut testatur Bernardinus Senensis serm. 15. Quadrag. negans petenti veniam, a dæmone abrepta est. Alia in morbo viaticum sacrum acceptura, vultum avertit, dicens: *Sicut ego averti vultum meum, aliis nolens ignoscere, sic Deus nunc avertit vultum suum a me*: atque ita vivere desiit. Si vis videri fortis, ignosce, & parvi pende inimici injurias: *Nihil*, inquit S. Hieron. in Epist. ad Hebr. *ita confusam facit injuriam agentis, sicut fortis, & mitis patientia tolerantis, & neque in opere, neque in lingua se vindicantis*. Et ad Eustochium: *Apud Christianos non qui patitur, sed qui facit injuriam, miser est*. Similiter miser est, non condonans: sibi nempe, non alteri nocet; similis cani, qui lapidem, quo petitus fuit, rodens, dentes obtundit. Optimum vindictæ genus est, rem Deo permittere. Hæc si non juvent, & occasio permittat, Confessarius provolutus ad genua obstinati cum imagine Crucifixi in manu, petat per dolores Christi, ut, si non inimico, saltem Christo donet injuriam, qui omnium peccata in se suscepit, & dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Si non cedat, dicatur: Absolvi eum non posse, nec veniam a Deo sperare, nisi ignoscat. 6. Si alias promisit, quod vellet se reconciliare, & communia charitatis signa adversario exhibere, & non fecit, ordinarie absolvi non debet.

Resp. IV. Si ignoscere se dicat, difficulter tamen, ut in concepta voluntate firmetur & perficiatur, jubeatur orare pro inimico, Sacrificium Missæ offerri curet, aut offerat, ejus salutem commendet B. V., aliaque charitatis obsequia præstet. Consideret exemplum Christi, alia- 231.

Media deponendi spiritum vindictæ.

aliaque jam adducta motiva. Id quod & suadendum nolenti ignoscere. Caveat autem Confessarius, ne videatur velle agere advocatum adversarii, sed potius ostendat se quærere bonum offensi. Si tamen injuriam gravius apprehenderet, quam revera sit, ostendi ei posset veritas, & generosi non esse talem injuriam non posse remittere; si vero gravis sit, eo generosius &c. esse remittere.

CAPUT VIII.

Quomodo procedendum cum obligato ad restitutionem?

232. *Radices restitutionis.* RESP. I. Observet principia generalia, hac in re auctoribus probata; quorum primum est: Obligatio restituendi secluso speciali contractu oritur tantum vel ex re aliena, in se, aut in æquivalenti existente, vel ex injusta damnificatione, aut utraque simul. 2. Qui possedit rem alienam bona fide, tenetur ad rem in se, si adhuc existat, vel ad æquivalens, si habeat illud, aut in quantum ex illa factus est ditior. Idem tenetur ad fructus naturales & mixtos, in quantum naturæ rei respondent nondum præscriptos, saltem si in se adhuc existant. Qui autem mala fide rem alienam possedit, insuper tenetur ad lucrum cessans, & damnum domino rei emergens. 3. Qui injuste alium damnificavit, tenetur eum servare indemnem; sique rem adhuc habet, eam in individuo restituere, nisi sciatur dominum esse contentum, ut restituatur in æquivalenti. 4. Res fructificat suo domino; si autem sint fructus non rei, sed mere industriales, ut lucrum ex aliena pecunia per negotiationem acquisita, illud domino rei non debetur. Lucrum tamen cessans & damnum emergens ei compensandum foret, nisi excusaret bona fides. 5. Ex sola damnificatione nemo tenetur, nisi

mo-

mortaliter damnificando peccaverit contra justitiam, compensare damnum grave. 6. Concausa damni, ut mandans, suadens, mutus, receptans, &c. tenentur ad restitutionem, si vere in actu secundo influxerint per peccatum injustitiæ in damnum: secus non tenentur. 7. Si plures ad idem damnum concurrerint, 1. Tenentur apud quem res in se vel in æquivalenti adhuc existit. Si non existat, primo loco tenetur principalior causa, in hujus defectu alii. Dominus enim rei debet servari indemnis, ita ut teneatur etiam unus ad totum damnum, nisi forte absque illius concursu nihilominus fuisset illatum totum. 8. Res immobiles corporales bona fide possessæ regulariter præscribuntur inter præsentes, seu ejusdem territorii, & sub eodem præfecto vel judice domicilium habentes intra decennium completum cum titulo; inter absentes seu domicilium habentes sub diversis præfectis vel judicibus intra vicennium completum pariter cum titulo; res autem corporales mobiles intra triennium bona fide, & cum titulo possessæ præscribuntur inter privatas, si sint aptæ præscribi. Dixi, *regulariter*; quia variæ res excipiuntur, quæ ad privatos non spectant, de quibus videndum in tractatu de justitia & jure.

Resp. II. Causas quoque a restitutione excusantes perspectas habeat: quæ respectu bonorum fortunæ sunt præscriptio, remissio creditoris, compensatio aliunde facta, impossibilitas restituendi, vel absolute, vel nonnisi cum gravi jactura famæ, vel status juste acquisiti, cessio fori, si adsint conditiones referendæ in Theol. morali Pag. 3. num. 354. &c. Respectu famæ autem, recuperatio famæ aliunde facta, deletio infamiæ per oblivionem criminis inducta inter homines, condonatio facta, aut prudenter existimata, impotentia restituendi sine graviori damno, amissio famæ alia via facta, negatio restitutionis, 233. *Causæ excusantes.*

nis, famæ tuæ non minus læsæ ab infamato a te.

234 *Quando monendus, & obligandus ad restitutionem?* Resp. III. Deinde observet sequentia. 1. Si pœnitens prudenter judicetur scire obligationem suam, eidemque velle satisfacere, etsi non teneatur tunc monere Confessarius; consultius tamen est monere, v. g. non dubito quin scias obligationem tuam, velisque, quod debes, exequi. 2. Cum onus restituendi sit admodum grave, sitque pœnitens in possessione bonorum suorum & famæ, si sit sententia passim reputata probabilis, quæ pœnitenti faveat, ad restitutionem ordinarie obligandus non est; quia in dubio favendum est possidenti, & obligatio dubia certam solutionem non exigit. 3. Si casus difficilior occurrat, non resolvat illico Confessarius, sed moram rem domi expendendi, aliosque consulendi licentiam petat; & jubeat dein ad se redire. Hoc si facere commode pœnitens non possit, jubeatur consulere alium virum, timoratum & doctum; quod si facturum se recipiat, paratumque se ostendat ad præstanda, ad quæ tenetur, absolvi potest. 4. Si putaret Confessarius, in rigore loquendo, posse pœnitentem ab onere restituendi esse liberum ob sententiam vere probabilem illi faventem, oppositum tamen videretur probabilius, non esset quidem obligandus ad restitutionem, nisi sententia favens eliderετur, & sua probabilitate privaretur; suaderi tamen posset ut restituet, maxime si debitor foret opulentus, & creditor pauper, proponendo illi, sibi quid vellet in tali casu fieri? 5. Si certa sit obligatio restituendi, attamen potens restituere difficultatem ostendat, ostendendum illi peccatum non dimitti, nisi fiat, dum potest, restitutio; quia non minus est malum aliena retinere invito domino, quam illa auferre, cum sit continuata ablatio: unde dixit S. Augustinus: *Si res aliena reddi possit, & non redditur, non agitur pœnitentia, sed dissimulatur.* Eligat proinde,

an æternum ardere velit in inferno, an re carere aliena malit; sciatque nullam illi a Deo exspectandam esse benedictionem, qui maledicet ejus propriis propter aliena possessa, & injuste detenta, ut experientia docet multos: unde natum proverbium: Male parta, male dilabuntur. Si dicat, liberos suos fore miseros, non credat; sed jubeat eum Deo confidere, qui facit omnia diligentibus se cooperari in bonum; miseros fore reponat si aliena possideant, & subtracta Dei benedictione æternum cum ipso pereant, si & sua propter aliena perdant: de male quæsitis non gaudet tertius hæres. Si opponat, graviter se passurum in fama, suggeratur modus, quo famæ consulatur. Confessarius tamen non facile id onus suscipiat, ne sigillum violetur. 6. Qui antehac admonitus non restituit, regulariter non est absolvendus, donec restituerit: quia nimis proclive est periculum propositum, quod præfert, mutandi: si tamen jam sic videretur constitutus, ut merito crederetur mox satisfacturus, absolvi posset; attamen recte ei injungeretur, ut ad Communionem prius non accederet, quam actu restituerit, nisi esset specialis ratio id permittendi; & tunc præscribendum illi tempus & modus restituendi, quod & alias sæpe utiliter potest fieri, si ante factam restitutionem absolvatur. *Trident. sess. 25. de reform. c. 12.* præcipit, ut qui decimas non solvit, aut solutionem impedivit, non absolvatur, nisi secuta plena restitutione, puta, nisi excuset impossibilitas restituendi. 7. Qui rem alienam apud se detinet, ordinarie non est absolvendus, nisi prius restituerit, ob periculum relabendi in priorem voluntatem, aut cum damno domini differendi restitutionem. 8. Qui promittit facturum se restitutionem, videturque ante absolvendus, determinet tempus, jubeaturque, vel suadeatur, ut singulis diebus, si statim restituere non possit, petat gratiam coram Crucifixo perseveran-

Quando neganda absolutio?

di in proposito, illudque statuto tempore exequendi. 9. Cum, quando creditores sunt incerti, sit debitum elargiendum pauperibus, suadeatur ut, si debitor sit fortunæ tenuioris, eum in finem faciat eleemosynas etiam alias dari solitas. Universim etiam suaderi potest, ut misero debitori tantundem remittatur a domino. 11. Si debitor dicat, se non posse restituere, non credatur illi, nisi id efficaciter probet; nec absolvatur, nisi promittat se quamprimum poterit satisfacturum. 12. Si pœnitens debeat alteri ex contractu, & solutionem differat, spectanda consuetudo & intentio contrahentium: nam consuetudo habet, ut quæ præstanda sunt, quot annis differri diutius possint, quam quæ ex aliis contractibus sunt debita. Quamquam & dilatio solutionis in aliis, si fiat sine damno creditoris, excusari possit a mortali.

235. *Quid suadendum ægro ad restitutionem obligato?* Ægrum restituere obligatum adigendum esse, ut in vivis ipse restituat, dixi supra num. 211. Quibus adde: si non expediat in testamento restitutionis mentionem fieri, codicillum adjiciat, quo jubeat ut hæredes dent summam illam Confessario, vel alteri amico secundum voluntatem ægri expendendam; aut si Notarius commode haberi non possit, capitulum addat, quo dicat se in manibus Confessarii, vel amici schedam reliquisse, qua declaravit quid post mortem suam fieri velit; quamque perinde validam esse velit, ac si testamento fuisset inserta. Si grave ei videatur ex timore, ne liberi honeste dein vivere non possint, exponatur illi necessitas restituendi, jactura salutis certo futura, & utatur exemplo medici, qui a Confessario persuasus dixit infirmo, non esse spem sanitatis, nisi periculo eriperetur adipe ex uno filiorum suorum. Ex advocatis filiis autem nullus voluit tam diu tenere digitum in accensa candela, ut vel gutta deflueret. Hoc, inquam, exemplo utatur, dicens:

Quid existimas? An teneres digitum per quadrantem in accensa candela pro prosperitate filiorum, an quis illorum id faceret pro tua valetudine? Nemo omnium, & tu tam stolidus sis, ut æternis pro iis suppliciis te addicas? Post paucos dies eris in oblivione omnium, & tu ardebis in inferno, &c. 12. Restitutio famæ fieri quoque potest per tertiam personam magnæ auctoritatis.

CAPUT IX.

Quomodo Confessario agendum cum pœnitente pudibundo, pusillanimi, vel desperabundo?

RESP. I. Si quis timore infamiæ vel confusionis apud Confessarium incurrendæ horreat vulnera sua detegere, servient sequentia: 1. Confessarius suaviter & benigne eum excipiens dicat: Numquid morbos corporis lethales amico vel medico pro sanitate recuperanda libenter aperires? Cur ergo horreas detegere animæ tuæ statum mortale, ut eam sanes? Numquid anima plus est, quam corpus? Est illa unicus thesaurus tuus, corpus abibit in vermes. Quid mavis, an jam coram me exiguam confusionem subire, vel æternam? Hanc si vis vitare, debebis aliquando confiteri quæ jam horres aperire; quo diutius expectas, eo major erit confusio & difficilior victoria. 2. Cogita clementiam Dei, homo non erubuit peccare in conspectu Dei, exigit is ne exigente justitia te detrudat in confusionem æternam; confundat se coram uno homine, & non vereatur pro anima sua dicere verum; quid minus poterat exigere? 3. Quæ Sacerdoti panduntur in Confessione, ea minus scit, quam quæ nescit: hæc enim scire potest, & earum scientia uti; quæ autem in confessione audivit, nul-

236. *Quomodo persuadendus, qui horret confiteri?*

nullatenus revelare potest, etsi vitam alias deberet amittere, immo totus mundus esset periturus. Quid igitur tibi oberit uni homini tua vulnera detegere cum certa spe veniæ? an non hoc melius, quam postea coram toto mundo confundi, & dein æternum irrideri a Beatis? Numquid Deus novit tua peccata, novit & Angelus Custos, & alii Angeli? Quid ergo confusionis erit, si & ego noverim cum gravissima obligatione tacendi? *Si lates non confessus, damnaberis inconfessus*, inquit S. Augustinus.

4. Existimasne te dicturum, quæ non audiverim? Nota est mihi humana fragilitas, nota dæmonis invidia & ad malitiam impellentis fallacia: pudorem tibi eripuit ut peccares, nunc eum tibi injicit ne confitearis; contere caput venenosi serpentis, & ejice venenum. Et ego peccator sum, Deique misericordia indigeo: non est peccatum, quod fecit homo, quod non faceret alter homo, nisi præservaretur ab eo, a quo factus est homo. Noli igitur erubescere confiteri homo homini, peccator peccatori. An forte magnam times pœnitentiam? Pars magna pœnitentiæ tuæ erit hæc tui victoria, lucrari poteris indulgentias; quotidiana tua opera recte faciendo satisfactionem Deo præstabis, ea uniendo laboribus & doloribus Christi Salvatoris tui. Magnam tibi apud me conciliabis æstimationem, magnum Angelis causabis in Cælo gaudium, si pœnitentiam agas. Quam gloriosum est S. Petro, S. Paulo, S. Mariæ Magdalenæ, S. Augustino, &c. egisse pœnitentiam! Si secutus es errantes, sequere pœnitentes. Præstitit Deus magnis peccatoribus multis non minores favores vere pœnitentibus, quam aliis, qui aut numquam, aut raro peccarunt. Cur ergo circumferas torturam conscientiæ, quæ numquam cessabit te cruciare, dum confessus fueris? Peracta generosa Confessione quietem habebis animæ, quæ omnibus mundi gaudiis præferenda est. Quis reorum

non libenter confiteretur, si se sciret, angore mortis & ipsa morte liberandum Confessione? Cetera suggeret prudentia, & unctio Spiritus sancti.

Resp. II. Si pœnitens deprehendatur pusillanimis ob peccata sua præterita, procedi cum eo hoc modo potest. Primo, Negotium habes cum patre, qui, licet offensus sit, pater tamen manet, paterque misericordiæ, cujus miserationes super omnia opera ujus: qui prodigum filium in gratiam amantissime, ad se revertentem, recipit, ut declaravit nobis in parabola filii prodigi, Lucæ 15. qui disertis verbis declaravit apud Ezechielem c. 23. *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Ecce jam Deus debet hoc sibi ut tibi ignoscat, tui curam habeat ne pereas. 2. Deus pro nobis dedit Filium suum, & hic se pro nobis; quomodo, quod minus est, negabit? Audi Patrem dicentem: Accipe Filium meum, & da pro te, & redimere. Audi Filium: Omnia mea tua sunt. Deus bonus plus velle, sapiens plus invenire, omnipotens plus dare non potuit. Teneritudo amoris Deum quodammodo cogit, ut misereatur. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filii uteri sui? Et si ipsa oblita fuerit, ego tui non obliviscar. Ecce in manibus meis descripsi te.* Isaiæ cap. 49. Cognovit nimirum Deus figmentum nostrum, quia caro sumus, lutea vasa portantes, proni in malum ab adolescentia nostra, novit nos lapsos & corruptos primum non propria, sed protoparentis nostri voluntate, novit diabolum ex odio ejus nobis insidiari undique: hinc peccata nostra respicit potius ut miseriam nostram, quam ut sui contemptum & injuriam, & multus est ad ignoscendum, operaque diaboli lubens destruit. 3. Ipse Filius infallibile remissionis chirographum nobis reliquit Matth. 6. his verbis: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum,*

237. *Quomodo animandus pusillanimis ob peccata præterita?*

dimittet & vobis Pater vester: ille est ut medicus, *qui venit salvum facere, quod perierat*. Matth. 18. Pastor bonus est, qui oves errantes quærit, & ad ovile lætus reportat. Lucæ 15. Redemptor est, qui quos Sanguine suo comparavit, non abjiciet. *Empti estis pretio magno, sanguine quasi agni immaculati*. *Copiosa apud eum redemptio*. Psal. 129. Quid non speres? 4. Pusillanimitas ex fraude est dæmonis, qui nihil quærit aliud, quam nos perdere. Novit dictum: *Spes non confundet*. Et: *Scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis invocavit eum, & despexit illum?* Ezechiel. 2. Novit dæmon omnia tua perdita esse, si diffidas Deo. Hinc te ad diffidentiam impellit. Si existimas te hactenus boni parum fecisse, habes Advocatos multos; Filium Dei, piissimam Matrem ejus, omnes Cælites & Sanctos in Dei Ecclesia; horum merita participas. Proponi possunt exempla peccatorum, qui magni Sancti evaserunt: ut Magdalena, Matthæus, S. Augustinus, &c. Deus, ut dixi, magnis peccatoribus vere pœnitentibus legitur non minores contulisse favores; immo sæpe majores, quam iis, qui rarius peccaverunt. Proponi quoque potest Parabola de ove perdita, de muliere quæ drachmam perdidit, everritque domum, & ubi invenit illam, convocavit vicinas dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram*. Drachma est anima, qua inventa gaudet Christus, gaudet Ecclesia triumphans, & Christo gratulatur. 5. Si dicat, Vereor ne major sit iniquitas mea, quam ut veniam merear, reponat Confessarius: Major est Dei pietas, quam tua impietas; major Dei misericordia, quam iniquitas; majora sunt Christi merita, quam tua demerita: ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed pro totius mundi: pietas & misericordia Dei, Christique merita sunt infinita, peccata totius

mun-

mundi illis comparata nec sunt, nec guttula aquæ collata mari. Si hoc universum ignis esset, & in hunc mitteretur aquæ guttula, putas eum extingueret? Minime. Sic tua peccata immersa meritis Christi, & abysso misericordiæ Dei. 6. Pusillanimitas, & maxime desperatio, quam illa parturit, grandis est Dei injuria: desperare enim dicit exercite, Deum aut non posse, aut nolle ignoscere, & ad hoc ipsum inclinat pusillanimitas. Quis, putas, si pater filii omnem habuisset curam, numquam filium promissis suis fefellisset, adjiceret delictorum veniam, filius tamen patri non fideret, an non merito pater offenderetur? quanto potiori jure Deus offensæ deputabit, si ei diffidamus?

Resp. III. Si quis frequenter recidivus in eadem peccata despondeat animum vel contrahat, de emendatione futura, erigi potest partim jam dictis, partim sequentibus: Primo, Nulla sunt peccata, quæ per Dei gratiam vinci, emendarique non possint. Est autem Deus paratus dare auxilium necessarium: vult enim Deus, ut peccator convertatur, & vivat. *Ezechielis* 18. mandat a nobis peccata vitari, novitque nos sine ejus auxilio vincere non posse, nisi succurrat. *Cum ipso, ait, sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Potuit te dæmon perdere, multo magis potest te Deus restituere; incipe, & senties auxilium. 2. Cur Christus tanta passus est? Nonne ut medicinam animæ tuæ morbis præpararet, ut vires tibi darentur ad vincendum mundum, diabolum, te ipsum? Potentior est medicina illa, quam morbus tuus. Fortior ipse tuo hoste. Dabit tibi perficere, qui dedit velle. 3. Si scires, te hodie iterando illud peccatum oculos amissurum, an non abstineres? Ita vides igitur, quod abstinere possis: igitur abstine, saltem hodie, in honorem Christi pro te tam dura

238. *Quomodo erigēdus desperās de vitæ emendatione?*

passi,

passi, cras propones similiter, neque cogita de longa vita, sed dic omni die: Hoc die abstinebo, hac nocte non peccabo. 4. Si dicat: Proposui sæpius, & tamen lapsus sum, reponat Confessarius: Relapsus ejusmodi contingunt ex fragilitate naturæ per consuetudinem infirmatæ, quandoque etiam permittuntur a Deo ad expugnandam superbiam nostram, & confidentiam in propriis viribus. Agnosce humiliter tuam infirmitatem, & confitere impotentiam, & confide in Domino: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*. Psalm. 90. *Qui confidunt in Domino, assument fortitudinem*. Age igitur, si non cessas recidere, non cessa resurgere. Si vas luto inficitur sæpius, & identidem lavatur, tam sordidum non est, quam alterum, quod infectum numquam purgatur. Mundamus calceos, etsi prævideantur iterum inquinandi; miles curat vulnera, etsi prævideat nova in præliis sibi infligenda, & tu negligas animam? Nonne insanum diceres incarceratum, qui nollet exire carcere, eo quod timeret se post tempus incarcerandum iterum? Victus dicitur, non qui inter pugnandum vulneratur, aut aliquando, vel semel, iterumve superatur, sed qui ad extremum cadit. 5. Quid majus censes malum, an rarius peccare & resurgere, an vero in peccatis perseverare? Qui frequenter resurgit, rarius deinde cadit, quia resurgendo Dei gratia roboratur, discitque incedere cautius.

239. *Quomodo erigendus animo cōcidens ob tentationes?*

Resp. IV. Si animo concidat ob tentationes, quas patitur, his erigatur: 1. Necesse est, nos tentari: natura enim nostra corrupta pugnantibus inter se passionibus & habitibus infecta est; pars inferior, seu sensitiva ad sensibilia vetita non minus, quam licita propendet: unde dixit Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum*. Et S. Jacobus cap. 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua*. Dein adversarius noster diabolus circuit quærens omni

modo

modo nos perdere. Unde dixit Job cap. 7. *Militia*, seu tentatio, *est vita hominis super terram*. Denique proposuit Deus vitam immortalem, velut coronam, ad quam contendimus pervenire; non datur autem corona sine victoria, nec victoria sine certamine, nec certamen sine hoste. *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit*. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*. Tob. c. 12. 2. Utile admodum est nos tentari, tum quia in tentatione videntes periculum ruendi in interitum æternum, agnoscimus fragilitatem nostram, & indigentiam divini auxilii. Atque ita discimus nos humiliare; tum quia per victoriam tentationum probatur in nobis virtus, & amor Dei, & fidelitas in eum, quæ magnopere placet Deo, sicut amicitia in tentationibus. *Tentavit vos*, dicitur Deut. 13. *Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, vel non, in toto corde, & in tota anima vestra*. 3. Gratum est Christo spectaculum, videre nos pugnantes pro gloria nominis sui. Spectator adest, & pugnat in nobis; nec sinit nos tentari ultra id, quod possumus, dicente S. Apostolo: *Fidelis Deus, qui non patietur tentari vos supra id, quod potestis*. 1. Corinth. 10. Homines jumenta non onerant ultra vires; novit figulus quanto tempore oporteat vasa relinqui in fornace, ne perdantur; quidni Deus sapientissimus, salutis nostræ amantissimus, provideat, ut accommodet vires tentationibus, ut cum tentatione possimus facere proventum? Si ergo Deus pro nobis, quis contra nos? 4. Tentari malum non est, sed vincere gloriosum, signumque prædestinationis, dicente S. Jacobo: *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. Penes te est victoria, modo velis. *Diabolus alligatus latrare potest, mordere non potest, nisi accedentem ad se*, inquit S. Augustinus. *Non nocet sensus*,

ubi non est consensus. S. Bernardus. 5. Tentationes graviores post conversionem indicium sunt, quod homo evaserit ex servitute diaboli; quos enim captos habet, minus tentat, ut venator feram jam captam non persequitur, sed fugientem. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis*. Jacob. 1. Modum resistendi tentationibus, & media eas vincendi, suggerat Confessarius ex dicendis Cap. 12.

CAPUT X.

Quæ Confessario observanda, & agenda cum reis captivis, vel condemnatis ad mortem?

240. *Quando reus teneatur fateri crimen?* RESP. I. Generatim hæc sunt observanda: Primum, Reus a judice interrogatur juridice, quando interrogatio fit servato juris ordine, & adest semiplena probatio, vel per testem legitimum oculatum, vel per indicia æquivalentia, vel per infamiam in judicio probatam. 2. Reus sciens non adesse semiplenam probationem, vel de ea rationabiliter dubitans, non tenetur judici interroganti fateri crimen, sed potest cum juramento negare illud, quia sensus est: Non feci crimen, quod fateri tenear: judex enim non potest interrogare de crimine, nisi quod teneatur fateri reus: unde nec censetur de alio interrogare, quia delicta non præsumuntur. 3. Reus juridice interrogatus tenetur fateri crimen, saltem si capitale non est. Ratio est, quia superiori, qualis hic est judex, legitime præcipienti parendum est; atque judex hic legitime præcipit: exigit enim bonum commune, ne crimina sic jam probata, quæ aliunde plene probari non possunt, maneant impunita, & passim invalescant; judici hanc esse potestatem, & in hoc quemque pro priori consentire debere, dictat ratio.

Dixi, *saltem si capitale non est*: nam si reo ex Confessione mors esset subeunda, communior & probabilior quidem docet, adhuc esse obligationem fatendi, eo quod humana præcepta etiam obligent cum periculo vitæ, ubi agitur de bono communi, & præjudicio Reipublicæ; non paucis tamen videtur esse supra vires humanæ fragilitatis adigi ad ferendum testimonium contra se ipsum, ex quo mors certá immineat, eaque infamis; unde censent reum in hoc casu adhuc posse negare crimen, si sit spes evadendi, & nullum grave malum Reipublicæ immineat. Hæc sententia probabilis est, & juxta *Lugonem* in praxi tuta: unde si reus eam sequi vellet, non ideo ei neganda absolutio. Nec obstat quod judex habeat jus interrogandi, & licite interroget: nam jus habet probabile saltem, hocque utendo licite operatur: sed certum non est ex principiis directis, cum quo stat jus probabile in reo. 4. Non potest reus interrogatus de sociis criminis eos revelare, si sint occulti, nec aliis indiciis, vel testimoniis convinci possint; quia sine causa eos infamaret. Crimen tamen exceptum tenetur etiam non interrogatus manifestare: tale est hæresis, læsio majestatis, proditio, conjuratio, cusio falsæ monetæ, latrocinium, magia. 5. Post latam sententiam non tenetur reus fateri crimen, quod ante injuste negavit; quia finito judicio finitur obligatio rei, nec inde oritur scandalum; quia præsumitur sententia justa, & reus putare non teneri se ad fatendum, nec inde infamatur accusator injuste, quia reus non tenetur ex justitia lateri crimen, & juvare accusatorem: unde tantum est causa permissivá infamiæ, si quæ sequatur. 6. Reus fugere licite potest ex carcere etiam justo, immo & effringere carcerem: quia jus ad vitam tantum est, ut nulla potestas humana obligare possit ad eam non conservandam, si spes commoda appareat conservandi; unde & qui non

An reus possit effringere licite carcerē.

sunt

sunt ministri justitiæ, possunt reo subministrare instrumenta, quibus carcerem effringat; quia reus licite id facere potest: aliis tamen non licet effringere carcerem, exigente id bono communi, ne omnis securitas pereat. Et hinc ministri justitiæ, v. g. custodes carceris, nec instrumenta possunt subministrare, sed ex justitia tenentur fideles esse Reipublicæ propter officium, quod susceperunt. Juxta *Dicast.* potest pater, frater, uxor rei juvare in effringendo carcere; quia sunt una cum ipso persona. Si injuste condemnatus provocet ad tribunal Dei, etsi possit abesse culpa, cum quilibet gravatus possit appellare ad judicem superiorem; id tamen periculosum est ob periculum inordinati appetitus vindictæ, & odii.

241. *Modus agendi cū reis.* Resp. II. In praxi cum reis Confessarius hoc modo prudenter procedat. 1. Studeat eorum affectum lucrari, tum verbis affectum compassionis significantibus, tum, si possit, eleemosynis; interroget eorum nomina, ubi nati, in qua Religione educati, &c. dein per decursum doceat venerari providentiam Dei, eique se subjicere, qui errantes oves variis modis reducit ad se, proinde agnoscant ejus amorem, & carceris molestias æquo animo suscipiant de ejus manu, seque plene ejus dispositioni resignent: utpote, qui est mitissimus Pater, novitque figmentum nostrum, seu fragilitatem, voluitque Filium suum esse Advocatum nostrum; atque ita disponat ad contritionem perfectam; ut cum merito ferant molestias suas. Hæc, ut impetret, atque eos soletur, sæpe, si liceat, eos accedat. 2. Ut confidentius secum agant, instruat eos illa, quæ secum in foro conscientiæ agunt, cum judicibus communicari non posse, ideoque sive nocentes sint, sive innocentes, id nec iis obfuturum, nec profuturum. Ratio hujus est: quia alias alliciuntur, ut se falso probent innocentes, & a Confessario juventur: alii contra, ut falso se nocentes dicant, timen-

tes; ne Confessarius conferat cum judicibus; ipsique torturæ iterum subjiciantur. Unde non expedit, ut ad Confessionem sacramentalem admittantur, priusquam in foro profano eorum res sint liquidæ, ne ex timore, vel deferantur, vel cogantur eadem fateri judici, peccata sileant alias confitenda. Caveat etiam Confessarius, ne temere evulget, quæ extra Confessionem accepit. 3. Non respondeat, se fore patronum pro vita, sed animam curet, ne spe vitæ taceant confitenda, aut si spes dein non appareat, a Confessario alienentur. 4. Ne importune reos adigat, ut se tales fateantur; tum quia quidam vere rei non sunt, tum quia facile fieret, ut ex timore ne deserantur in fine, & sine Communione moriantur, sacrilege confiterentur. 5. Non recenseat coram iis modum procedendi judicialem, neque ordinarie admittat querelas de facta injuria, sed ad patientiam & resignationem disponat. Expedit tamen, ut Confessarius sciat modum procedendi in judicio, & probationes, quo prudentius possit agere in foro conscientiæ, & judicem monere, si quid monendum esset. 6. In Confessione examinet, an criminis complices prodiderint, si tenebantur; an tormentis victi, vel ex odio nocentes aliquos denuntiarint; si ita, inducendi sunt, ut tempestive revocent, idque ante sententiam; revocatio enim, quæ fit post sententiam, aut ea jam ferenda, parvipenditur a judicibus. Est autem obligatio efficaciter revocandi, licet metuant, vel prævideant se ad torturam revocandos: quia in pari sua & proximi necessitate potior ratio innocentis, quam nocentis habenda est. Quod si reus ad id adduci non posset, putans se tormentis adigendum, ut confirmet dicta, curet Confessarius, ut in carcere fiat revocatio scripto, vel voce coram duobus testibus; dein exponat eam coram judice a reo factam præsentibus testibus, hæc valida & sufficiens esse debet,

bet,

bet, sique judices eam admittere recusent; excusatus est apud Deum reus; illi vero, si contra denuntiandos procedant, iniqui homicidæ sunt, inquit *P. Frid. Spe* in cautela criminali dub. 30. pag. 237. 7. Si carcer sit diuturnus, curandum ut captivus semper sit utiliter occupatus orando, meditando, legendo, &c. pro capacitate: ut mane oret, intentionem rectam faciat patiendi eo die, quæ Deus immiserit; audito pulsu campanæ ad Sacrum, eo se convertat, & Missæ mente assistat & spiritu; in omnia Sacrificia, quæ per orbem fiunt, se commendet; ad horæ sonitum per Salutationem Angelicam petat felicem mortem, patientiam, resignationem; pro diversitate horarum recogitet diversa Mysteria Passionis Christi, &c. 8. Ad cavendam omnem suspicionem sinistram expedire videtur, ut reo Confessarius sententiam mortis non indicet; sed ea per eos, ad quos spectat, indicata, excitet reum, ut illam a Deo, velut justo Judice, acceptet, proponat ipsi exemplum Christi & Sanctorum, qui innocentes occisi sunt; & inter eos multi adhuc teneræ ætatis, ut S. Agnes, Pancratius, &c. Si dicat, se innocentem, reponetur: Christus vere innocens fuit; hæc tua pœna a Deo est, coram quo quis se dicat innocentem? Unum veniale peccatum plecti morte meretur. Cupit Deus, ut hanc pœnam admittas temporalem, ut parcat animæ tuæ in æternum. Sunt forte, qui graviora commiserunt, & hic non puniuntur, sed id Deo relinquendum est, qui & illos puniet; modo tibi injuriam non facit, sed gratiam. Si posses modo te liberare a morte per jejunium diei in pane & aqua, faceres lubens; & Deus te per mortem temporalem, quam tamen aliquando subire debebis, te liberat æterna, cur id non admittas? Mille anni ad æternitatem instar momenti sunt, demptis enim mille annis æternitas integra manet. Si replicet: Mors hæc mea infamis est. Reponatur: At Christi,

qui

qui peccatum non fecerat, mors quot hominum ignominiis fuit onerata? Quas infamias coram mundo Martyres non sustinuerunt? Gloriosam mortem coram Deo, Angelis & hominibus prudentibus habebis, si magno & lubenti animo ad satisfaciendum divinæ Justitiæ eam acceptes. Si quæ sit infamia, brevis est coram mundo, hac æternam emes gloriam, & perpetuam in altero sæculo extingues infamiam. Si miles a Duce suo profugus, redeat, magnamque victoriam reportet, magis laudatur, quam si mansisset semper, & nihil umquam egregii præstitisset. 9. Investiget Confessarius, an forte odium conceperit in judicem, vel partem adversam: curetque, ut amorem Christi id totum deponat. 10. Reo per Confessionem expiato, & Sacramento Eucharistiæ refecto, reliquis remotis, agat cum eo Confessarius, at non nisi de iis, quæ ad animam pertinent, nunc pios discursus ducendo, nunc cum eo orando v. gr. Rosarium, Litanias, &c. ista tamen non nimium protrahat, sed quietem intermediam indulgeat. 11. Nocte mortem proxime antecedente persuadeatur, ut dormiat, ne altero die sit indispositus: expedit tamen, ut quis de nocte illi adsit, qui evigilantem animet contra tentationes, tunc maxime ingruentes. 12. Die mortis illucescente, animandus, ut hunc diem maximi meriti Deo consecret, uniatque patienda passionibus Christi, & impediatur, ne, qui jentaculum offerunt, eum inebrient, volentesque timorem minuere, ineptum reddant ad magnum meritum, mortemque felicem. 13. Nihil agat Confessarius, quo mors maturetur; in itinere non urgeat reum, ut progrediatur, sed illi se accommodet; continuo cum eo oret, sine clamore tamen; oculos eum jubeat custodire, & demissos tenere, neminem salutare, nisi Salvatorem, cujus effigiem ipse, si possit, aut Confessarius ferat. In conspectu loci fatalis iterum eum animet exemplo Christi.

S. Andreæ, spe præmii & veniæ. Domine, non mea, sed tua voluntas fiat: Hic ure, hic seca, modo in æternum parcas. 14. In ipso supplicii loco interroget, num adhuc quid sit, quod conscientiam gravet, & ejus responsio se accommodet, eliciat cum eo actus fidei, spei, charitatis, contritionis, oblationis, & exquisitis verbis curet, ut sæpe ingeminet sacra Nomina; offerat ei preces, sacrificia, &c. Si tamen quis esset capite plectendus, non pronuntientur amplius sacra Nomina, dum ictus exspectatur, ne inclinatione capitis forte gravis error contingat; sed devote recitetur oratio Dominica. Denique, ubi reus jam obierit, oret cum adstantibus pro defuncti anima: *Pater noster. Requiem æternam*, &c. Possent etiam præsentes brevi exhortatione moneri obligationis suæ, nempe parentes, ut liberos suos bene educent; & liberi, ut parentes audiant, & revereantur. Denique opus charitatis faciet, si cognatos in loco forte existentes visitet, eosque soletur &c.

242. *Quid agendum si reus sit magus vel saga?*

Resp. III. Si in carcere deprehendatur magus vel saga, etsi tales difficile sit ad frugem reducere, desperandum tamen non est; sed demonstratis Dæmonis fraudibus adducendi sunt ut animæ consulant, excitandique ad spem veniæ, promittendumque ipsis Cælum, modo divinæ gratiæ cooperari velint. Hic servient quæ supra allata sunt pro erigendo desperabundo num. 237. & emolliendo indurato N. 206. Ubi adducti fuerint ut confiteantur, audiat 1. Confessarius quæ illis occurrunt; dein examinet pro personarum varietate, & prout viderit eos in confitendo defecisse. 1. Quærat causam, qua ad hanc animæ suæ miseriam sunt adducti; an ea fuerit voluptas, divitiæ, fama sanctitatis, aut alia dignitas sperata, & quo tempore? his enim, quibus plerique tales infatuantur, auditis, facilius eos, si sint inconstantes, uti solent esse mulieres, convincet. 2. Quomodo se habuerint erga Deum, Christum

& Sanctos? An Deum abnegaverint? quoties, quibus verbis & cæremoniis? An ex animo fidei Christianæ renuntiaverint? quæ esset apostasia cum excommunicatione, si signis externis expressissent. An Beatissimæ Virginis Sanctorumque patrocinium repudiaverint, imagines eorum inhonoraverint, eos blasphemaverint? An falsa de Deo & æternitate, pœnis inferni senserint? 3. Quomodo egerint cum Dæmone? An ei dato chiroghrapho propria manu aut sanguine subscripto sese manciparint? An ei jusjurandum præstiterint? An curarint vel permiserint se novo baptismo ab eo initiari, deleri de libro vitæ, inscribi libro mortis, eum visibilem & invisibilem adorarint, sacrificia obtulerint, vel certis temporibus offerenda promiserint, stringando, occidendo, vel exsugendo homines, bestias, infantulos? Quid tot annis suo deceptori pendere promiserint? An a Dæmone corpori suo, vel cui parti corporis stigma vel characterem imprimi permiserint? An pilos de suo corpore, vel partem vestis ei dederint, quo dono bona fortunæ vel vitæ ei dederint? An accesserint ad acta Sabbati (sic suos conventus vocant) pedites, vel eo trasportati ab alio, vel Dæmonem ad id incitarint, quibus modis? An ibi aliquid actum, habens speciem rei sacræ, v. g. Missæ, an habita ibi concio, a quo quid dictum? Dæmon enim in specie hirci ejusmodi isthic conciones habet cum Christi Domini contemptu, negans eum esse mortuum pro omnibus. An detulerint illuc infantes, eosque Dæmoni devoverint? Quæ peccata carnis ibi commiserint, cum quibus, quo modo? An convivia ibi habuerint, ubi cibos acceperint, an superstitiosam benedictionem præmiserint, & gratiarum actionem subjunxerint, qua Dæmonem creatorem & largitorem bonorum omnium agnoverint? An choreas impudicas egerint, aut saltem spectarint? An officium aliquod ibi gesserint? Quæ consilia ibi tractarint in

damnum proximorum? 4. An sacrilege tractarint Sacra? An Baptismo renuntiaverint, chrysma ungue abaserint, charecterem baptismalem, quantum in ipsis fuerit, deleverint? An abusi aqua benedicta, sacro oleo, agnis Dei, verbis consecrationis? An Missam Dæmoni accommodarint, promiserint se numquam S. Eucharistiam adoraturos, vel perpetuo in eam fore injuriosos? An hostias consecratas Dæmoni attulerint, aut penes se gestarint, aut adhuc gestent, in loco sordido conservaverint? Quoties sacrilegas Confessiones fecerint, sacrilege communicarint? An Dæmoni promiserint se numquam integre confessuros, & allaturos ei sacras hostias? 5. Quæ damna intulerint proximis, eorum pecoribus, frugibus? An a Dæmone ad hoc unguentum acceperint? Unde hoc confectum, ex rebus sacris, vel carne infantis occisi? An tempestas, grandines ope Dæmonis fecerint, & iis nocuerint? An accepto a Dæmone pulvere, eoque sparso erucas, bruchos, locustas, limaces suscitarint? An igne excitato ædes absumpserint? An lysandropiam exercuerint, spectra finxerint? an Dæmonem inclusum, aut spiritum familiarem habuerint, sub quo pacto, quam diu, ad quid? An maleficia intulerint? An infantes necdum baptizatos rapuerint, & alios substituerint, falso baptizarint, ante baptismum interemerint, eorum carne ad magiam usi fuerint? An prægnantibus partus difficiles, aliis morbos causarint, ubera lactantium exsiccarint? An inimicitias graves & odia inter quascumque personas seminaverint? An conjuges ad opus conjugii maleficio impotentes reddiderint? An maleficia illa adhuc pendeant? Ut dissolvantur, si sine novo maleficio solvi possint? An non amuleta magica aliis distribuerint, queis fierent invulnerabiles? An philtris impuros amores conciliaverint? An furta commiserint, oracula Dæmonis consuluerint, futura prædixerint? An su-

superstitiosas ceremonias adhibuerint? An quos seduxerint, ut se Diabolo manciparent? An jam Diabolum & ejus opera adhuc æstiment, vel detestentur? &c. Variæ namque damna permittit Deus inferri a Diabolo mediante opera hominum, nihil tamen fere solus potest in homines, corpus, vel bona externa; quia malitia ejus tanta est, ut nihil prætermitteret mali, quod non inferret, si posset. Unde ejus potestas a Deo ligata est, non sic potestas hominis, quia homo homini potest resistere. Ita *Lessius l. 2. c. 4. n. 2.*

Quid peracta Confessione agendum.

Deinde peracta Confessione, præmissaque ad absolutionem dispositione debita, obligentur 1. Ut pactum cum Dæmone rescindant, jurentque se deinceps nullum cum eo commercium habituros. 2. Professionem fidei jubeantur facere, vel recitando symbolum Apostolorum, vel per præscriptam ab Ecclesia formulam, aut conceptis a Confessario verbis. 3. Jubeantur comburere, si adhuc quæ habent, magica instrumenta, aut ea obradere. 4. Sacras hostias, vel reliquias Sanctorum, si alicubi reconditas habent pro malo usu, id Confessario aut alteri indicent, ut afferri & religiose conservari possint. 5. Ut si quos seduxerint, pro viribus conentur reducere. 6. Ut damna aliis illata, modo quo fieri potest, resarciant, & secutura forte avertant, maxime si quos falso baptizassent, aut baptizari curassent; sed hæc omnia caute. 7. Pro constantia in bene cœptis injungatur illis, ut sæpe renovent professionem fidei, profiteantur fidelitatem in Christum, Deum adorent sæpe, utantur aqua benedicta, sale benedictio etiam in cibis, sacro cereo &c. Plura de his videri possunt apud *Less. l. 2. cap. 4. & Layman l. 3. de Justitia tract. 6. cap. 5.* apud *La-Croix l. 4. a num. 1447.*

243. *Quomodo a Con-*

Petes. Quæ cautela adhibenda Confessario, ne incurrat irregularitatem ex defectu lenitatis, agendo cum reo, vel judicialibus personis?

fessario rei cavenda irregularitas, & quæ licent?

Resp. Studeat, ut curet animam; & reliqua, nisi quid in bonum rei suggerendum sit, relinquat ministris justitiæ, & facile aberit ab omni periculo, licet agendo quæ sunt sui officii per accidens causa esset mortis vel accelerationis illius: quia credibile non est, Ecclesiam voluisse irregularem fieri Confessarium ex eo, quod fungatur suo officio; sic enim eum impediret ab implenda sua obligatione. Unde potest 1. Hortari reum, ut in judicio fateatur crimen morte dignum, quando juridice interrogatus certo tenetur confiteri. 2. Si interrogetur, an liceat, vel debeat denuntiare complices, potest respondere, teneri, si revera teneatur, etsi agatur de crimine capitali. 3. Potest præcipere ut manifestet eos, qui aliis meditantur injurias aut delicta, si illa non nisi per judicem impediri possint: nam Canones non infligunt irregularitatis notam, eo quod quis obligationi satisfaciat, per se simpliciter, & nulla suppositione facta suscepti officii urgenti ex lege naturali, vel divina, charitatis, aut alterius virtutis. Hoc enim esset homines avocare ab observatione mandatorum Dei, ut ait *Layman l. 3. tr. 3. cap. 7.* ubi addit, opus non esse protestatione aliqua, quia jura eam his, ubi res suapte natura ab irregularitate eximitur, non requirunt; secus ac faciunt in actione civili, qua quis intendit injuriam sibi compensari, vel damnum reparari, & injuria meretur pœnam sanguinis. 4. Potest indicare judici, reum bene ad mortem esse dispositum, & juxta *Tamb. Gobat. Burghab. Cent. 3. casu* 91. & alios, monere v. gr. carnificem, ut caput illius, qui frangendus est in rota, percutiat valido ictu, ut ratio ipsi turbetur, & peccare non possit, eo quod talia, si necessaria sint ad salutem, vel valde conducant, non repugnent lenitati. Videri potest *La-Croix l. 7. n.* 522. ubi ex pluribus ostenditur, quod irregularitas ex defectu lenitatis statuta tantum sit ministris justitiæ, & iis qui propria manu alium

in bello justo occiderent, vel mutilarent, &c. sed de his plura alibi.

CAPUT XI.

Quid Confessario observandum circa pœnitentes variis tentationibus exagitatos?

RESp. Generatim hæc: 1. Tentatio est illicitum ad peccatum, seu bonum sensibile propositum voluntati, quo inclinatur, vel allicitur ad violandum præceptum; potestque esse levis, vel gravis, vel gravissima, prout vis movendi languida, vel parva, vel vehemens, vel vehementissima est. 2. Tentatio vel oritur a nostra corrupta natura, uti dum a motibus corporis vis imaginativa & intellectus excitatur ad cogitationes malas; vel a Dæmone, ut dum objectis vel motis speciebus fœdis in phantasia, eam movet ad repræsentanda objecta sensibilia mala, motusque in corpore excitat. Signum, quod a Dæmone fit solo, est, si fiat cum impetu superante vires consuetas nostrarum passionum, objecto cumulo, vel turba vivacium cogitationum. Hoc genus vocatur spiritus tentationis, & in materia quidem lubrica spiritus fornicationis; in materia fidei, spiritus infidelitatis, spiritus blasphemiæ &c. His non cedere est signum magni progressus facti, vel faciendi: vel denique est a nobis & Dæmone, si nempe a Dæmone & concupiscentia nostra oriatur. Hujusmodi sunt magis communes, nec omnes fere præternaturales. 3. Permittit Deus tentationes in bonum nostrum: *Certamen forte dedit illi, ut vinceret.* Bonum autem, quod Deus ex iis elicit, triplex est. Primum, Magnum incrementum virtutum, quia actibus heroicis augetur habitus. Secundum, est magni animi tranquillitas, quam parit frequens victoria, quæ nos Dæmoni terribiles facit, in verticem ipsius iniquitates ejus de-

244. Tentationis utilitas.

scendente. Tertium, est conjunctio animæ cum Deo, ejusque desponsatio cum Christo. *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se.* Sap. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Apoc. 3. Sicque sæpe contingit, ut obnubilatus, dum se a Deo remotum putat, sit illi propinquior. 4. Media generalia contra quascumque tentationes sunt, humilitas, oratio, & fortitudo. Humilitas removet impedimenta gratiæ auxiliatricis: Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sunt qui ad turpia tentati, adhibent macerationem corporis, & tamen, licet illa ceterum sit præstans remedium, vix quidquam referunt, nempe latet quædam occulta superbia, & subtilis complacentia, & fiducia immodica in propriis viribus. Oratio impetrat gratiæ auxilia; fortitudo iis utitur, removet pusillanimitatem & præfidentiam, cavetque ne temere se quis exponat periculis. Ex his deduco sequentes regulas generales pro praxi, quas, ubi convenire videbitur, Confessarius pœnitenti suggerat.

Remediū primum §. Oratio.

Regula 1. Si te adoriatur tentatio, sequere præscriptum Domini dicentis: *Orate ut non intretis in tentationem;* & statim animo ad Deum confuge, ejus misericordiam implora, tuam confitens infirmitatem, &c. vel animum converte ad honestam occupationem externam, vel actum virtutis, v. gr. charitatis, aut contritionis, aut virtutis oppositæ elice: sic enim & augebis meritum, & Satan videns sua molimina a te converti in bonum contra eum, desistet a maligno suo conatu. Orta igitur tentatione, signa tibi dari existima, ut ames Deum, & animæ brachiis amplectaris JESUM tuum pro te crucifixum. Cavendum autem, si elicere velis actum tentationi directe oppositum, ne id pertinaciter vel perturbate facias; quia sic tentationem vel augebis, aut caput debilitabis. Unde si non possis pacate & facile eum elicere, contemne hostem, & converte te ad alia ho-

nesta,

nesta; vel paucis actum charitatis elice, vel fiduciæ in Deum.

Regula 2. Magno, divino nixus auxilio, sis in tentationibus animo, memor quod omnia possis in Deo: si enim Dæmon pusillanimem te advertat, magis insultabit, pollicens jam sibi victoriam, quam tentato præstaret fiducia magna in Deo: si autem se non curari, negligi, contemni advertat, superbus spiritus cedet, non valens sui ferre contemptum, instar procacis mulieris, quæ si virum videat timidum esse, magis insultat; si vero notet impavidum, cedet, & meliora dabit. *2. Magne in Deum fiducia.*

Regula 3. Cave altercationes cum hoste: immo nec verbum ei repone, nisi forte illud Christi: *Vade Satan; scriptum est; Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies:* sed velut responso indignum neglige, neque signa aliqua externa ede, sed, ut dixi, confuge ad Deum, & illi soli fidelitatem offer. Si enim altercaris cum hoste, vel contendas, augebis tentationem, turbabis animum, persuadebit sibi superbus hostis se a te æstimari, & animum turbatum magis laborabit involvere tenebris. Optima vincendi ratio est minime turbari. Molestiam possunt inferre tentationes, sed non nocere si persistas in proposito Deo sincere serviendi. Proinde illas contemne: immo nec dignare reflectere ad id, quod ogge- runt, multo minus singulas excute quales sint; quia singulas excutiendo te conficeres, & nihil proficeres. *3. Non altercari cum hoste.*

Regula 4. Tentationes præsertim molestas aperi Confessario tuo, vel directori spirituali: nihil enim magis odit Satan, quam suas machinationes non manere occultas; similis libidinoso, qui, dum tentat honestam mulierem secum ad flagitium pertrahere, sua molimina maxime vult viro esse occulta. Dein Deus hanc humilitatem solet gratiæ auxiliis remunerare, & directoribus suggerere media, quibus statuit dare effi- *4. Tentationem aperire Patri spirituali.*

caciam. Et hinc id negligendum non est, etsi Confessarius videretur minus doctus, vel expertus.

5. Exercere virtutem oppositam.

Regula 5. Virtutem tentationi oppositam constanter exercere: v. g. advertis tentari spiritu superbiæ, inclinari ad æstimationem apud homines, ad divitias, commoditates corporis, delicias in victu, &c. Exerce te in virtute opposita, v. g. humilitate, liberalitate erga pauperes, abstinentia, sobrietate, & adhibe media, quæ contra singula peccata capitalia proposui capite primo partis secundæ a num. 61. In vitia illa invehere, meditare de horum turpitudine, excepta luxuria, & oppositæ virtutis pulchritudine utilitate, &c. Sic enim vitii horrorem, & virtutis amorem & æstimationem augebis. Atque hæc remedia sunt generalia.

Quid agendum, si oriatur tentatio carnis?

Regula 6. Si pulset tentatio contra castitatem, speciali cautela opus est, ne turberis, timeas inordinate, aut ad turpitudinem etiam ejus considerandam applices animum; quia sic augebis tentationem: sed statim confuge ad Deum, ad vulnera Christi, & aliis honestis applica mentem serio. Tentationes lubricæ fugiendo vincuntur. Si oriatur rebellio carnis, expedit loco cedere, aut sibi dolorem insuper imprimere, aut brachiis animæ amplexari JESUM Crucifixum, & in mortem se potius offerre, quam in consensum. Curandum autem, ut solum JESUM intuearis, & non tentationem; alias eam auges. Juvat quoque recurrere ad Beatissimam Virginem, rogando eam per immaculatam conceptionem, & mundissimam virginitatem, ut adsit suo patrocinio, ne offendas dilectum ejus Filium, tanta pro anima tua salvanda passum; & Angelum Custodem, S. Josephum, S. Aloysium, &c. obsecrando per amorem Christi, &c. Si tentationes sint frequentes, adhibe media num. 71. allata.

Quid ad vindictam?

Regula 7. Qui tentatur spiritu vindictæ, men-

mentem avertat ab injuria, vel molestia illata; & dein cessante tentatione corrigat apprehensionem, qua injuria sæpe parva apprehenditur ut magna. Cogitet ignominias Christo, & a se Deo illatas, meminerit fragilitatis; excuset, quoad potest, proximum &c. & pro eo oret.

Si de prædestinatione?

Regula 8. Si excitetur tentatio de prædestinatione, vel præscientia Dei, aut eam plane neglige, tamquam stropham Diaboli, aut dic interne: Meum est servire Deo, futura disponere meum non est; sed Patris, qui misit Filium suum, ut vitam habeam, & abundantius habeam. Faciat ipse quod bonum est coram se. Nemo speravit in eo, & confusus est. Ipse justus est & misericors. Ipsum amabo, benedicam, laudabo, quamdiu fuero. Si scirem quod sim prædestinatus, quid conveniret me facere? Hoc faciam, quoad vixero. Ceterum indoctis non est loquendum, minus concinnandum de prædestinationis Mysterio.

Quid si tentatio conditionata?

Regula 9. Si fatiget hæc tentatio? Quid faceres, si aut peccare, aut æternam damnationem subire deberes? Si hoc vel illud malum tolerare deberes, ut hoc vel illud peccatum perpetrandum esset, quid eligeres? Quid faceres in hoc vel illo casu? Ad alia convertat animum, & hanc cogitationem, velut otiosam, contemnat, vel interne dicat: Mihi bonum est adhærere Deo meo: imperfectum meum viderunt oculi ejus: ego egenus & pauper sum; ubi casus eveniret, ipsi erit cura de me: & his dictis quiescat, agatque agenda, certus quod, etsi non videatur se posse plene resolvere, non peccet, sed coram Deo meritum habeat. Caveat autem ne arroganter dicat cum Petro: *Etiamsi oporteat me mori tecum, non te negabo*; sed cum fiducia humiliet se coram Deo, agnoscens lapsum futurum, nisi Dominus supponat manum suam, & det cum tentatione proventum.

Quid si aspicienti res honestas, vel sacras imagines oriatur tentatio?

Regula 10. Si dæmon immittat tentationem aspicienti res honestas, vel etiam sacras, verb. grat. imaginem Crucifixi, Beatissimæ Virginis: tentatus non cedat tentatori, sed directe ista aspiciat, etsi experiretur imaginationes fœdas, aut motus turpes, ut experiri aliquando se queruntur piæ animæ: neque enim ista objecta sunt causæ talium fœditatum; neque hæ homini voluntariæ sunt: proinde non procedat timide, sed videat stultam tentationem; timor enim auget, & sæpe causat illam: cui si cedat, eo tandem deducetur, ut ad omnia timeat, & nec confiteri, nec communicare amplius audeat, timens ex his similes affectus, quos dæmon aut phantasia similiter causare poterit. Idem est si ex aspectu talium orirentur cogitationes blasphemæ, hæreticæ, &c. nam & hæ facile vincuntur, si contemnantur: hinc & errant, qui se ejusmodi liberandos putant, si eas confitentur: nam sic augetur timor, & tentatio magis infigitur, quæ illusione & contemptu melius fuisset dissipata. *La-Croix l. VI. num.* 1907. ubi notat tentatum post tentationem judicare debere, quod tentationi non consenserit, si fuit constanter molesta, & optarit illam non habere. Plura vide de directione scrupulosi, num. 265.

CAPUT XII.

De iis, quæ observare debet Confessarius personarum, quæ specialiter profitentur devotionem, aut perfectionem?

QUÆSTIO I.

Quæ universim sint observanda circa ejusmodi?

RESp. Cum nactus fuerit pœnitentes perfectionis capaces dirigendos, 1. Petat lumen per orationem; & priusquam directionem incipiat, conetur intimos eorum animi motus & constitutionem perspicere, ut instructiones possit illorum capacitati & naturæ accommodare: neque enim omnes eodem sunt spiritu ducendi, nec uno omnes modo regendi. 2. Excitet ipsos, ut foveant desiderium constans maximæ perfectionis, etsi hæc vel illa persona videatur ad eam non perventura; quia desiderium illud faciet, ut eam attingat saltem, cujus est capax, & multum mereatur. Sic Sancti multi, quos Deus Martyres esse non voluit, magno ad Martyrium incensi desiderio, Martyribus similes effecti sunt. 3. Ad perfectionem ducantur per gradus & ordinate, ut prius conentur assequi primum virtutis gradum, quam ad supremum contendant: v. g. prius discant operari recta intentione, & imitari actiones Christi, quam alta meditari; prius discant levia patienter ferre, quam gravia appetant; prius discant pati æquo animo, quam de adversis velint gaudere. 4. Non est altius enitendum, quam quo Deus vocat, qui singulis certam perfectionis mensuram ponit, certumque sanctitatis gradum definivit: hinc obsequendum est ductui divino, ne moderator opus Dei suis consiliis evertat, v. gr. si anima divinitus impellatur ad metum, abstra-

245. Incipiendum a minoribus, & ordinariis rite obeundis.

strahenda non est; & licet desiderium majoris perfectionis excitandum sit, hoc tamen fieri debet circa modum proprium, ut nempe ea excolantur, ad quæ Deus movet, qui aliquando solam vitam exteriorem hominibus regendam relinquit, modum vero in interiori tenendum solus docet. 5. Doceantur cujusque perfectionem in eo sitam esse, ut opera ordinaria bene peragant, ut nempe mane bene surgant, bene orent, legant, Missæ intersint, doceant, laborent, ut decet comedant, bibant, ludant, se recreent, conversentur cum proximo: vesperi bene faciant examen conscientiæ, bene se ad quietem componant, omnia denique, quæ ex officio & statu incumbunt, recte obeant. Hæc qui bene facit, perfectus est; facit autem bene, qui facit, quia, quando, quo modo ea vult Deus fieri, cujus sanctissima voluntas omnis perfectionis fons & norma est. 6. Probandi equidem sunt tales, ut advertatur quo spiritu ducantur, Dei, an mundi; amoris, vel timoris; & quis affectus in iis sit prædominans, qui primo mortificandus est? Attamen non omnes eodem modo probandi & tractandi sunt, sed cautela & discretione opus est. Nam in quibus abundat, vel prædominatur atrabilis, benignius tractandi, ne, utpote ad tristitiam proni, in dejectionem nimiam propellantur; qui vero complexionis sunt sanguineæ; & hinc propensi ad amorem, coercendi sunt ne amor oriatur inordinatus, beneque amoris deputandum motivum. Deinde animæ adhuc teneræ, quas Deus primo sibi conciliat, mollius sunt tractandæ, nec omnino abeundum a divinis consiliis animam suaviter ducentibus; si autem animæ sint nobiliores, seu quæ habent gratias & beneficia Dei extraordinaria, suavitati jungenda quædam severitas, quia hæ per dona gratiæ sunt parvæ difficultates; harum tamen probatio non sit quæsita & aperta, sed fiat ex re nata, ut non videatur recedi a communi modo vulgares animas dirigendi: hinc com-

Probari oportet, quo ducantur spiritu.

communia & levia quandoque imponenda; sic enim reprimetur superbia, & immoderatus fervor ad extraordinaria: si autem advertant se probari, facile se fingent ad omnem humilitatis & abjectionis modum. Neque extraordinariæ pœnalitates imponendæ sunt, sed sic instituantur animæ, ut eas sua sponte deposcant; nec tamen credendum illarum spiritui, quæ notentur studiose extraordinaria sectari, nisi adsint signa certa, quod impulsu divino ducantur. Quod si quæ persona adverteretur esse in rebus agendis proprii cerebri & judicii tenacioris, suaviter dedocenda foret: Deus per homines nos dirigere ad perfectionem voluit, ut discamus humiliter obedire: animæ prudentis est, proponere quidem firmiter, non tamen ita obfirmare animum ad aliquid agendum, vel omittendum, ut mutatis causis & circumstantiis, immutari se non sinat, & minus apta sit ad alia forte magis utilia, vel necessaria. Tutius est fidere alieno prudentis judicio, quam proprio; melior est obedientia, quam victima, quia per illam intellectus & voluntas, ipsaque anima Deo immolatur. Optima probatio est obedientia. Denique, si aliqua benignæ naturæ se regendam tradat, sedulo instruenda erit ut propria, & supernaturalia virtutum motiva sciat; sæpe examinet actiones suas, ex quo motivo processerint; discat agere ex motivis supernaturalibus: alias enim facillime fiet, ut opera externa agat natura, & non virtus, cum natura, utpote innata, sit fortior. Unde, dum operandum est, proponat sibi motivum virtutis, ex eoque agat. Si natura præveniat, corrigat, & non operetur, donec ejus motivum sit voluntas vel beneplacitum Dei; dumque exercenda virtus, ad quam indoles propendet, non nimium se effundat, sed naturam reprimat, & revocet ad exemplum Christi, qui operatus est, quia placitum erat Patri. Nihilominus suadendæ & prosequendæ sunt virtutes, ad quas indoles propendet.

Nam

Nam Dei gratia naturali inclinationi in eas se accommodat, ut suavius finem consequatur, homoque constantius pergat; sed cavendum, ne opinio virtutis jam comparatæ officiat comparandæ.

Diversa hominis complexio notanda. Juvat quoque notare, quadruplicem esse hominum complexionem: quatuor enim sunt humores, quibus diversa complexio constituitur; nempe sanguis, phlegma, cholera, melancholia, quorum in nobis unus semper prædominatur. Unde alii sanguinei, alii phlegmatici, alii cholerici, alii melancholici dicuntur. Sanguinei sunt suaves, affabiles, animosi, obsequiosi, liberales, tractabiles. Hæc bona sunt; at simul sunt fervidi, contentiosi, creaturis dediti, ad voluptates proni. Phlegmatici sunt mansueti, facile mobiles, fideles, pacifici, ductiles; sunt tamen simul pusillanimes, inconstantes, desides, tepidi, quia abundant humore aqueo. Cholerici sunt audaces, animosi ad aliquid aggrediendum, generosi; at sunt etiam præcipites, impatientes, iracundi, rixosi, superbi, inhumani, duri, flava bile prædominante. Melancholici sunt circumspecti, modesti, considerabundi, constantes; at sunt etiam singulares, suspiciosi, proprii judicii amantes, prædominante atra bile. Hæ complexiones bonæ sunt, sed sedulo invigilandum corrigendis defectibus, qui in uno, quam in alio graviores sunt, prout idem humor in uno magis, quam in alio prædominatur.

QUÆSTIO II.

Quæ sint observanda circa talium tentationes occultas?

246. *Quomodo incipientes dirigendi?* RESP. Cum dæmon non aperte tantum, sed non raro occulte, & ex insidiis instar latronis simulantis amicum, animas aggrediatur, vel inordinatum timorem incutiendo, dum sperandum foret; vel implendo spe immodica,

dum

dum timendum esset, idque usurpet contra incipientes, proficientes & provectos in vita spirituali; invigilandum Confessario, ut impostoris insidias detegat, & dissipet. Quæ sunt sequentes:

1. Si incipiens primo velut lactantis gratiæ filius perceperit teneram devotionem, Deus sæpe volens cibo fortiori eum confortare, delicias paulatim subtrahit; dæmon autem tunc anxietates ingerit, & caliginem conatur offundere: hincque pœnitens, licet videat pulchritudinem virtutis, putat eam se assequi non posse. Hoc si advertat Confessarius, doceat in quo vera virtus consistit, verusque profectus; quod hic & pugna ad Deum pertineat, qui novit tempore opportuno dare victoriam; quod negotium perfectionis non perficiatur uno die, sed lente, uti plantæ crescunt, & fructus maturescunt: proinde magno animo agat, quod in se per gratiam est, Deique auxilium patienter exspectet. Si dæmon suggerat, teneræ devotionis defectum esse ex propria pœnitentis culpa, ideoque, ut solet, instiget pro recuperando vigore ad austeritates & mortificationes insolitas; cavendum magnopere, ne inconsulto Confessario obsequatur: quærit enim malignus perdere, & ineptum reddere ad Dei obsequium, & tandem dum pœnitens videt se nec sic assequi quod intendit, eum deducere ad laxitatem: immo, ut sibi persuadens se posse in quovis statu salvari, a recta semita deflectat, sique sit in Religione Novitius, ad sæculum se recipiat. In has cogitationes si pœnitens adductus esset, non leviter, sed graviter cum eo agendum foret. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*. Lucæ 9. Nostine, an non perseverantia finalis & æterna salus tua pendeat ab hac constantia in cœptis? Sunt quos Deus vocavit ad statum perfectionis, sine qua salvi non erunt. Gratia ab ejus, non a nostro pendet arbitrio. Putas, te in sæculo multum boni

posse

posse facere, sed nescis an gratiam sis habiturus ut facias. Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem. Sed demus quod sis multum boni facturus; ast quid, si a salute tua aberres, si non præstes ex beneplacito Dei? Bene curritis, ajebat ad quosdam S. Augustinus, sed extra viam. Quidquid homo ex voluntate propria agit, nullius est momenti: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Quomodo proficientes?

2. Proficientibus conatur persuadere dæmon, jam eo esse progressos, ut parta annona honeste possint vivere, ut dicant: Nullum violentum perpetuum: arcus semper intensus rumpitur; atque ita paulatim ad tepiditatem adducit, amorem commodorum & socordiam ingerens, ut hoc, velut malo hectico correpti, tabescant & pereant. His mali sui gravitas, origo, effectus, & media proponenda sunt. Oritur hoc malum partim ex intellectu, partim ex voluntate. Intellectus paulatim privatur, quam conceperat, æstimatione perfectionis & conjunctionis cum Deo; privatur lumine, quo dirigebatur in suis actionibus; privatur vilipensione, quam conceperat, mundi bonorum & voluptatum. His voluntas seducta novo capitur terrenorum amore, tamquam grande amplectitur, quod ante tamquam inane abjecerat; horret gravia, & tamquam gravia fugit, quæ ante tamquam levia amplectebatur, utpote destituta vigore charitatis. Non abstinet quidem primo ab omnibus mediis perfectionis; orat, sed sine attentione & reverentia; Sacra Mysteria frequentat, sed sine præparatione; libros legit, sed sine recta intentione. Tandem incipit omittere quæ sine Superioris reprehensione omittere potest, & negligere non raro orationem. His primum contentus est dæmon, deinde adducit ad neglectum omnis exercitii spiritualis; tum demum illum aggreditur forti tentatione, & in mortale præcipitat, præcipitatum reddit sui pætesum; ac-

cen-

censoque sic appetitu irascibili, de peccato in peccatum præcipitat, & aut a fide, aut a Religione abducit, verificaturque in eo illud Deut. 28. *Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate*. Huc prolabuntur tepidi, estque hos, ante multum progressos, difficillimum curare, & ad fervorem revocare; quia veritates Evangelicæ, quibus perspectis peccarunt, non amplius movent, & novissima non terrent. Unde dixit Apostolus Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel illuminati gustaverunt donum cæleste, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pænitentiam*. Itaque Confessarii erit aut malum prævertere, aut jam invalescenti prius, quam ad extrema deveniat, manum medicam adhibere. Initium teporis difficulter, progressus autem ejus facile advertitur: si enim sedulo discutiatur oratio, mortificatio, modus resistendi tentationibus, dispositio ad Sacramenta, amor solitudinis, desiderium proficiendi, apparebit an progrediatur in virtute, an deficiat.

Modus corrigendi prolapsos in teporem.

Modus curandi hic esse poterit: Non adeo progressus jubeatur omnia exercitia devotionis neglecta resumere, & bene peragere, & facile ad meliora redibit. Deinde ad mentem revocet jacturam gratiæ, hujus pretium, temporis a Deo concessi finem, damna & pericula temporis. *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Memento unde excideris, & age pænitentiam, & fac prima opera: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo*. Apoc. 2. Si provectior fuerit, adducatur ut in successu sacro exercitia obeat. Si magnes suo vigore incipiat destitui, ferri ramentis undique coopertus vires pristinas resumit.

Quid si in profundum venerint?

Si jam in profundum venerit, non desperet Confessarius, sed media inter spem & metum incedat via. Primo benevole eum excipiat, ostendatque verbis suavibus, vultuque amœnose se ipsi compati. Rigor hic venenum foret. Apiculæ moderato æris sono revocantur dis-

dispersæ, altiore strepitu fugantur. Unica mellis gutta, inquiebat S. Franciscus Regis, plures muscæ capiuntur, quam integro fellis cado. Subinde proponat motiva fiduciæ in Deum concipiendæ: denique ostendat hanc mutationem, velut opus Dei majestate dignum, redundaturam in majorem Dei gloriam; quia sic maxime manifestabit suam omnipotentiam & misericordiam. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Psal. 76. Si festum agitur in Cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quanto magis celebrabitur tanta conversio? Injuriam facit Deo, qui eum deserit; majorem facit, qui illi diffidit. Anima tua sanguine stetit tuo Salvatori, an eam perditam volet, quam sic dilexit?

Quod si his advertat Confessarius, se non proficere, a spe ad terrorem deflectat, exponatque illi gravia pericula teporis, & damna; mortem periculosam; frustra in lucta ultima inclamabis Dominum, cui tamdiu surdas aures præbuisti. Ipse tunc in interitu tuo ridebit, & dæmon, cui toties es obsecutus, ferocius in te sæviet. In morte incipiet supplicium, & non conversio. Solet dæmon hanc texere stropham: alii hoc & isto modo vivunt, nec de sua salute desperandum putant; sed viri sunt honesti, ducunt in deliciis & commoditatibus dies suos, & magni fiunt. Haud dubie sunt viri eximii. Dici non potest, quantum damni afferat hæc machina viventibus inter tepidos. Consuetudo vim legis sibi arrogat: non sentitur graveolentia propria, ubi fœtent mores communitatis, & quisque facile sibi persuadet bene se vivere, si vivat ut pars major communitatis, & præsertim ut suus Superior. Hunc sensum perniciosum corrigat Confessarius, doceatque imprudenter a cæco peti viam demonstrari, sequendam esse quam Deus docet: *Non sequaris turbam ad faciendum malum.* Exodi 23. Quid proderit turba, ubi singuli judicabimur? Suadeat considerationem

nem sacram, lectionem pii libelli cum desiderio proficiendi, &c. *Fili in tua infirmitate ne aspicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.* Eccles. 38. Discat se vincere primum in minoribus, ut paulatim fiat aptus ad se vincendum in majoribus, idque præsertim in exercitiis antea usurpatis rite peragendis; sicut enim horum neglectu tepidus evasit, sic eorum accurato usu calidus fiet.

Tentationes provectiorũ.

3. Provectioribus solet tendere laqueum superbiæ, & temerariæ cujusdam præsidentiæ: cum enim experiuntur amore insolito se Deo conjungi, & vilescere sibi mundana præ felici statu suo; excitet eos, ut arripiant occasiones non secundum scientiam, putentque in rebus exiguis deflectere, non obesse. His proderit instans oratio, discussio sui, fragilitatis suæ consideratio, & examen particulare: neque enim omnes motus etiam in ejusmodi sunt a gratia; neque præcipitatio est instinctus Spiritus sancti. Natura sæpe gratiam prævenit, eam comitatur, flectitque in detrimenta.

Quomodo erigendus sit lapsus.

Quod si eveniret, talem, quod fieri potest, etsi rarius contingat, labi in lethale peccatum, Confessarius eum benigne excipiat, nec ulla edat signa admirationis, aut indignationis, ne eum dejiciat. Quid enim mirum labi hominem, qui ob corruptos humores congenitos omni momento labi potest? Caro corrupta prona in malum est ab adolescentia, nec sic gratia naturam consolidat, ut nulla rima peccato pateat. Mirum potius, quod post lapsum confusione plenus se accuset. Cæcum labi in foveam, nemo miratur, nemo ei indignatur, sed manum ei quivis benevole præbet. Si sic lapsus vehementer sibi indignetur, potest is effectus esse ex gratia, potest etiam adjunctam habere superbiam, existimantis, talem casum sibi evenire non debuisse. Proinde Confessarius purget aurum a scoria, præmissoque justo dolore, acerbitatem omnem ex superbia natam,

tol-

tollat, & eum ad spem, charitatem, & humilitatem excitet.

Excitandus ad spem. Ad spem erigi potest hoc modo: Lapsus tuus potest tibi esse majoris sanctitatis initium. Scivit Deus ex lapsu Adami maxima bona elicere, sciet & ex tuo. Gloriæ suæ incrementum capiet te justificando: est enim justificatio excellentius opus, teste S. Thoma, quam creatio totius mundi: quia est elevatio ad filiationem Dei, eique obstat peccatum removendum: *Exaltabitur Deus parens vobis*. Isaiæ 30. Vertit Deus lapsum peccatoris pœnitentis in exaltationem ejus; & quod magis mirandum, arripit Dei bonitas ex lapsu occasionem, majore benevolentia vere pœnitentem complectendi, quam ante innocentem, vertens ruinam in splendorem, damna in lucrum: *Si conversus fueris ad omnipotentem, ædificaberis, dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos: deliciis affluet, & elevabis ad Deum faciem tuam*. Job 22. Non est metienda misericordia Domini secundum angustias cordis nostri: *Quam magna misericordia Domini, & propitiatio convertentibus ad se*. Eccl. 17. Dei bonitas ergo pœnitentes fundo caret: illa merguntur omnia peccata pœnitentis: *Miserebitur nostri, & projiciet in profundum maris omnia delicta nostra*. Michææ 7. Non est cur pœnitens despondeat animum, sed potius cur majorem concipiat fiduciam, exemplo Davidis, qui lapsus cum tanta gloria surrexit. *Tu propitiaberis peccato meo: Cur? Multum est enim*: quia nimirum erigere lapsos gravius, commendat amplius misericordiam & omnipotentiam Dei, estque ingenium benignitatis, curare infirma, lapsa erigere, ibi magis erogare opes suas, ubi major est inopia. Pastor bonus Christus sollicite quæsivit oviculam perditam: de inventa convocatos sibi voluit gratulari. In vitis Sanctorum vix reperitur innocentibus collatum aliquid specialis favoris, quod non pariter Deus vere pœnitentibus contulerit.

Ad

Ad charitatem excitetur persuadendo, ut deinceps majore fervore & accuratione operetur, ut conquirat occasiones Deo impensius serviendi, & injuriam duplicatis obsequiis compensandi. Miles fugitivus, ubi redit, generose pugnando ignaviam compensat, & maculam delet. Ita agendum lapso, & maculam delebit. Deus lapsum permisit, ut ex veneno medicinam extraheret, nec vult immodico pavore infelicem corrumpi, quo vires animæ enervantur, teste Scriptura. Si desperaveris lapsus, in die angustiæ imminuetur fortitudo tua. *Ad charitatem.*

Ad humilitatem inducatur, quia cum violatæ charitatis origo sit superbia, studiose humilitati incumbendum est. 1. Itaque animo humiliet se, recognoscens suam indignitatem, impotentiam, nihilum, exteriusque se gerat, tamquam hominum consortio Deique conspectu indignum; sistat se statis diebus coram Domino, tamquam fœdifragus, confusione plenus; accuset se de sua perfidia, instar filii prodigi non audens oculos levare ad patrem offensum; offerat se ad quamcumque pœnam, indignum se reputet, qui assumat nomen Domini per os suum, velut sancta Thais, quæ conversa a S. Paphnutio, ejus jussu his usa est ad Dominum vocibus: *Qui plasmasti me, miserere mei!* Fugiat sensuum oblectamenta, se vilissimis indignum reputans. Ego mihi, qui fui hostis Dei, indulgeam? Ego abutar ejus donis, sectando voluptates? Adoret Dei justitiam, seque meritum fateatur, ut permitteretur sic labi. Sedulo vitet occasiones relabendi. Lapsus in foveam, studiosius deinde cavet. Et ita fiet, ut robur, quod ante habuit, accipiat. Demum cavenda inordinata tristitia. *Ad humilitatem.*

QUÆ

QUÆSTIO III.

Quid sit notandum circa diversos animi motus, inspirationesque boni, & illusiones mali spiritus?

247. *Distinguendi sunt motus; & videndũ an a bono, vel malo sint principio?*

RESP. Magna discretione & lumine divino adjuvante diligenter expendendi & distinguendi sunt motus voluntatis, & illustrationes visionesque animæ; ut nimirum discernantur, a quo spiritu proveniant. Nam est quidem spiritui Dei, teste Apostolo, 1. Cor. cap. 2. proprium docere nos, illustrare intellectum, ad bonum movere, & deducere voluntatem, tum per se, tum per bonos Angelos; at non raro, teste eodem Apostolo, 2. Cor. 11. ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis, & spiritus dæmonis fingit se spiritum Dei, imitando ipsius impulsus, & interiora colloquia; ita ut, quem homo motum & impulsum Spiritus sancti existimat in suum profectum immissum, sit impetus dæmonis, in ejus perniciem tendens, juxta illud Prov. 16. *Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Novit nimirum dæmon, movendo phantasiam & appetitum sensitivum, in anima nostra tales ciere affectus, ut cum revera sint umbratiles pictæque virtutes, veræ tamen esse videantur, & iisdem inescentur, qui multum sibi tribuunt in spiritualibus. Sunt tamen & aliæ illusionum & deceptionum causæ, nimirum passionum nostrarum ardor & furor, quibus, cum cor agitatur, judicium rationis invertitur, & sinistro affectui accommodatur, atque ita fit, ut judicetur pulchrum, quod turpe est; dicaturque malum bonum, & bonum malum. Deinde similitudo magna inter affectus aliquos virtutis & vitii: unde fit, ut vitium virtus existimetur, v. gr. ira judicetur zelus: pro liberalitate prodigalitas, pro humilitate pusil-

lanimitas & hypocrisis, pro confidentia præsumptio, pro constantia pertinacia, pro amore divino amor proprius habeatur, & exerceatur. Atque in his non aberrare difficillimum est; quia imbecillitas intellectus nostri abyssum cogitationum & affectionum, quæ in corde nostro geruntur, penetrare non potest; sed illam penetrat, & scrutatur solus Deus. Unde, monente S. Gregorio, diligenter invigilandum, ne nos aut impetus carnis manifestus abripiat, aut impetus carnis, velut impetus spiritus, latenter se subjiciat, & culpas nobis, quas committimus, virtutes fingat. *Nolite*, inquit S. Joannes 1. Ep. 4. *omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Hoc nisi fiat, credes falsum spiritum verum, & sequeris; verumque falsum, & projicies. Quod utrumque periculosum est. Ad hanc probationem & examen largitur Dominus Deus noster illud donum, quod ab Apostolo appellatur discretio spirituum; at illud non datur omnibus fidelibus, sed iis, quos magistros & duces constituit, & probatores in Republica suorum posuit, ut discernant aurum a scoria, separent pretiosum a vili, & sint quasi os ejus. Sunt tamen & indicia, quæ ad discernendos spiritus juvent, neque nostra industria excludenda est, sed ab omnibus adhibenda; neque tamen laborandum, an motus bonus sit a solo Deo, vel Angelo bono, vel virtute, & recta affectione animæ; aut malo a dæmone, aut carne nostra: hoc enim discerni semper non potest, nec semper necessarium est.

QUÆSTIO IV.

Ex quibus discerni possit, an visiones, suggestiones, illustrationes, & motus animæ sint a bono, an vero a malo spiritu?

248. *1. Spiritus bonus movet ad vera & utilia.* RESP. Discerni non raro poterit ex sequentibus: 1. Spiritus bonus non inspirat, quæ repugnant veritati, v. g. sacræ Scripturæ, doctrinæ in Ecclesia receptæ, moribus Sanctorum, vitæ Christi; sed his conformia: nec quæ sunt frivola, inutilia, impertinentia; sed utilia, solida, &c. Unde sensa, quæ huic regulæ sunt contraria, non sunt a Spiritu sancto.

2. Ad mortificationem. 2. Spiritus bonus movet ad sui abnegationem, mortificationem, & tolerantiam adversitatum, Christi imitationem, resignationem voluntatis, subjectionem proprii judicii, obedientiam perfectam, humilitatem, contemptum mundi, fugam honorum, &c. Ut operemur ex debito fine, nempe ad gloriam Dei. Unde motus boni spiritus comitem habet rectam intentionem.

3. Est discretus. 3. Spiritus bonus discretus est: unde ordinate procedit, ita ut, si animam introducat in cellam vinariam, nempe sanctorum affectuum, in ea ordinet charitatem.

4. Regulariter movet tantum ad ordinaria. 4. Hinc ordinarie non movet, nisi ad res ordinarias, & viribus cujusque sine miraculis accomodatas, ducendo per vias rectas & planas. Est enim Deus auctor hujus ordinariæ ad cælum viæ; inspirat tamen quandoque extraordinaria, sed fere non nisi in humilitate bene fundatis, & liberis ab impetitione vanæ gloriæ, ne homo impellatur in ruinam. In motu ad extraordinaria bene excutiendus est finis. Videri potest *P. Ludov. de Ponte in Duce spirituali tr. 1. cap. 23.*

5. Signū boni spiritus est, 5. Signum boni spiritus est, si visitatio & inspiratio sit in sola superiore animæ parte, seu intellectu & voluntate, vel saltem in

ea orta sit: licet in partem inferiorem, seu phantasiam & appetitum sensitivum se effuderit. Nam Deus solus potest immediate agere in partem superiorem animæ, non vero dæmon, licet hic possit commovere humores, & species per sensus ingressas revocare in memoriam, eas alterare, combinare, sicque movere phantasiam & appetitum, consequenter excitare intellectum, & allicere voluntatem ad actus, quos intendit; efficereque devotionem sensibilem, ciere lacrymas, aliosque effectus, qui a potentiis corporis dependent: & hinc sicut Deus complexionem hominis sæpe utitur ad excitandam veram, sic dæmon ad excitandam falsam devotionem utitur. Ex his patet, duo esse consolationum & gaudiorum internorum genera: alia enim incipiunt a parte superiore, & transeunt ad inferiorem; alia incipiunt a parte inferiore, possuntque esse a malo spiritu, qui facilius illudit melancholicis & nimis affectuosis, non ita illis, qui sunt animi virilis; quieti, affabiles. Ceterum valde experti sensu quodam interno discernunt divinas inspirationes ab aliis, etsi explicare non possint: sicut amicus amicum ex signis discernit; & mellis saporem percipimus, nec tamen explicare possumus.

Si motus incipiat ab intellectu & voluntate.

6. Signum Spiritus sancti est sensus saporque quidam humilitatis in fundo cordis: ut si quis non desideret extraordinaria, non propendeat ad exercitia, quæ sint administrationis, ponat sanctitatem in ordinariis bene agendis; si se indignum reputet donis Dei, se propter illa non efferat, nec aliis præferat; si gaudeat de contemptu, dum Confessarius judicat illustrationes suas esse illusiones; si dona sua occultet, si confugiat illucescente speciali visitatione ad humilitatem, easque nolit, nisi ut Deo placeat; si penetret profundum sui nihili, &c.

6. Si sapiant humilia.

7. Malus spiritus movet, si tentatio tendat ad

Mota

mali spiritus. ad falsitatem & vitia, ut solet dæmon variis modis: nam aliquando suggerit manifestum mendacium, sed illud falsis rationibus vestit & obducit, ut verum existimetur: alias suggerit vera, sed dolosam inde deducit conclusionem. Sic hæreticis permittit sentire vera esse, quæ continentur in sacra Scriptura: sed intelligenda dicit ab unoquoque juxta proprium judicium. Interdum suggerit per tempus vera, ut hominem veluti securum reddat, moveri se spiritu bono, sed postea addit de suo errorem, & illicium ad peccatum. Si advertatur, quod malus spiritus moveat ad bonum, hoc quidem non ideo omittendum, non tamen agendum quia is movet, sed quia vel fides, vel recta ratio, vel honestas id suadet; neque tunc caret bene operans suo merito; sicut si quis ex mala intentione induceret te ad dandam eleemosynam, tu vero recta intentione dares, merito non careres. Si post suggesta bona falsi quid, vel mali ingeratur, signum quidem est, hoc esse a malo spiritu: non tamen existimandum, omnes inspirationes, quas homo talis habet, esse illusiones a malo spiritu; quia dæmon solet bonis Dei inspirationibus miscere aliquas suas, animasque turbare, ut sanctas inspirationes suspectas reddat, & ideo non admittantur. Hoc casu humiliter rogandus est Deus, ut nos decipi non permittat; & sine perturbatione agendum recta ad Deum intentione, quod recta ratio & gratia dictat. Si suggestio tendat ad res novas curiosas, singulares, prodigiosas, inusitatas, quæ pariant in mundo admirationem, & famam sanctitatis, est a malo spiritu. Item si excitet ad superbiam, vanam gloriam, præsumptionem animi, ad desperationem, vel alium minus ordinatum affectum, aut, ut res non manifestetur Superiori, aut Confessario.

Motus mali spiritus post 8. Si blande accedat, sed postea relinquat mœrorem, desolationem, perturbationem animi, tenebras; est signum mali spiritus, ut docet

cet S. Ignatius *in exercitiis*, & S. Macarius *Hom.* 7. *Se relin-*
Sicut enim boni spiritus est solari, & tranquilli- *quit per-*
tatem animi adferre; sic maligni est, relinquere *turbatio-*
in animo tenebras, mœrorem, perplexitatem, *nem.*
turbationem: nam quisque sibi consentanea operatur.

Ex his sequitur 1. Misere decipi eos, qui 249. *Qui errat circa motus.*
illustrationes putant, impulsusque divinos se habere speciales, si optent res extraordinarias; si ideo se magni faciant, si contemnant alios, qui tales non habent; si sensa sua leviter manifestent, quasi in aliorum id utilitatem faciant; si contempti tristentur, & animum abjiciant; si superbiæ tentationibus cedant, & glorientur de devotionis gratia, sibique complaceant, vel sibi persuadeant, quod major sit, quam revera est, quod ea alios superent, vel ea melius utantur, quam alii: etsi enim rebus bonis tales tentationes possint misceri, immo quandoque possit aliquid adhærescere; attamen non nisi leviter & brevi tempore; alias enim gratiæ illæ extraordinariæ redduntur suspectæ.

Sequitur 2. Præsentis divinæ visitationis indicia esse, 1. Si subita, & sine naturali causa fiat quasi commutatio animæ a priori statu obscuro, vel tepido, aut timido. 2. Si cognitio Dei, vel veritatis alicujus cum nova luce, vel insolito modo generet cum quiete & suavitate odium vanitatis alicujus, vel motum peculiarem ad Deum, vel virtutem. 3. Si mens subito dilatetur, & inspiretur desiderium perfectionis, vel amor puritatis, mortificationis, imitationis Christi, perpetuæ unionis cum Deo. 4. Si anima acquiescat Deo, vel rebus divinis, & virtutibus. 5. Si cum suavitate elevetur ad laudes & complexus Dei. 6. Si adsit sensus humilis de se solito profundior. 7. Si acceptetur contemptus pro Deo, sine molestia. 8. Si jam facile despiciat res omnes mundi, quæ cor nunc dilatatum implere non possint. 250 *Indicia præsentis visitationis divinæ.*

QUÆSTIO V.

Quomodo tales gerere se debeant tempore consolationis, & in devotione sensibili?

352. *Utatur ad Dei laudem consolatione.* RESp. Dum adest consolatio motioque Spiritus sancti, 1. Humiliet se homo, totum Deo tribuens, intendatque ea uti non ad suum gustum augendum vel producendum, sed ad conjunctionem sui cum Deo, ad ejus laudem & gloriam: se omni dono Dei indignum reputet & fateatur, petatque rectum ejus usum.

Se humiliet. 2. Cogitet quam miser soleat esse absente Dei consolatione, & præparet se ad desolationem: visitationes enim Dei & consolationes neque constantes & perpetuæ, neque omnibus æqualiter contingunt; sed dat modo Deus ne dejiciamur, modo subtrahit ne abutamur, & vertamus in vitium, aut valetudinis detrimentum; ut agnoscamus solius Dei dona esse; ea ferventius desideremus, cautius iis utamur, non labamur in superbiæ laqueum, non negligamus exercitia vocationis nostræ, ut exerceamus solidas virtutes, impensisque nostris & quasi de nostro laboremus. Deinde tyrones sunt velut in hyeme, in qua sol communiter latet: proficientes sunt in vere, ubi est major varietas: perfecti sunt in æstate, in qua calor & lux constans magis; sunt tamen & quandoque nubila, & tempestates, horrendique fragores, sed non diuturni: exspectandæ autem sunt a Deo consolationes, non extorquendæ.

Reprimat impetum. 3. Si anima, divina suavitate quasi ebria, se videatur vix posse continere, reprimat impetum, nec velit divina consilia penetrare, suisque viribus opus divinum prævenire, augere & auxilium divinæ gratiæ quasi superare.

4. Sciendum, quod vera devotio consistat in prompta, forti, & constanti voluntate faciendi quidquid Deo placere, & vitandi quidquid displicere novimus; non vero in sensibili cordis dulcedine & suavitate, quæ lacrymas & gemitus cicat, & nescio quem spiritualem gustum pariat; unde his non innitendum tamquam veræ devotioni: etsi enim affectus teneri & dulces sæpe sint boni, Deumque auctorem habeant, & ad conjunctionem cum Deo juvent; in iis tamen devotionis substantia non consistit, immo sunt sæpe periculosi, & consolationes falsæ a dæmone vel natura ortum habentes. Unde multæ animæ his fruuntur, & tamen veram devotionem non habent: sentiunt teneros affectus, in lacrymas, suspiria erumpunt, &c. dum verb. grat. Passionem Christi exponi audiunt; & tamen inique possessa nolunt restituere, nulli commoditati renuntiare, nullam molestiam amore Christi subire volunt, similes puero, qui, dum videt matri venam incidi, plorat; & tamen pomum vel saccarum, quod forte in manu habet, illi dare recusat. *Vera devotio in quo sita sit?*

5. Si teneri illi affectus notentur esse a Deo, id quod ex effectibus eorum bonis secundum dicta colligendum, ut si deducant ad virtutem, verb. grat. humilitatem, patientiam, benignitatem, affabilitatem, misericordiam erga proximum, mortificationem, constantiam in bono, &c. iis humiliter, & in finem, in quem dantur, utantur; si autem notentur esse a dæmone vel natura, aut de hoc justa esset suspicio, corrigendi sunt, aut rejiciendi; animusque firmandus & præparandus ad verum Dei amorem, constansque ejus obsequium. Esse autem a malo spiritu indicia præterea sunt, si circa nos tantum versentur; si respiciant, ut finem, placere hominibus, ut fit si devotio extollatur in publico, marcescit in occulto; si laudibus delectetur, contemptu ar- *De sensibile devotione quid sentiendum?*

arctetur, si anxie & perturbate quæratur; si subtracta vel dilata causet perturbationes & murmurationes, si moveat ad arrogantiam, præsumptionem, asperitatem erga proximum &c. Immo & vera devotio sensibilis exposita est fraudibus Dæmonis: nititur enim amorem spiritualium vertere in sensualem, & impellere ad quamdam intemperantiam, seu gulam spiritualem, ad complacentiam inordinatam; & ubi naturam mollem reperit, ad dolosas lacrymas. Et hinc mulieres præ viris solent esse illusionibus obnoxiæ, ut proinde magna cautela opus sit, soliciteque curandum, ut ex supernaturali motivo virtutes operentur.

QUÆSTIO VI.

Quid circa desolationes observandum; & quæ regulæ in iis tenendæ?

252. *Cur Deus subtrahat consolationes, & permittat desolationes?* RESP. I. Dat Deus consolationes, ut animus a terrenis voluptatibus abstrahatur, illæque desipiant, & ad virtutes arduas excitetur; eum in finem, ut plurimum, immittit illas incipientibus, tractans eos ut parvulos, lacte eos attrahendo; postea autem, ubi cibos duriores norunt digerere, pascit eos esca grandium, & consolationes sæpe subtrahit, & se quodammodo subducit, ut deserant magis semetipsos, & illi serviant propter ipsum. Sæpe quoque non dat aut subtrahit provectioribus consolationes, vel quia non expediunt, abituræ in vitium; vel quia iis abusi sunt, verb. grat. ad vanam gloriam, superbiam, inanem de se opinionem, gulam spiritualem; vel quia socordes fuerunt in collectione interna, in exercitiis ordinariis necdum sunt perfecti, non mortificati, non avulsi a creaturis, propriis commoditatibus adhuc dediti &c. Non enim meretur gustum cælestem, cui terrena adhuc sapiunt. Pro sua

tamen bonitate desolationes non permittit ordinarie esse constantes; sed sicut mundum, magno universi ornamento, mira eaque perpetua vicissitudine gubernat, ut hyemi ver, veri æstas, æstati autumnus succedat constanter, ut vix dies diei sit per omnia similis; ita gubernat sanctificatos suos, quos neque tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas, ut scilicet modo spe erigantur, modo timore deprimantur, modo consolationes, modo desolationes experiantur, nec dies diei, nec hora horæ sit per omnia similis. Huic divinæ dispositioni æquum est, ut nos accommodemus. Est enim dispositio patris in bonum nostrum & gloriam ejus ordinata, ut scilicet prospera continua nos non extollant, & adversa perpetua non dejiciant. Contingit quoque nonnumquam, ut vehementes tentationes medias inter desolationes & ariditates oriantur, tamque variæ & spurcæ cogitationes, ut quis sibi ad orationem non aliter videatur accedere, quam ut omnigenis tentationibus vexetur: immo nec de divinis, v. g. Passione Domini cogitare possit; & si forte cogitet, nullatenus moveatur. Talis in afflicto suo statu, dum videt alios proficere, intelligitque magnum orationis bonum, persuadet sibi Deum sui esse oblitum; ex quo oritur tentatio contra Deum, ac si nimis dure ageret, & oratio omittitur; suggerit etiam Dæmon ipsum esse causam hujus desolationis: unde crescit afflictio, & recedit ab oratione velut ab equuleo tristis. Pro his sequentes serviunt regulæ.

Regulæ in desolatione tenendæ.

1. In nulla desolatione, undequaque orta, despondeas animum; sed in Dei dispositionem te totum resigna, & certo tibi persuade, quod Deus, cujus voluntas est sanctificatio nostra, sic te velit purgare ab amore 253. *Desolatio utilis.*

 pro-

proprio, & ad solidam virtutem perducere; quo plurimum desolationes, si iis bene utaris, conferunt. In frigore planta dilatat radicem, profundiusque mittit, ut plus fructus postmodum tempore caloris proferat. Desolatio frigus est, consolatio calor.

Et tamen an ex culpa proveniat?

2. In ariditate constitutus examina te, citra tamen animi perturbationem & curiositatem, num ex culpa tua ortum habeat? Si excussis omnibus, nihil in te culpæ reperias, ex quo oriatur, gratias age Deo, & noli curiosius ultra inquirere; sed sine ulteriori examine, cum omni candore & sinceritate coram Deo te humilia, indignum te reputans omni ejus dono, & fatere te a Deo tractari ut mereris ob delicta præterita; immo graviora meritum esse, tibique nihil boni deberi. Quare immola te Deo, nec ora, ut statim libereris. Decet nos ipsos velut tacitas hostias immolare, amantique animæ satis esse debet sic Deo placere. Hæc mihi sit consolatio, velle libenter carere omni mundano solatio. Si tamen sentires te satiscere, Deum fidenter invoca, ut tibi reddat lætitiam salutaris sui, & transferat a te calicem istum, id tamen cum plena in sanctam ejus voluntatem resignatione: neque enim contentiose & afflictim desiderare debes, ne resignatio & debita indifferentia deficiat: Deus quippe videns indifferentiam & resignationem, citius consolabitur. Quod si reperias ex defectu tuo ortam ariditatem, sincere dole de culpa, veniam posce, & velut justam pœnam desolationem de manu Dei humiliter admitte, plenus fiducia, fore brevi, ut a Deo benigne recipiaris.

Desolatio multum juvat ad perfectionem.

3. Persuadet tibi verissimum esse, quod docuit S. Ignatius, non esse compendiosiorem viam ad perfectionem, quam magna & multa pro amore Dei pati, & lignum ad excitandum divini amoris ignem aptius non esse, quam lignum Crucis; quia anima sic ab omni crea-

ctura & solatio suo abstracta, soli Deo adhærere debet.

4. Cave magnopere, ne tempore desolationis ullum devotionis exercitium propter illam omittas, vel ordinaria negligas; sed potius aliquid adde, & pœnitentiam assume: tum quia in tædio tali sunt gratiora Deo, & magis meritoria: nam sic sine tuo solatio, & cum majori tui victoria Deo te immolas, evitasque fraudem Dæmonis, qui in desolatione nititur persuadere nihil boni fieri; melius esse, si aliis exercitiis te occupes; cumque in finem varias inutiles occasiones suggerit, quæ est insignis ejusdem fraus. Tibi sit satis, quod obsequaris Dei voluntati, in quo summa perfectio. Si non æque coneris peragere tua sine consolatione, signum est quod te quæras. Quod si tanta sit desolatio, ut nec orationis substantiam assequaris, humilia te, ut supra dictum: & satis tibi sit, quod Deus te in familia sua toleret; quod te in conspectu suo versari permittat: beneficium reputa, quod Deus te pœna temporanea purgare velit; propone tibi JESUM in Cruce desolatum. Patientia & resignatio optima est oratio. Si doleas quod Deo melius servire non possis, signum bonum est: dolor enim, si sincerus est, ex amore Dei procedit. Magnum Deo præstas obsequium, si perseveres in conspectu ejus, vigilesque ad fores ejus, & observes ad postes ostii ejus. Quod si nolit tibi aperire, acquiesce humiliter: non dabit in æternum fluctuationem Justo. Neque ideo te puta non esse in gratia. Desolatio cum resignatione indicium est præsentis gratiæ; flagellat enim Deus omnem filium, quem recipit. Magni Sancti, ut S. Franciscus, S. Antonius, S. Bernardus, S. Theresia, aliique magnas passi sunt desolationes, & eas tolerando vivam JESU Christi in Cruce desolati imaginem in se expresserunt. Deus diligentes se diligit. Amorem in patrem magis probat filius,

Nihil omittendum de ordinariis.

qui in duris se ejus accommodat voluntati, quam qui in iis non acquiescit, sed vult Patrem suæ voluntati obsequi.

Honesta recreatio expedit. 5. Si desolatio, ut quandoque contingit, ex corporis defatigatione oriatur, optimum est medium, honesta recreatione corpori robur restituere, & interim plurimos actus virtutum voluntatis adminiculo sine violentia exercere, v. g. frequenter Deum præsentem alloqui, eum adorando, laudando, gratias agendo, beneplacito ejus se resignando. Etsi anima dormire & oppressa videatur, actus tamen illi spiritus Deo maxime placent, plusque iis inest meriti, quamsi saporem haberent adjunctum.

Recursus ad directorem spiritualem. 6. Tuo in spiritu Directori candide statum tuum aperi, & media, quæ suggerit, adhibe. Deus enim, utpote humilitatis & obedientiæ amantissimus, sæpe facit, ut consilia, etsi quandoque ceterum minus utilia videantur, a Directore suggesta valde conducant, si humiliter suscipiantur.

QUÆSTIO VII.

Quomodo dirigere oporteat pœnitentem circa frequentem, vel quotidianam Communionem?

254. *Quid consulendum circa Communionem frequentem, vel quotidianã?* RESP. Si quæ persona velit frequenter verb. grat. bis terve in hebdomada communicare, commendanda est frequens Communio, sed & moderanda prudenter. Concilii Trident. PP. optant a fidelibus frequenter vitalem panem sumi; non omnibus tamen eamdem regulam præscriptam esse volunt; sed Confessariorum judicio id relinquunt, ut ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu, laicis, negotiatoribus, conjugatis, quod prospiciant eorum saluti profuturum, id illis præscribant. Similiter Innocentius XI. in Decreto de frequenti Communione

tione edito 1679. vetuit, unica præcepti formula aliquos a quotidiana vel frequenti Communione deterreri, aut accedentes repelli; jubet tamen, ut Parochi & Confessarii invigilent, ut quisque pro præparationis & devotionis modo rarius aut crebrius digne accedat. Deinde hortetur, ut frequentius communicantes excitentur ad magnam præparationem, & ad agnoscendam suam infirmitatem; ut dignitate Sacramenti, & formidine divini Judicii discant, cælestem mensam, in qua Christus est, revereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere: Moniales vero vult obsequi ordinis sui statutis; si quæ tamen ex mentis puritate niteant, ut dignæ videantur Communione frequentiore, aut quotidiana, jubet ut id illis a Superioribus permittatur. Placuit ipsum Decretum hic apponere.

DECRETUM

Circa Communionem quotidianam,

Datum Romæ 12. *Februarii* 1679.

CUm ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Parasceves, & simul affirmari eamdem quotidianam Communionem præceptam esse a jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & domi, immo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt Sacerdotes sæculares aut regula-

gulares; aliique in Communione accipiant plures formas ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, eadem S. Congregatio prævia matura discussione super prædictis unanimi sententia ita censuit: Etsi frequens quotidianusve Sacrosanctæ Eucharistiæ usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, numquam tamen, aut sæpius illam percipiendi aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent: idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ e contra gratiæ & Dei dona parvulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate atque integritate, & consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea, quod ad negotiatores attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu laicis negotiatoribus & conjugatis, quod prospicient earum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puri-

riorique mente ad cælestium epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur; sed magis quid singulis permittendum per se aut Parochos seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis & præparationis modo rarius aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti: & cum eis constitutum haberi, uti cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant; generatimque ostendant eos, qui ad frequentiorem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac Divini judicii formidine discant cælestem mensam, in qua Christus est, revereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ & judi-

cii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ & scandali suspicio in veri & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si iis, qui devoto hujusmodi studio divina præstante gratia tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore & charitate assueverint: quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cælesti regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem & sumptionem largiatur. Porro Episcopi & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de jure divino, doceant in Ecclesiis seu Oratoriis privatis, ex dispensatione seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Parasceves Missalis Rubricæ & Ecclesiæ Romanæ usus serventur; insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Si Parochi & Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem redituros esse, neque defuturam Episcoporum & Ordina-

riorum justam ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis JESU, facultate ipsis Episcopis & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præsens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

Ex quibus patet, quod Conc. Trid. PP. & Pontifex, & utilitati fidelium, & reverentiæ Sacramenti consultum velint, relinquantque frequentiam Communionis determinandam a Confessariis ex puritate conscientiæ, progressu in virtute, & præparatione pœnitentis. Dispiciat itaque Confessarius 1. Quomodo talis persona se præparet, & per negotia occupationesque præparare se & gratias agere possit? 2. Qua intentione feratur ad frequentem Communionem? neque enim finis esse debet sensibilis devotio, propria satisfactio, aut ne videatur minus devota, quam aliæ; sed profectus in virtute, præsertim in charitate. 3. Quomodo proficiat in spiritu, an malæ veteri consuetudini & passionibus immoderate pergat indulgere; an vero eas mortificare studeat? Quotidie communicare per se laudabile est; sed non convenit omnibus: frequentior quoque præferenda est rariori, sed & reverentiæ Sacramenti consulendum, cujus æstimatio imminuitur, si ex ea non proficiatur. Quin & scandalizantur fideles, si frequenter communicantes advertant vanitatibus, & otio indulgere, ut ante; non revereri parentes, consortia periculosa adire &c. S. Franciscus Salesius in introductione ad vitam devotam ait, communicare posse singulis octo diebus, cujus anima purgata est ab omni peccato mortali, & ab affectu ad quodcumque veniale; ad Communionem autem quotidianam requiri præ-

præparationem omnino exactam & eximiam ; cum dicit, qui devote vult vivere, non posse rarius, quam singulis mensibus communicare ; sicque vivendum esse, ut singulis octo diebus communicare valeamus. Alius celebris Ascetа sic statuit. Qui non solet graviter peccare, etsi quandoque peccet venialiter cum plena deliberatione, modo absit consuetudo & affectus ad veniale, potest octavo quoque die communicare ; adhuc sæpius, qui rarius sic peccat venialiter. Quotidiana autem Communio magnam requirit animæ puritatem. Hæc ille. Præterea tamen consideret Confessarius pœnitentis necessitatem & circumstantias hic & nunc se offerentes. Nam si magna sit festivitas, si pœnitens magnis vel periculosis pulsetur tentationibus, ad quas superandas speciali eget robore, minori præparationi acquiescendum est, quæ & quandoque in Sacerdotibus toleratur ; ne, ut inquit Viva, Ecclesia fructu sacrificii privetur. Magnus est fructus Sacramenti, si ita quis eo se roboret, ut numquam vel rarissime peccet graviter.

CAPUT XIII.

De Confessario hominis scrupulosi.

255. *Quid sit scrupulus?* SCrupulus, sic dictus a parvis lapillis, seu scrupis, qui calceis viatorum se ingerentes pedibus molestiam creant, est inanis apprehensio malitiæ, vel obligationis in opere vel omissione, conjunctum habens metum & anxietatem in voluntate. Dicitur *Apprehensio inanis*: quia levi aut nullo fundamento nititur ; estque aliquando de præteritis, aliquando de præsentibus & obviis, aliquando de futuris. Ut autem Confessarius recte dirigat pœnitentem tamquam scrupulosum, debet discernere an vere scrupulosus sit ; utque felicius eum curet, scire debet scrupulorum causas & incommoda.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Ex quibus indiciis cognoscitur aliquis esse scrupulosus?

RESp. Ex sequentibus. 1. Si quis passim in rebus agendis dubitet, bonæ sint, an malæ: vel id, quod agit, peccatum esse suspicatur sine ullo, aut certe ex vano & futili fundamento. 2. Si quis frequenter mutet judicium ob leviculam quamque apparentiam, & modo licitum, modo illicitum judicat, quod factum aut faciendum est. 3. Si formet sibi multas erraticas reflexiones supra circumstantias minutiores actionum. 4. Si operetur cum cæca quadam perturbatione. 5. Si res aliqua forte peracta sit perperam, aut cum levi etiam peccato, mens magno tumultu involvatur, angatur cor, & præter meritum æstuet. 6. Si, ubi plures consuluit, majores etiam angores experiatur. 7. Si quæ cunctis patent, anxie examinet, & velut rem obstrusam proponat, & quidem sæpius, neque uni soli, sed pluribus. 8. Si ex ratiocinio, quod nemini sano incideret, de peccato commisso certi quid statuat, firmumque judicium ferat. 9. Si peccata esse existimet, quæ a viris optimis, sine criminis suspicione, agi promiscue conspicit. 10. Si, dum conscientiæ examen instituit, majoribus tenebris mentem videt obscurari. 11. Si Confessione sæpius peracta accrescant dubia, & aliud ex alio pullulet. Ex his signis Confessarius pœnitentem, & hic se ipsum judicare poterit scrupulosum esse. Quod si Confessarius pœnitenti dicat, ipsum scrupulis agitari; id tamquam indubitatum teneat. At difficile est sæpe id scrupulosis persuadere, forte ne aliis videatur insanire, aut minus prudens. Sed hæc diaboli stropha est, qui una cum scrupulis insignem solet mentibus turbatis arrogantiam ingere- 256. *Signa scrupulosi.*

gere-

gerere; judiciique pervicaciam, ut sibi soli videantur sapere, postque plures consultos, nemini, nisi sibi, credant: qui perniciosissimus est error, insignisque, & intolerabilis superbia, qua fit, ut omnem medicinam respuat.

QUÆSTIO II.

Quæ sunt causæ scrupulorum?

257. RESp. Sunt potissimum tres, nempe Deus; hominis complexio, dæmon.

1. Sunt quandoque a Deo, subtrahentes lumen. Primo enim scrupuli, quando proveniunt a Deo, non quod Deus immittat falsas apprehensiones, sed quod justissimis de causis luminis vigorem non largiatur, nempe ut homo per tolerantiam scrupulorum satisfaciat pro peccatis præteritis, ut retrahatur a dissoluto vivendi genere, & ad frugem reducatur; ut ob peccata commissa anxius ea sæpe detestetur, & a peccatis longius recedat, assuescatque vel eorum umbram perhorrescere: denique ut discat magna cum fiducia ad Deum recurrere, ejus auxilium pro evitandis peccatis implorare.

2. Ex complexione hominis. 2. Sæpe proveniunt ex hominis complexione: certum enim est apud omnes Theologos, scrupulos sæpe nasci ex corporis, cerebri, sanguinisque temperie, aut inde iis occasionem subministrari: ac primo quidem humor melancholicus perquam aptus est scrupulis generandis & fovendis: nam ut passim melancholici sunt ingenio acuti, & genio suspicaces, tenacesque rerum, quas apprehendunt; ita proni sunt ad omnem mali suspicionem, & minima etiam volunt perscrutari, aliisque ægre acquiescunt, suis etiam ratiocinationibus non fidunt, nec ab eis facile recedunt: cum enim humor melancholicus terreus sit plane & viscosus; hinc fit, ut phantasmata, quæ in cerebri ventriculo, quasi sigilla, huic hu-

humori imprimuntur, illi insculpantur vivacius, & tenacius inhæreant, atque etiam hinc perturbata mens a phantasmate semel concepto se non facile patitur amoveri. Et hæc ratio est cur melancholicus fere uno tantum alterove scrupulorum genere divexetur: cum enim phantasma ejus ob viscositatem humoris, cui impressum est, sit lentum & pertinax, idque fere semper menti oberret, hanc non libet ad alia divertere: & hinc scrupuli ex melancholico humore orti sunt aliis longe deteriores & tetriores, crescunt & decrescunt pro diversis anni temporibus. 2. Scrupulorum origo quoque est phlegmatica, pituosa, & aquea sanguinis temperies in humano corpore: hæc enim cum sit frigidior, timori & pusillanimitati est plerumque magis obnoxia, terreturque ad primam mali speciem: cumque humore abundet, hic rerum species attollit, alterat, infringit, immo evertit; ut res longe aliter appareant, quam vere sint: & hinc phlegmaticorum scrupuli varii sunt, & minus pertinaces: iis obnoxiæ sunt feminæ, cresunt in morbis; quia ægritudinis acrimonia moventur humores; idem fit tempore Verno & Autumnali. 3. Causa interna scrupulorum est quandoque læsio aliqua cerebri, contracta per attentionem nimiam, & applicationem, vel studium, aut abstinentiam: sic affecti sæpe laborant uno scrupulorum genere, v. g. circa mysteria fidei, vel justitiam, aut Confessionem, vel correctionem fraternam, & ad cetera dijudicanda sunt satis expediti. Si hi sano sunt cerebro, dicendum quod, dum timore concitante varia per phantasiæ cellulas, & cerebri ventriculos discurrerent peccatorum simulacra, & phantasmata, unum fortuito casu validius in cerebri substantiam impegerit, viscosoque humori melancholico inhæserit, & ibidem ceteris diffugientibus sedem fixerit, atque ad hoc vel ejus similia mens respiciat ac trepidet;

ctat; & hinc qui graviter passus est semel; v. g. in materia restitutionis, in ea recurrente trepidet. 3. Ex his complexionibus orta imbecillitas judicii, occulta superbia, nimius peccandi timor, pusillanimitas animi nescientis timores contemnere inanes, causæ sunt proximiores scrupulorum.

3. A dæmone. 3. Proveniunt scrupuli non raro a dæmone, qui dextere eos fabricare novit. Hic in hominis perniciem semper intentus solet observare conscientias, ut si laxæ sint, eas magis laxet; si autem angustæ, eas magis constringat, ut in præceps agat; non vexat autem scrupulis magnos peccatores; quia in his aut metus extinctus est ex abundante malitia, aut ei sufficit quod eos in sua iniquitate detineat, magisque in profundum agat; nec magnos Sanctos, quia in iis timor a perfecta charitate devictus est; sed incipientes Deo se dare, præsertim conversos in viam rectam a magnis peccatis. Hos ut perturbet, involvat, & a profectu in spiritu impediat, circumspectat omnia. Cum totam corporis temperiem, quod ipsi facile est, perspexerit, novit movere sanguinem, alterare humores, & varia, quæ in cerebri ventriculis latent, simulacra phantasiæ objicere; species diversas combinare, & quasi consuere, imaginemque tetricam peccati seu commissi seu committendi falsam ad cerebri valvas vi detinet, ut sic ipsa tantum menti obversetur, atque ita terret; dein illud phantasma quandoque effingit in figuram deteriorem, vel adjectis vaporibus, quibus phantasma fœdius infringatur, vel aliis additis scelerum simulacris, quibus percellat animum, & in desperationem adigat. Versutia sua maxime utitur, quando animus aliunde casu aliquo sinistro perculsus est, aut corpus pejus habet, vel mœrore tenetur animus, atque ita in turbido piscatur.

Dixi in responsione: Tres causæ sunt potissimæ: nam causa scrupulorum quoque esse pot-

est Confessarii scrupulosi directio, conversatio cum scrupuloso ejus scrupulos audiendo, & tamquam veritates recipiendo &c.

QUÆSTIO III.

Unde cognoscitur scrupulos esse a Deo, naturali complexione, vel Dæmone?

RESP. I. A Deo esse, signa sunt sequentia. 258.
1. Si inducant horrorem peccati sincerum, fugamque sollicitam, & morum mutationem. 2. Si sint a Deo, diu durare non solent, sed magna mentis malitia terminari: cum enim Deus non immittat scrupulos, nisi ut magis purgetur animus, horror peccati concipiatur, animus inflammetur amore virtutis, & satisfaciendi pro peccatis commissis, ad se fiducialiter recurratur; his obtentis Deus solatur animam, scrupulos discutit, ne homo succumbat, nisi tamen stet per hominem: si enim hic per orationem ad Deum non recurrat, suo nitens cerebro, obedire directori suo detrectet, fieri potest ut contrahat habitum, fiatque difficulter curabilis. 3. Si proveniant ex horrore peccati, probabile indicium est esse a Deo: hic enim horror ex radice bona est; etsi ex corde timore constricto vitium trahere potest.

Signa, an sint a Deo?

2. Si teneant diu, & nusquam finem habeant de repetendis Confessionibus, manifestum signum est, jam non esse a Deo: an autem tunc a natura, an a dæmone ducant originem, ad rem non facit, dummodo constet a Deo non esse; a quacumque enim alia causa profluant, æquale damnum inferunt animæ & corpori. Certum est, quod dæmon sine humorum intemperie per scrupulos nihil agat in animam, nec quidquam turbetur in cerebro humano per atram bilem, aliosque exorbitantes humores, quin illico, spe rem suam bene agendi, adsit impostor pessimus; similiter indicium est scru-

pulos

pulos a Deo non esse, si quis suspiret ad Dei obsequium perfectum, peccata caveat omnia, & tamen circa nugas angatur: item si inter se pugnent & collidantur.

259. *An a natura?* Resp. II. Si nulla præcedente causa cor angatur, cerebrum vaporibus obducatur, horrore subito membra corripiantur, atque inde mens agitetur scrupulis; non ex vano dices ex natura illos initium ducere: atque hoc longe certius est, si undique & in omni actione scrupulis angaris, v. g. sive comedas, sive abstineas, sive loquaris, sive taceas, sive domi maneas, sive egrediaris &c. Item si quis constanter quidem agat, sed cum perturbatione & timore; si sit genii tetrici, cavillatorii, & heterocliti.

260. *An a dæmone?* Resp. III. Quod scrupuli sint a dæmone; indicia sunt hæc. 1. Si quis se sentiat iis ad teporem adduci, & sensim de mentis constantia dejici; avocari nimia fatigatione a virtutis studio; & præcipue, si sentiat se inclinari in desperationem de salute. Notavit hoc S. Ignatius in libello Exercitiorum Regula 5. de discretione spirituum sic scribens: *Si autem per discursum mentis aliquid offertur, vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet a bono, vel ad minus bonum impellat, quam anima prius quærendo sequi decreverat, vel animam ipsam defatiget, angat & perturbet, sublata, quæ prius aderat, quiete, pace, & tranquillitate; evidens tunc erit indicium, auctorem esse cogitationum ejusmodi spiritum malignum, utpote utilitati nostræ semper adversantem.* 2. Si in sanctissimis actionibus intercurrunt, præsertim si iis alias non soleat homo admodum perturbari. 3. Si sint circa unam tantum, alteramve peccati speciem, neque alia tantopere exhorrescas: Deus enim omnia prorsus scelera aversatur. 4. Evidentius erit indicium, si ad cetera projectus sis, & parvipendas, quod Deus dissolutis tuis moribus mirum angaris.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quæ damna sint scrupulorum?

Resp. I. Si sunt a Deo, nec vitio hominis nimis diu durent, sunt admodum utiles: nam purgant animum, horrorem peccati ingerunt, & ad virtutis studium impellunt. 261. *Scrupuli a Deo permissi, sunt utiles. Ex naturali complexione, perniciosi.*

2. Si a naturali complexione oriantur, sunt admodum perniciosi, maxime si sinantur invalescere. 1. Quia nocent animæ: nam spem, fortitudinem, obedientiam, orationem debilitant, aut plane evertunt: spem quidem, quia cum natura timere semper refugiat, fiet ut aut ad laxitatem declinet, aut confidentiam erga Deum vel amittat, vel multum infirmet; quomodo enim Deo fidat debite, qui illum ut severissimum exactorem semper intuetur? Fiducia nihilo minus clavis est ad cælestes thesauros, hoc quomodo obtinebit, qui clavem abjecit? Fortitudinem autem infringunt; quid enim magni audeat, qui exiguæ est erga Deum fiduciæ, qui ab imaginario hoste occupatur & sternitur neglecta de passionibus suis victoria, similis Heliogabalo, qui dum hostes provincias diripiebant, curabat Romæ telas aranearum colligi & ponderari. Deinde debilitant aut eliminant obedientiam, dum faciunt ut scrupulosus suis nugis obtemperet, simulque inducunt, ut agat contra voluntatem Dei, quæ illi per patrem spiritualem, vel directorem indicatur. Denique orationem evertunt, aut saltem debilitant, quia vim mentis enervant, ad nugas distrahunt, inquietant, animum ineptum reddunt ad conjunctionem cum Deo &c. 2. Ineptum reddunt ad fructuose agendum cum & pro proximo; sunt enim ejusmodi plerumque tetrici, morosi, domesticis graves. 3. Nocent corpori: per continuos enim angores cor constringunt,

sanguinem corrumpunt, spiritus vitales consumunt, & caput debilitant. Hi scrupuli, nisi in principio obsistatur, difficilis sunt curationis; quia radix eorum circumfertur ubique; facilius tamen ab his curantur qui intellectum habent, ut rationabili discursu possint informari, quam qui meris ducuntur apprehensionibus.

A dæmone, pessimi. 3. Scrupuli, qui a dæmone ortum habent, pessimi sunt, quia directe in ruinam fabricantur, inferuntque damna jam relata, faciuntque tandem, nisi occurratur, ut iis vexatus in desperationem agatur, & cupiditatibus suis frœna laxet; id quod dæmon intendit: sunt tamen hi curatu faciliores, nisi dæmoni in subsidium veniat melancholica, aut phlegmatica complexio corporis, aut habitus jam sit validus contractus, aliave causa, v. gr. superbia, pertinacia, vel judicii debilitas curationem efficiant difficiliorem.

Facit nihilominus Deus pro benignitate sua, ut hi, & a naturali complexione orti scrupuli cedant in utilitatem hominis, eos consolando & confortando, ut patienter illam afflictionem ferant, fiant cautiores & solliciti; ut ad Deum omnia referant, ut se humilient, & videntes suam infirmitatem, aliorum judicium exquirant; aptentur ad alios aliquando juvandos; quia vix scrupulosum diriget recte, qui scrupulos expertus non est. Immo Deus hac afflictione aliquos facit sibi Martyres, solentque in vita scrupulis cruciati in mortis articulo maximis abundare consolationibus, etiam ex eo, quod semper conati sint conscientiam servare mundam, Deumque non offendere.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quomodo agendum Confessario cum scrupuloso?

RESp. Antequam pœnitentem tractet tanquam scrupulosum, 1. Magna circumspectione dispiciat, an vere sit scrupulosus; sæpe enim apparent scrupulosi, qui non sunt. Econtra aliqui sunt scrupulosi, qui tales non apparent. Sunt qui circa multa sunt anxii, sed non sine justa & rationabili causa, v. g. circa restitutionem, quia laxe processerunt; circa Confessiones vitæ præteritæ, quia non accesserunt cum præparatione debita: & hi non ideo censendi sunt scrupulosi, uti nec qui solliciti sunt, immo & moderate anxii ne Deum vel levissime offendant, utque peccata sua apud Sacerdotem quamprimum deponant: hæc enim est cura prudens. Alii, quia diu vixerunt in magnis peccatis, per aliquot menses adhuc anguntur, voluntque magis magisque peccata sua confiteri & expiare; potest & hæc esse cura prudens, ut majorem concipiant horrorem peccati, & consuetudinem vincant; securiores sint de integritate Confessionis, quæ ab ejusmodi sæpe fit negligenter. Alii adhuc consentiunt in gravia, postea anguntur, sollicite se examinant, anxie confitentur, se ipsos aliquo modo turbant, nec ideo statim censendi sunt scrupulosi; quia justa adest causa anxietatis, quæ est a gratia movente conscientiam. Unde ex signis supra datis colligendum est, an aliquis sit scrupulosus; quæ cum non statim semper appareant, non potest quis, dum prima vice aut secunda Confessario se sistit, illico judicari scrupulosus. Ceterum contingit, ut aliquis sit scrupulosus in una materia, & non in altera, ut supra memini. Scrupulosus tamen dici non debet, qui in uno tantum casu

262. *1. Confessarius expendat, an sit pœnitens scrupulosus.*

transeunter scrupulo angitur; quia scrupulositas frequentiam importat. Unde talis in suis actionibus scrupulosorum privilegiis uti non poterit. An autem, qui meticulosæ conscientiæ est, sit scrupulosus, ipse plerumque judicare non potest; quia anxietates impediunt, quo minus recte judicare possit, præsertim in rebus propriis, in quibus homo maxime cæcutit. Quare judicium relinquendum viro prudenti, in tractandis conscientiis versato, cui credere debet pœnitens, ubi conscientiam suam sincere aperuit. Si quis tamen, dum angitur, se ipsum interrogans, quæ sit causæ suæ anxietatis, nullam inveniat, aut quod alias prudenter judicavit non esse peccatum, jam reputet tale, vel operando formidet esse tale, signum est esse scrupulum, nisi jam occurrant rationes, quæ prius judicium elidant.

Quid si advertat, esse scrupulosum? 2. Ubi pœnitentem esse scrupulosum cognoverit, interroget eum: Credisne, & confidis, quod juvare te possim? Si affirmet; interroget, an sibi velit constanter confiteri, promittatque quod velit in omnibus obedire, seposito etiam proprio judicio, & sincere omnia aperire? Si renuat, ipsum non admittat, sed remittat, ut exquirat sibi Confessarium, quem sequatur in omnibus, dicatque, eum alias perpetuo vexandum. Si annuat, ostendat se benignum, consoletur, & animet.

Cognoscat causam scrupulorum? 3. Cognoscere conetur causam scrupulorum; ut eam amoveat instar medici, qui prius morbum ejusque causam explorat, quam medicamenta adhibeat.

Quomodo dein cum eo agendum? 4. Ne afflictum magis affligat, plerumque sit benignus; opus tamen quandoque est severitate, præsertim ubi judicii apparet pertinacia, aut urget contra Confessarii consilium Confessionis repetitionem. Quocumque prætextu, etsi juratus assereret, hanc fore ultimam, non sinat se flecti etiam lacrymis; hæc severitas summa est clementia, temperata tamen sit suavitate. Vide *Vasq. Molinam* & alios.

5. Ref-

5. Respondeat scrupuloso sine hæsitatione, nec multum distinguat; sed simpliciter enuntiet quid faciendum sit, semper propendens in partem benigniorem, ejusque dubitationes in meliorem partem interpretans. Responsi autem sui nullam detrationem, quia pœnitens scrupulos sic putabit minus contemnendos, rationes examinabit, reddetque dubias, inanes opponendo, hocque conflictu invalescant scrupuli, aut novi orientur.

6. Non ostendat Confessarius scrupulos referenti se sollicite attendere, quasi sint res alicujus momenti, non petat circumstantias, non exaggeret, nec clarius sibi exponi petat; sed sinat scrupulosum se explicare prima vice, ne animum despondeant; non tangat, quæ scrupulosus non tangit; unum enim si tangas, movebuntur & alii, ut in aggerie lapillorum uno ruente ruunt & alii. Si sæpius ad eamdem rem interrogandam redeat, eum non audiat; sed satis actum esse serio edicat; quia frequentes interrogationes & recursus sunt velut frictio scabiei, quæ placet quidem, attamen nocet.

7. Quandoque suaviter irrideat, dum proponit dubia non fundata, jubeatque cogitare quid velles respondere, ab alio ejusmodi interrogatus? dicatque, ut id ipsum faciat. Præter hæc Confessarius suggerat ipsi de mediis jam referendis, quæ huic pœnitenti videbuntur magis necessaria, aut utilia, præsertim ut numquam cedat scrupulo, sed directe contra operetur.

QUÆSTIO VI.

Quæ media generatim præscribenda scrupuloso?

RESP. Sequentia. Primum, Magna humilitate, fiducia, & resignatione in voluntatem Dei petat a Deo lumen se dirigendi pru- 263. *Oratio humilis.*

prudenter, & vivendi ex lege ejus contemptis illis noxiis anxietatibus; hoc si faciat constanter, paccato tamen & resignato animo, aderit Deus, qui non amat habitare in animo perturbato: *Non enim in commotione Dominus*. 3. Reg. 19.

Obedientia exacta eidē Confessario exhibenda.

2. Maneat apud eumdem constanter Confessarium, quem putat doctum & probum, ita ut possit, & velit bene dirigere secundum beneplacitum Dei & salutem ipsius. Hunc sequatur in omnibus abnegato suo judicio, instar infantis, qui nescit quid sibi expediat. Hoc ut a se obtineat (horrent namque scrupulosi cæcam illam obedientiam, sicut morsi a cane rabido aquam fluvialem, etsi sit remedium præsentissimum) 1. Tamquam certum teneat, numquam se anxietatibus suis impedimentisque in via virtutis liberandum, nisi per obedientiam, quam Deus gratissimam habet: quia per eam homo suum intellectum & voluntatem Deo immolat contra inclinationem naturæ vitiatæ. 2. Tamquam indubitatum apud omnes viros spirituales habeat, perfectionem nostram sitam esse in exequenda Dei voluntate; hanc autem securiore via non agnosci, quam per Dei ministros & superiores, adeoque secure se procedere obediendo in omnibus, ubi manifestum non apparet peccatum, subque hoc præsidio pericula cessare esse pericula, & sine hoc nihil prodesse cetera; quia recedit a voluntate Dei, ipsaque sacrificia ejus sunt sacrilegia; nam inquit Salvator noster: *Qui vos spernit, me spernit*. Lucæ 10. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*. 1. Reg. 15. 3. Si dæmon, aut inordinatus timor oggerat periculum esse pereundi, sic cæce sequendo alienum arbitrium, reponat: Quis periit, ductum sequendo obedientiæ, quæ recta est ad cælum via? Sancti securiorem non agnoverunt. S. Theresia, etsi certo sciret se a Christo ipso in quibusdam esse edoctam, nihil tamen voluit exequi sine sui Con-

fessarii consilio. Ecce phanaticum errorem! Sancti credendum censuerunt voci Patris spiritualis, & ego plus credam proprio judicio, quam Sanctorum placitis? arundini fractæ, opinioni propriæ innitar potius, quam infallibili veritati Christo, de suis Vicariis dicenti: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit?* Ex his secure sic resolvet scrupulosus: Quamvis ego judicem hoc esse peccatum, tamen quia meum judicium fallibile est, & Confessarius mihi dicit, hoc mihi licere, possum & volo facere, quod mihi dicit faciendum esse, certusque sum me bene facere; quia Deus vult, ut ipsi obsequar. Sic enim corrigit suum judicium; quod si non acquiescens de uno eat ad alium, non tantum perdet meritum obedientiæ, ostendetque se proprio stare judicio; sed magis se implicabit, quia alii ejus conscientiam nec scire statim possunt, nec eum tractare ut scrupulosum, sicque inibunt diversas respondendi vias, unde magis involvetur. Maneat itaque apud unum eumdemque, eum divinæ misericordiæ & providentiæ confidens sequatur, sciatque certo sibi non imputandum esse, etsi contingeret eum aliquando errare, quod numquam præsumat.

Considerare damna spiritualia.

3. Persuadeat sibi, ut ex jam dictis facile poterit, si sapit, tamquam verissimum, quod scrupuli ad sanctitatem per se non ducant; sed a vera pietate & virtute multum abducant, aut retardent animam. Nulla enim virtus insipiens est, nulla inanibus nititur phantasmatis & ridiculis fundamentis. His autem vitam suam superstruit scrupulosus. Neminem prudentem habet imitatorem, sed ab omnibus, qui norunt ejus phantasmata, ridetur aut ut stultus, aut ut a stultitia non procul distans. Fideles, hilares, prudentes servos diligit habere Deus: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Ad id inepta est anima metu constricta.

Confessario cre-

4. Discat ex signis supra relatis, aut si hæc ei non sufficiant, ex ore sui Directoris, firmiter-

dere, se scrupulosum esse, & nugivendulum. que sibi persuadeat, se scrupulosum & nugivendulum esse. Persuadere quidem nititur Satan, aut ingenita Superbia, scrupulos non esse; sed rationes solidissimas quæ se offerunt, esse inspirationes sanctas: at nugæ sunt & illusiones. Putat se divinis illustrari visionibus, sed ignes fatui sunt & inania phantasiæ aberrantis simulacra, adeat medicum, ei credat & acquiescat; si renuit, signum evidens est, læsum illi esse cerebrum, quod in judicii pervicaciam indurescit, & tum demum supervacanea omnis erit medicina. Scrupulosus, qui sibi persuadet scrupulosum se non esse, incurabilis est.

Adhibere medicinas corporales. 5. Adhibeat medicinas naturales, quibus tenaciores humores dissolvantur, sanguis reficiatur, purgetur cerebrum; quæ autem medicinæ sint adhibendæ, audiendi sunt medici. Illud, ut jam supra memini, experientia constat, scrupulosos pro varia anni tempestate, lunæ mensiumque varietate, sanguinis affluxu aut detentione validius impeti. Frustra laborat Confessarius, nisi corpus fuerit ante curatum. Scrupulosus moderate vivat, nec subtrahat vires corpori per longa crebraque jejunia, aliasve afflictationes; evacuatur enim nimia defatigatione vivacior sanguis, vacuus nimium stomachus exhaurit cerebrum, sensus reddit torpidos, mentem turbidam, phantasiam sibi male cohærentem.

Non agendum cum scrupulosis. 6. Non agat cum scrupulosis eorum consilia non audiat, nisi forte media, quæ probata norunt experientia, contra scrupulos afferant.

Contemnere scrupulos, & agere contra eos. 2. Dum vellicat scrupulus, caveat ne illi obsequatur; sed illum contemnat, & directe contra eum operetur, v. g. angitur, ne aspiciendo homines, aut imagines Sanctorum, Beatissimæ Virginis, Christi Crucifixi, peccet, eo quod expertus sit, ex ejusmodi aspectu

subor-

subortas sibi esse cogitationes turpes, jamque timet, ne sit illarum causa; de industria ista, ut dictum supra n. 244. aspiciat, homines quidem, quasi transeunter, & more piis & prudentibus consueto; imagines autem etiam fixe, certusque sit, quæcumque cogitatio occurrat, se non peccare, quamdiu consensus in illam deest. Hoc medium omnino necessarium & optimum est: si enim cedat, acquiret habitum postea difficulter curabilem, sique sibi velit satisfacere in uno, angetur circa alterum, ut experientia docet, & non erit scrupulorum finis; immo cedendo peccat, quia suum judicium præponit judicio Confessarii, Theologorum & Ascetharum; ineptum se reddit paulatim ad suum officium debite obeundum, ad orationem, Deique obsequium, quem tandem apprehendit ut Tyrannum, qui delectetur interitu hominis; econtra si contemnat & operetur contra, fugiet Diabolus, qui sui contemptum ferre non potest; acquiret animos & habitum recte operandi; oborietur menti lumen, quo agnoscat nugas esse, quibus angitur. Proinde de scrupulis secum non multum agat, non disputet, non deliberet, non inquirat, an bene, an vero male fundata sint, quæ animo objiciuntur; an judicia, an ludicræ rerum species, quæ formantur, an apprehensiones, an inchoata judicia, an rationes occurrentes sint certæ. an saltem probabiles, sed abrumpat penitus ejusmodi cogitationes, & contemnat quasi sit tam imbellis hostis, ut conatum contra se non mereatur. *Resistite Diabolo, & fugiet a vobis. Jacobi C.* 4. 4. Huic ne ulla in re obsequatur, & molestiam sibi ab illo fieri non ostendat, frontem non contrahat, oculos non occludat, nec detorqueat; caput non agitet, non ore, non nutibus consensum deneget; sed sola mente agat omnia, animum obfirmans sic, ut nihil Dæmon eorum, quæ intus aguntur, persentiscat; rationibus, quibus Dæmon scrupulorum conatur

fulcire justitiam, non respondeat; multo minus de iis disputet, sed plane negligat, & contra operetur, si scrupulus ad quid agendum vel omittendum impellat. Solet Dæmon suadere scrupulosis solitudinem, ut secum multum agant, multa cogitent, multa expendant; huic si obsequantur, undique irruunt rationes falsæ de præteritis, præsentibus, futuris: hanc Diaboli strophiam ut elidant, vitent otium & solitudinem, non tacita secum de scrupulis trahant colloquia, præsertim nocturna: longe enim facilius ista ipsos perdent, quam aliena; sic enim excrescent phantasmata, quæ metus concitabunt, quos ne vanos credant, rationes undique aggerentur, fietque ut nemini facilius credant, quam sibi.

Rectum conscientiæ dictamen quomodo formandum? Si replicet scrupulosus: Libenter contemnerem scrupulos, & agerem contra, at non videor mihi formare posse conscientiam certam, immo apparet mihi tamquam certum quandoque, quod peccem. Respondeatur ad 1. in recte formanda conscientia nulla est aut difficultas, aut periculum, tantummodo cogita: Ut contemnam, est Dei voluntas; hanc indicant mihi Theologi, viri sapientissimi, Ascetæ spiritu Dei pleni, meus Confessarius, qui vices gerit Dei, secundum autem voluntatem Dei peccare non possum, sique contingeret me errare materialiter, imputari mihi non potest: quos enim sequar, nisi quos directores mihi dedit Deus? Præterea obsequendo scrupulis noceo corpori & animæ, reddo me ineptum ad Dei obsequium, & proximo gravem; vivam in perpetua tortura, vitam cogar ducere nimis difficilem: ad hæc Deus me non obligat; quod enim nimiam affert difficultatem est moraliter impossibile, unde nec ad id Deus obligat, saltem ubi evidens non est esse peccatum: hic autem non est evidens. Potest etiam conscientia hoc modo formari: Non scio existere legem hoc faciendi; si scirem esse, obsequerer;

nunc

nunc autem non obsequar, quia certus non sum de ejusmodi lege. Denique hoc modo: Quod video, prudentes & probos facere, aut tamquam nugas contemnere, hoc possum & ego; video prudentes & probos homines hoc facere, aut tamquam nugas contemnere, ergo &c. in dubiis enim vita, & communis sensus hominum proborum & prudentum bona est vivendi regula.

Atque hac ratione etiam scrupulosus rudis recte formare potest conscientiam sine recursu ad doctum, vel Confessarium: Deus enim cuique dedit rationem, ex qua sibi formet dictamina agendi; nec obligat ad toties recurrendum cum tanta molestia, & perturbatione: unde si bona fide procedens forte erret, ipsi non imputabitur ad culpam.

Resp. ad 2. Reflectat scrupulosus ille ad sequentia. 1. An non verum sit id, quod sæpe certum putabat, compertum esse postea quod fuerit vanum simulacrum? 2. An verum non sit, quod agi se variis erroribus, & inanibus apprehensionibus audiverit a suo Confessario, aliisque prudentibus? 3. A non alii prudentes talia agant, & duæ in contrarium occurrunt, contemnant tamquam vana? 4. Quid responderet alteri interroganti, an hoc agere, vel omittere sit peccatum? Fateatur humiliter coram Deo, se ineptum esse ad judicandum de plerisque moralibus; sique Confessarius dicat, illas certitudines esse phantasmata & illusiones, animose contemnat. Quod & faciat necdum audito Confessario, si sua certitudo sit contra sensum prudentum, vel deprehendat se errasse ante similibus quasi judiciis, aut putet, quod interrogatus ab altero, non posset ipsum ad id, de quo scrupulus est, obligare.

Si dubitet, an adsit ratio prudens?

Quod si dubitet, an, quod occurrit, sit ratio prudens, sine examine contemnat: cum enim dubia ejus plerumque sint inania, prudenter præsumit, & nunc esse; quia ex communi-

ter contingentibus prudens est præsumptio; sique in ejusmodi circumstantia cedat, acquiret habitum dubitandi in plerisque, & intricabitur, cujus non tenetur se exponere periculo ad vitandum peccatum hic & nunc forte materiale. Hinc si apprehendat obligari se ad aliquid statim faciendum, v. g. ad corrigendum proximum, si non sit certus se teneri, bene facit contemnendo. Fitque per judicium reflexum probabilius ipsi, quod non teneatur, ex quo connaturaliter oritur conscientia certa, quod non peccet.

Si pergat anxietas, se firmet patientia, & fiducia in Deum.

8. Si, ubi statuit agere contra scrupulum v. g. quo urgetur ad repetendum aliquid ex horis, aut peccatum ex præteritis adhuc confitendum, scrupulus adhuc vellicet & angat, suscipiat hanc anxietatem de manu Dei, & patienter ferat in satisfactionem pro peccatis suis, offerat se Deo ad exequendum in omnibus ejus voluntatem, ubi eam agnoverit, & aliis mentem applicet. Si cor adhuc angitur, cogitet, Si huic anxietati cedam, orietur alia, & finis non erit; hanc ergo feram, quamdiu Deo placuerit. Si a Dæmone, aut aliunde suggeratur, quid si in hoc statu contingeret te mori? velleshe sic mori? Perfunctorie hoc tractet, & dicat: Confido in Domino, ejus voluntatem mihi per sapientes indicatam sequor, ipsi erit de me cura; si alias mihi indicaverit obligationem, obsequar: ad salutem non est necesse, me omnia confessum esse, sed sufficit, me moralem diligentiam, ut in aliis magni momenti negotiis solet, impendisse, reliqua peccata simul remissa sunt, & in Confessione comprehensa censentur, sicque præcepto satisfactum, ut certum est, docetque Conc. Trid. donec mihi constet aliquod mortale me rite confessum non esse. Si instet scrupulus: In agone circa hoc anxiaberis; reponat: Confido in Domino, cujus voluntatem nunc exequor, ipse mecum erit, & me tribulari non permittet ultra quod possum, qui dixit per Psalmistam: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorifi-*

tificabo eum. Pater est, non Tyrannus, salutem meam desiderat & curat, non interitum & damnationem: ubi mens mea serena erit, si quid faciendum mihi ultra scivero, faciam, modo non scio, nec facere mihi expedit, nec licet. Et his acquiescat, nec scrupulo cedat.

Utile est proponere sibi frequenter Dei bonitatem.

9. Assuescat repræsentare sibi Deum, ut Patrem benignissimum, scientem infirmitatem nostram, ipse cognovit figmentum nostrum, & scit, quia caro sumus: recurrat ad Salvatorem JESUM summa cum fiducia, qui non volet pretium sanguinis sui nobis frustra impensum. Hujus in nos charitatem immensam frequenter meditetur, de ea legat, & loquatur.

Habere se erga Confessarium velut Vicarium Dei.

10. Magna cum sinceritate, fiducia & reverentia agat cum Confessario suo, velut vices Dei gerente, ejus dicta accipiat velut de ore Dei, ejus directioni se subjiciat, ejus sententiæ acquiescat, jussis obtemperet, & secure procedat; quia cum alius ab insania & mille periculis se tuendi modus non suppetat, plus ab homine Deus non potest exigere. At fortassis sibi videbitur doctior ipso Confessario? Esto ita sit speculative, practice tamen longe est illo inferior in hoc negotio, ob cerebri intemperiem, metus superfluos, animi angorem. Cedat proin, si sapit, quamvis sibi videatur sapiens: hac ratione mentis pervicacia expugnabitur, superbia retundetur, & ingentes a Deo gratias merebitur. Ut autem hoc tanti momenti remedio debite utatur, 1. petat simpliciter a Confessario determinationem rei agendæ, vel omittendæ; rationes vero, cur ita statuat, minime exposcat; alias suum, quod minime expedit, non Confessarii sequetur judicium. 2. Ubi Confessarius semel respondit, caveat, ne ejusdem rei gratia alium consulat, aut in libro rationem, aut resolutionem inquirat. Facile enim involvetur magis, Confessarii auctoritatem minoris faciet; eidem non fidet, & idem erit de aliis. Si plures volet consulere, id arrogantiæ & pervicaciæ signum

gnum est; quam ut Deus puniat ac retundat, magis eum cruciari permittet. 3. Non multum agat etiam cum Confessario de scrupulis, quia sic hi figuntur tenacius. 4. Si semel a Confessario resolutionem habeat, v. g. non repetendam esse Confessionem, non obligari ad jejunium, si adsit occasio executionis, non adeat iterum Confessarium; sed contra scrupulum agat: numquam scrupulos superabit, nisi discat suis solis viribus eos oppugnare. Nec dicat, aliquid forte se oblitum esse, aliquæ Confessarium fortassis non intellexisse, circumstantias forsan esse mutatas. Scrupulorum hic prætextus est, & velamenta ludicra. Egit, quod putavit; agat modo, quod agendum est, & certo sibi persuadeat, quod non peccet: quia Deus plus ab ipso non exigit, ne perpetuo hærendi contrahat habitum. Poterit postea Confessario exponere reliqua. 1. Prudenti & vigili cura vitet venialia, sed sine perturbatione; curam gerat salutis suæ, sed non minus sollicite, aut perturbate; prudens cura laudanda, immoderata in vitium abit, mentem implicat, vires enervat, tædium ingerit, languidum reddit, & tandem fatigatum minus a cœptis avocat, & in desperationem agit. Deus nihil exigit prudentiæ contrarium, jugum ejus suave est, & onus leve; viam ejus currunt, quibus cor dilatatur. Viator nimium sollicitus de via, facilius aberrat; nimis sollicitus in via salutis, in aliis impingit sæpius, quam is, cui cura prudens est.

Vitare discrete venialia peccata.

QUÆSTIO VII.

Quomodo dirigendus, qui scrupulose semper timet, ne cum dubio operetur?

264. *Aliæ regulæ pro*

RESP. Hic scrupulus multis molestus est; quia certum est peccare mortaliter, qui cum dubio practico de gravi malitia operatur.

Sunt autem ſcrupuloſi, qui ad omnia fere hæ- *ſcrupuloſis.*
rent, attamen ſæpe operantur, & poſtea neſciunt, an cum dubio proceſſerint, an vero ſe debite reſolverint. Pro talibus ſerviunt quæ dixi quæſtione præcedente, quomodo formanda ſit conſcientia, & facile poſſit. Quibus adde ſequentia.

1. Si primo ſtatim intuitu & ſine formidine *Prima.*
non appareat eſſe peccatum, prudenter ſe reſolvat, id quod aggreditur ſcrupuloſus, non eſſe peccatum, nec opus poſtea examinare rationes in utramque partem; ſed certo teneat licere, hoc ipſo, quod primo intuitu non appareat certo, & tamquam indubitanter illicitum. Ita *Caſtrop. Laym. Stotz. Sanch. Bonac.* & alii. Ex quo jam naſcitur dictamen hoc conſcientiæ certum: Viri docti & ſapientes tenent, ſic procedendo me licite operari; ergo ſine peccato procedo. Hocque majori cum ſolatio fiet, ſi ab alio ſuæ conditionis homine interrogatus reſpondere deberet, eſſe licitum, aut ſciat in talibus alios homines prudentes procedere ſine formidine peccati.

2. Si talis poſtea inveniat ſe judicio ſuo ali- *Secunda.*
quando aberraſſe, licitum judicando quod reipſa illicitum erat, pergat nihilominus uti dicto principio; quia experientia didicit, timores ſuos eſſe plerumque vanos, eſtque nimis difficile, immo moraliter impoſſibile examinare omnes, adeoque nec Deus ad id obligat. Unde prudenter contemnet omnia, pergetque bona fide; erit autem per accidens, ſi quandoque materialiter erret. Neque obſtat, quod forte videatur ſibi non poſſe contra timorem illum formare dictamen conſcientiæ practicum de licentia actionis; quia timor ille non eſt conſcientia dubia, ſed trepidatio quædam cum apprehenſione mali, cum qua ſtat judicium virtuale de licentia actionis, etſi ipſum ille non advertat ob impetum timoris, qui intellectum perturbat; ſicut cum judicio ultimo practico fundato in

opinione vere practice probabili, stare potest formido de malitia materiali actionis; ita stat hic cum timore illo, qui non est ipso judicio practico, sed illud comitatur, vel antecedit. Si uni hoc non sit ad plenum solatium, formet conscientiam, ut jam dixi, reflectendo super doctrinam prudentum, & agendi consuetudinem timoratorum.

Tertia. 3. Si scrupulosus certo putet se processisse cum dubio, non ideo judicet se certo peccasse, quia dubium potuit tantum fuisse speculativum, & certitudines ejus sæpe sunt phantasmata; quare ad summum erit dubium an peccaverit: cum autem scrupulosus dubia non teneatur confiteri ob gravia mala, quæ sequuntur, si obtemperet suis anxietatibus, uti docent passim Theologi; consultius est, ut illius mentionem non faciat in Confessione, nec se desuper examinet, an peccaverit, nec ne; sed doleat in genere, quod Deum umquam offenderit, seque resolvat, quod nunc aut non peccaverit, aut saltem non teneatur confiteri; paratus id confiteri, ubi timores suos superaverit, & obligationem confitendi agnoverit.

QUÆSTIO VIII.

Quomodo dirigendus, qui scrupulose angitur, ne internis tentationibus consentiat?

265. *Signa cõsensus non dati.* RESP. Huic servient sequentia:

1. Numquam judicet, se consensisse in mortale, nisi certo sciat, immo si valde scrupulosus sit, nisi jurare possit se plane advertisse ad malitiam gravem, & plene in eam consensisse. Alium non licet condemnare peccati mortalis, nisi adsit certitudo, cur quis se ipsum condemnet, ubi illa non adest? Hoc valet, etsi nihil aliud accedet: valet autem maxime, si quid ex dicendis accedat.

2. Si serio sæpe statuit numquam peccare mor-

mortaliter ; vel potius mori, teneat se non peccasse, ubi de eo certus non est ; quia sæpius odio habita, si amentur, id facile advertitur : quare non inhæreat examinandis cogitationibus, si de consensu in illas angatur. Non stant simul magnus horror peccati, & libera ejus volitio, neque credendum est quod benignus Deus ita facile permittat labi in mortali hominem, qui ejus offensam horret.

3. Si tentatus terreatur, & objectum tentationis statim repudiet, ubi magis advertit, plene non consensit ; quia si plenus adfuisset consensus, non tam facile mutaretur, nec tam facile ad Deum rediret, si ab eo plane recessisset.

4. Si postea advertat, se timide processisse ; vel nesciat an vigilans vel dormiens, sobrius vel ebrius fuerit, vel statim post factum dubitet, an consenserit, signum est defuisse plenum consensum ; quia plenus consensus in mortale timoratæ conscientiæ facile apparet, sique fuisset plena libertas, sciret an fuerit vigil, vel sobrius.

5. Si statim, ubi angitur, adhuc reperit se ita habitualiter constitutum, ut malit mori, quam Deum graviter offendere, tenendum est quod non consenserit saltem plene ; quia per consensum plenum in mortale status ille habitualis fuisset destructus. Hæc valent etiam pro non scrupulosis, tenentque Theologi communitet, quod, qui timoratæ est conscientiæ, nec solet plene advertens consentire, possit in dubio censere plenum consensum non adfuisse ; quia ex communiter contingentibus prudens est præsumptio.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

Quomodo dirigendus scrupulosus circa vitam præteritam, & factas Confessiones?

266. *Confessio generalis quando permittenda, & quomodo dirigenda?*

RESP. 1. Si vixit in peccandi consuetudinibus, permittat aliquamdiu scrupulos, ut conscientia recte expurgetur, ante omnia autem disponat eum per actus Fidei, Spei, Charitatis, doloris, & propositi ad Confessionem generalem (si hanc numquam fecerit,) juvet eum in examine conscientiæ percurrendo præcepta Decalogi, Ecclesiæ, occasiones in quibus fuit, & peccata præcipua. Hac Confessione rite facta non permittatur amplius generaliter confiteri; permittatur tamen, ut ter vel quater addat, quæ adhuc incident, & quæ nescit se rite confessum esse: his peractis jubeatur tacere de præteritis, deque iis amplius se non examinare, etsi non recordetur se hoc, vel illud confessum esse; non recordatio enim causa non est rationabilis dubitandi. Quod si sciat pœnitens se solitum esse reticere peccata in Confessione, detur illi tempus aliquanto longius, ut peccata, quæ adhuc incident, confiteatur post Confessionem generalem, & dein jubeatur non examinare se de præteritis: omnia enim saltem indirecte sunt remissa, nec tenetur cum tanto incommodo scrutari præterita, ut omnia remittantur directe. Si nihilominus adhuc postea non acquiescat, sed dicat se certo scire, quod aliqua determinate fecerit, & non sit confessus; jubeat eum Confessarius jurare, quod per ista peccarit mortaliter, & non sit confessus: si prompte juret, audiat ipsum, quia non est scrupulus; si timeat jurare, non audiat, quia non est certus: scrupulosus autem non tenetur quidquam repetere in Confessione, aut confiteri, nisi sit certus se peccasse graviter, & numquam esse confessum.

2. Si

2. Si angatur circa præparationem ad Confessionem, doceatur quod non requiratur, nisi diligentia & præparatio mediocris, qualis in negotiis magni momenti adhiberi solet, nec repetendæ sint præteritæ Confessiones, si probabiliter validæ fuerint.

3. Si Confessarius advertat, quod scrupulosus jam se suæ curæ committens ante alteri fecerit Confessionem generalem, non permittat ipsi, ut quidquam ex vita præterita repetat, sed dirigat eum secundum jam dicta.

QUÆSTIO X.

Quomodo dirigendus scrupulosus, qui variis tentationibus agitatur?

RESP. Præter dicta Num. 244. docendus sequentia: 1. Si tentetur contra fidem, non eliciat actum fidei circa Mysterium, contra quod tentatur, sed contemnat, aut negligat tentatorem, mentem convertendo ad alia, vel si sine perturbatione possit, mentem convertat ad Deum animæ suæ intimne præsentem, & in animo dicat: Credo Domine, apud te maneo; & dein alia agat. Si instet tentatio: ergo non credis jam, v. g. Deum unum simul & trinum? nihil respondeat, sed pergat in suis, quibus occupatur, aut etiam dicat: jam nolo elicere actum fidei; eliciam, ubi opus fuerit, & mihi placuerit. Proinde caveat, ne disputet, & luctetur cum tentatione; sic enim se involvet. Diabolo dabit saltem hanc victoriam, quod permiserit turbari se; is contemptu optime vincitur. Non putet hanc tentationem esse grandem miseriam, sed tamquam phantasma nullius momenti reputet. Sic animus melius a perturbatione servabitur immunis. 276. *Quid agendum, si tentetur contra fidem?*

2. Si tentetur contra spem, putetque se non posse actum fiduciæ erga Deum elicere, & hoc ipsum contemnat, & animo dicat: Trado me *Contra Spem.*

ma-

manibus Dei, ipse Pater est bonitatis infinitæ; Filium suum Unigenitum pro me dedit, ipse Dominus meus est, ego opus manuum eius, statuat ipse de me, quod ipsi placuerit. Et ita dederit actus fiduciæ & charitatis. Si urgeat tentatio: Non scis tamen, an salvandus sis: vel enim prædestinatus es, vel non? si es, salvaberis; si non es, damnaberis, quoquo te vertas; reponat in animo: Scire, an salvandus sim, ad me non pertinet; habeo benignum Dominum; Filius Dei salutem animæ meæ emit pretio Sanguinis sui, illud non volet frustra esse impensum. Prædestinatus sim, nec ne, meum non est examinare. Creatus sum, ut Deo meo in hac mortali vita serviam, hoc fideliter cupio facere, curam de futuris permitto Deo. Si regerat tentatio: Pro omnibus sanguinem dedit Filius Dei, & unus est omnium Deus, & tamen multi damnantur; reponat: si ita, ego Deo obsequar, & faciam ejus voluntatem. Servi non est scrutari omnia consilia Domini sui, nec filii novisse omnia secreta Patris. In his si difficultatem sentiat, tentationem statim in principio contemnat, tamquam stropham Diaboli, & mentem aliis occupet.

Contra Charitatem. 3. Si scrupulosus tentetur contra charitatem Dei, v. g. cogitationibus, quasi Deum blasphemaret, vellet destruere &c. pariter intrepide contemnat, se vertens ad alia. Si videantur tales cogitationes ad cor venisse, non credat se consensisse, nisi certus sit, possitque jurare: certum enim est, quod non tantum in aliis aliquando, sed in scrupulosis sæpe ob vehementiam phantasiæ, & perturbationem intellectus, impediatur libertas; quia anxia formido tollit indifferentiam judicii & voluntatis. Quod si se serio interrogans etiam non scrupulosus, videatur velle omnia opposita, censeri debet nullo modo peccasse; quia duæ dispositiones contrariæ in voluntate non stant simul.

4. Si tentetur contra proximum, v. g. videa-

deatur ipsi bonum, si illi tale, vel tale malum eveniret, aut putat etiam se velle ipsi id malum, contemnat ista, aut reponat: Volo quod velle me vult Deus; & quiescat, nec quidquam examinet.

Circa judicium temerarium.

5. Si circa judicia temeraria sit scrupulosus, v. g. audit aliquem liberius jocantem, & incidit cogitatio; Is est luxuriosus; nullum formet judicium, sitne talis, nec ne: sed habeat se permissive, & dicat: Qualis is sit, ad me non pertinet: Deus Judex est omnium. Si tentatio ingerat: Ergo non judicas esse innocentem? Reponat mente: non sit innocens, quid ad me? Sed hæc tentatio facilius vincitur, eam omnino tamquam rem impertinentem negligendo.

Si videatur sibi velle peccare.

6. Si incidat cogitatio, vellem hoc, vel illud facere, volo facere, videaturque ipse consentire, non turbetur. Hæc sæpe in phantasia & imaginatione aguntur, non in voluntate: combinat enim Dæmon species, ut consensus repræsentetur, qui in voluntate non est: quod ex eo patet, quia sic tentati statim mallent mori, quam peccare; horrent & contremiscunt, ubi advertunt ad talem imaginarium consensum.

Si tentatio sit de futuris sub conditione.

7. Si tentatio sit de futuris sub conditione, v. g. Quid ageres in casu, si aut peccandum esset, aut infernum deberes subire, vel tale, aut tale malum tolerare? servet quæ dixi num. 244. talem cogitationem plane negligat, nihil respondendo: est enim impertinens. Deus infernum condidit, ut ejus horrore a peccatis avertamur, non ut in illum detrudamur, si non peccemus. Si negligendo non liberetur molestia, eam patienter ferat, se interne convertendo ad Deum, aut dicat: Pro nunc nolo offendere Deum; si casus is eveniat, aderit mihi gratia, ut Dei faciam voluntatem, dabit is cum tentatione proventum.

Si sit contra

8. Si tentetur in materia venerea, habeat se,

casti tactus se, ut dictum supra, & si quidem tentatio consistat in phantasmatis impuris, nullo signo externe dato, contemnat placide; agat, quod agit, aut si nihil habet, quod agat, occupet se loquendo cum aliis; aut cogitet jam de cælo, jam de inferno, jam de suis laboribus; vel numeret vitra in fenestris, mente invocet B. Virginem, Angelum Custodem, S. Josephum; vel dicat Deo in corde suo: Domine amo te. Animo amplectatur JESUM Crucifixum. Quod si tentatio pergat infestare, nihil refert, non nocet si non accedat consensus, cujus periculum non est in homine timorato. Si tentatio a rebellione carnis sit cum motu turpi, cedat loco, si possit; imprimat sibi dolorem, invocet auxilium gratiæ, firmet se in proposito moriendi potius, quam Deum offendendi, & se occupet aliis. Si occasio est, recurrat cum fiducia & humilitate ad B. Virginem, Angelum Custodem &c. Cessante tentatione non reflectat, an consenserit, aut quis fuerit successus tentationis. Solet hoc fraudulenter suadere Dæmon, cui si mos geratur, resuscitatur tentatio & periculum. Si consensisset plene, hoc non lateret. Pro quo servit & hæc regula; quando materia actionis vel omissionis, aut objecti est de se grata appetitui, & tamen non causavit specialem delectationem in voluntate, signum est quod defuerit vel plena advertentia, vel plenus consensus; alias & voluntas suam percepisset delectationem. Ita *La-Croix*.

Si abripiatur illico, & videatur sibi consensisse. Contingit non raro, ut homo, qui ante assueverat peccatis in materia venerea, aut cujus phantasia ex diuturnis tentationibus infecta est speciebus venereis, illico abripiatur in delectationem veneream, putetque se consentire, moxque se retrahat & horreat, ne consenserit; at non judicet se consensisse: licet enim appetitus sensitivus delectationem conceperit, & aliqua etiam connaturaliter voluntatis complacentia consecuta fuerit, ea libera non fuit: habitus

enim

enim antiqui connaturaliter operantur primum motum, nec poteſt homo eum reprimere prius, quam adſit: quis enim debellet hoſtem ubi non eſt? Ex eadem ratione notant AA. ſæpe fieri, ut homo, qui cœpit ſerio converti diu inhæreat cogitationi, nec tamen conſentiat; quia habitus acquiſiti operantur, nec poteſt homo aliis intentus animum tam cito advertere ad reſiſtendum. Concors quoque eſt multorum ſententia, quod ratio per importunas incidentias ſæpe etiam in delectationem perveniat, idque ſatis longa mora, antequam ſui ipſius per maturam deliberationem plene compos fiat; & in talibus boni homines peccatum mortale metuere non debent, inquit Henricus Suſo, teſte *La-Croix hic N.* 553. Si hujuſmodi poſtea ſe examinent, & primo videantur ſibi non conſenſiſſe, aut tantum dubitent, vel timeant de conſenſu, præſumant ſe non conſenſiſſe, nec recedant ab hac reſolutione; numquam enim certitudinem aſſequentur, ſed fruſtra ſe vexabunt. Tenendumque omnibus, qui timoratæ ſunt conſcientiæ, ut in æſtu tentationis numquam examinent ſe, an conſenſerint; quia eo tempore apti non ſunt ob mentis turbationem ad ſe examinandum, ſed exſpectent, dum quieti ſunt; tumque prius implorato lumine examinent ſe, advocando etiam ſigna conſenſus ſupra allata.

QUÆSTIO XI.

Quomodo dirigendus ſcrupuloſus circa horas Canonicas recitandas?

RESp. Hic ſervient ſequentes regulæ: 1. Scrupulum, quo angitur, ne deſit intentio orandi, tamquam inſaniam reputet, neminique dicat, niſi velit videri inſanire. Intentio enim adeſt hoc ipſo, quod dicat officium, & non habeat aliam intentionem, quam illud dicendi, 268. *Quid ſi dubitet 1. An habuerit intentionē.*

quod

quod debet. Adest, si velit satisfacere suæ obligationi, quod censetur semper velle, dum sumit Breviarium, & officium incipit, nisi ipsi constet de alia intentione. Immo non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit intentio dicendi officium. Nec requiritur intentio explicita, sed sufficit implicita, & virtualis orandi, quæ habetur dum quis vult dicere officium: vel colere Deum, vel suæ obligationi satisfacere: unde non sit sollicitus, maxime in decursu, de intentione; hæc enim perseverat, quamdiu pergit recitare, statque cum distractione, voluntaria etiam; & licet per hanc amissa esset, rediret tamen sufficienter per distractionis exclusionem, prosequendo cæptum opus. Immo metus, ne amissa sit, vel non renovata, signum certum est, quod adsit intentio.

Signa intentionis præsentis orandi sunt, si sumpto Breviario iverit ad locum quietiorem, vel in quo orare solet: si in initio caput detexit, Crucem formavit: si timeat ne desit, si distractiones excludat: si attendat ad ea, quæ recitat &c. opus non est intentione distincta, recitandi devote: quia hæc includitur intentione orandi, &c.

2. *An omnia expresserit.* 2. Si dubitet, an bene expresserit omnia? an mutilarit properando? an sensum corruperit aliquid omittendo, vel mutando? an voluntarie, & cum plena advertentia fuerit distractus? nihil repetat: tum quia libertas est in possessione, cumque voluerit sine dolo procedere, tenere debet recte peracta esse, nisi certo constet de opposito: tum quia Ecclesia, utpote benigna mater, non vult filios suos esse meticulosos & anxios servos Dei, sed hilares & quietos: hinc censetur non obligari ad repetendum ea, de quibus tantum dubitatur, ut habent AA. communiter cum *Illsung tr. 5. n. 40.* Si enim esset obligatio repetendi dubia, anxietatibus lata aperiretur via, immo officium misere truncaretur, & confunderentur omnia.

Atque hæc regula suadenda est etiam non scrupulosis. Si hæc non eximatur scrupuloso anxietas, attamen nihil repetat, feratque patienter anxietatem, certus quod sequatur judicium prudentum. Si certus sibi videatur, quod plene voluntarie fuerit distractus, adhuc nihil repetat; tum quia illius certitudines vacillant, & sæpe illationes sunt: tum quia sententia probabilis est multorum apud *La-Croix l. 4. sub n.* 1341. quod nulla intentio interna requiratur præter intentionem orandi, a qua verba procedant ordinate, quæ attentio superficialis dicitur; cui sententiæ se accommodare potest, ne se implicet, & gravem molestiam subire dein cogatur.'

3. Inter recitandum non hæreat, sed præmissa intentione sine hæsitatione decurrat, sine intensione capitis, sine præcipitatione (hæc enim fatigat) sine anxia sollicitudine, ne distrahatur, & verba non debite exprimat &c. Non examinet, quomodo processerit; nullum verbum repetat, certus, quod Deus moderata cura magis honeretur quam anxia sollicitudine; quia per hoc indicatur quod Deum respiciat non tamquam benignum Patrem, sed tamquam exactorem severissimum, cui vix possit satisfacere: immo anxia solicitudo distractiones causat; hinc tenetur hanc vitare. *Inter orandum non hæreat.*

4. Attentio requisita nulla actione impeditur, quæ ex natura sua stare potest cum attentione interna. Hinc, licet per aliquam actionem distrahatur, accedente præsertim timore distractionis eventuræ; si tamen actio de se talis non sit, quam probi & prudentes homines inter orandum omnino caveant, non tenetur eam cavere, sed distractio tum eveniens censebitur involuntaria. *Nihil repetat.*

5. Expleto officio, vel hora, scrupulosus nihil repetat, etsi timeat, ne male recitaverit: immo etsi videretur male recitasse. Ratio est, quia Ecclesia non obligat cum tanto gravamine, nec plus requirit. Unde certæ obligationi hic non respondet solutio dubia, sed certa.

Ita tenent AA. communiter. Immo si recitatio horarum ob anxietates & scrupulos esset admodum difficilis, non teneretur ad eam; quia ab Ecclesiæ præcepto excusat magnum incommodum: unde talis posset omittere recitationem, donec videatur sibi, se posse sine tanto incommodo præcepto satisfacere: aut posset, persuasus se non teneri, recitare ex devotione id, quod potest commode; apprehensio enim obligationis anxietatem generat; illaque sublata discet imperturbate recitare, uti experientia docet. Pleraque dicta servari possunt a quocumque qui timoratæ est conscientiæ.

Determinatur tempus. 6. Si ob anxietatem nimium temporis debeat consumere, determinet sibi tempus ordinarie requisitum, & a probis impendi solitum; quodque intra illud recitare non potest, omittat; plus enim Ecclesia ab ipso non requirit. Atque hoc Superior, aut Confessarius scrupuloso potest etiam injungere.

QUÆSTIO XII.

Quomodo dirigendus scrupulosus circa Missam legendam?

269. *Peccat, si det locum scrupulis.* RESP. Servient sequentes regulæ.

1. Tamquam certum teneat, quod peccet, si in Sacrificio peragendo det locum scrupulis, aut perturbationi mentis: quia, cum nomine & in persona Christi agat, valde decent ministrum scrupuli, & inhonorant hanc divinissimam actionem; pariunt populo scandalum, & devotionem maxime impediunt.

Intentio consecrandi non deest. 2. Scrupulum, ne desit intentio consecrandi, tamquam insaniam contemnat; quia fieri non potest, ut Sacerdoti ratione utenti, dum ante Sacrum, ut accedat ad altare, lavat manus, apponit hostiam, induit vestes, accedit ad altare, explicat corporale, inquit Missam &c, desit intentio celebrandi: vult enim aliquid facere; & quid

quid aliud, quam Sacrum? Neque intentio ista revocatur, aut impeditur per distractionem; sed cum hac stat, cum ab intentione illa procedant actiones, alias non ponendæ.

3. Recte faciet, si ante Missam formet intentionem faciendi istis actionibus, quod facit Ecclesia &c. vel dicat orationem: *Volo celebrare Missam* &c. qua lucrabitur 50. annorum Indulgentias ex concessione Gregorii XIII. Dein in Missa non cogitet de renovanda intentione (etsi ab aliis laudabiliter mente ante consecrationem adhibeatur formalis) nec dicat nequidem interne, Volo celebrare, consecrare &c. sed certus sit, quod intentionem habeat sufficientissimam hoc ipso, quod timeat ne desit: dum enim timet carentiam ejus tamquam malam, vult eam abesse, adeoque vult consecrare. Quod si laboraret de resumenda intentione formali explicita, timor turbabit cerebrum, videbiturque sibi non habere, aut menti obversabuntur hæc verba: Non vis celebrare, & ita committet irreverentiam, hærebit, & male sustinebit personam Christi. *Non est renovanda an[...]*

4. Verba consecrationis non dicat altius, quam alia secrete dicenda. Si ob strepitum vel perturbationem forte non audierit verba, moverit tamen linguam & organa vocis, uti solet, quando audibiliter loquitur, nihil repetat, quia tunc timor de verbis expressis imprudens est. Dein mutatio alicujus syllabæ de raro mutat sensum ejus substantialem; ut si quis diceret: oc est corpus meum: ic est calix sanguinis mei: quia satis est, quod verba ex modo & circumstantiis, quibus hic & nunc proferuntur, audientibus ingenerent sensum a Christo intentum, etsi corrupta per se sumpta in rigore eum non haberent: poteslque servire hæc regula: quando voces corruptæ non sunt aptæ hic & nunc sic conjunctæ ingenerare alium sensum, quam a Christo intentum, mutatio non est substantialis: hinc vel ideo non est licitum quidquam repetere. *Verba consecrationis quomodo proferenda?*

5. Verba consecrationis proferat sine metu, *Sine vi*

 sine

& nimia sollicitudine. sine vi, sine anhelatione in hostiam vel calicem, sine nutu capitis; sed immotus, sicut alia verba profert; quia nimia sollicitudo recte proferendi faciet, ut non recte, & cum debita reverentia proferantur.

Nihil repetat. 5. Caveat, ne ullum verbum repetat, quamvis timeat, ne non bene expresserit: si enim verbum, vel una syllaba formæ Sacramenti sine rationabili causa repetatur, est saltem veniale peccatum, quia irreverenter sustinet personam Christi. Qui vero judicare debet, se confecisse sacramentum, v. g. recte pronuntiasse formam quoad substantiam, per se loquendo peccat mortaliter, si repetat, quia esset id illudere institutioni Christi; cum judicare debeat, se nihil effecturum, & tentaret aliquid efficere; nec posset serio conditionem apponere. Ille autem judicare debet se confecisse Sacramentum, qui solum leviter dubitat, aut suspicatur, & timet, nescitque ipse cur timeat, eo quod non occurrat motivum prudens; sed hoc, aut simile: forte male pronuntiavi; possum male pronuntiasse. Unde his contemptis debet pergere, ut monent AA. Dixi, *per se loquendo*, quia *Tamb. Gob. Sporer* & alii putant, quod, qui repetit formam, ut molesto se scrupulo liberet, peccaturus tantum sit venialiter: quia qui ex anxio metu offendendi Deum agit, videtur tantum levem irreverentiam ex imprudentia committere: immo juxta *Gobat* multi excusantur ab omni peccato, quia sæpe non apprehendunt inanitatem sui scrupuli, & perplexi timent, ne magis peccent non repetendo; cumque non habeant tempus examinandi sine suo rubore, & aliorum tædio, putant minus malum esse repetere: neque intervenit temeritatis præsumptio, ubi est diligentia pietatis. At sicut timorati omnes tenentur ante sibi formare conscientiam, quod opus non sit repetere, illaque dein stare contempto omni metu: ita multo magis tenetur ad id scrupulosus; quia, si anxietati suæ cedat, invalescente habitu causa erit multiplicis & forte gravis irreverentiæ.

7. Si

7. Si prolata jam forma advertat se fuisse sub illa distractum, & nesciat an forte erraverit; non ideo licebit repetere etiam non scrupuloso, si formam soleat bene proferre: sed debet supponere quod bene protulerit; tum quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio, nec possumus recordari omnium, inquit S. Thomas; tum quia attentio & intentio virtualis sufficienter adfuit, cum continuata fuerit actio ex priore formali inchoata. Idem ob eamdem rationem faciendum, si quis jam longius progressus dubitare incipiat, an formam protulerit, eo quod de eo judicandi speciale fundamentum non habeat, aut prolatæ non recordetur: in his casibus, & quandocumque non est prudens causa dubitandi aut formidandi, sed leves tantum oriuntur scrupuli de valore Sacramenti, nequidem conditionate est iteranda. Docent tamen *Gobat* & *Sperer*, in dubio, ubi minister non est scrupulosus, potius inclinandum esse ad repetendum; id quod verum est in dubio de valore Baptismi, Ordinis, & alterius Sacramenti hic & nunc necessarii ad justificationem peccatoris. *Etsi fuerit distractus.*

8. Si incidat apprehensio Sacerdoti, an per to *meum* non velit aut voluerit significare suum corpus; aut to *hic* pronuntiare adverbialiter; hanc apprehensionem, etsi sub ipsa consecratione vivacem, contemnat, & velut nugacem negligat, nec tentet formare intentionem contrariam; quia certo adest intentio generalis prævalens faciendi quod faciendum est; nec censere potest se velle peccare mortaliter, uti peccaret si in alieno sensu sumeret verba illa.

9. Si circa aliquid fiat quasi perplexus, & nesciat, hocne, an illud faciendum sit; non hæreat, sed statim agat, quod primo intuitu ipsi videtur melius; nec ab ista resolutione recedat, nec examinet an bene hoc amplexus sit, sed pergat, neque turbetur si postea ad- *Quid si fiat quasi perplexus.*

vertat, se errasse; quia excusat bona fides, quam habet sequendo prudentum consilium, seque ostendere in Sacrificio irreprehensibilem debet, & in populo vitare scandalum & admirationem.

10. Timorem, ne sit in statu peccati mortalis, excutiat; nec judicet, se in eo esse, nisi certo sciat, & jurato possit affirmare.

QUÆSTIO XIII.

Quomodo dirigendus scrupulosus circa Missam rite audiendam?

270. *Intentio audiendi Missam.* RESP. Serviunt sequentes Regulæ: *Prima.* Non sit anxie sollicitus de intentione Missam audiendi: sufficit enim implicita assistendi Missæ tamquam rei sacræ. Hanc autem habet, qui adit templum volens facere officium hominis Christiani, vel quod alii fideles faciunt. Item qui adit, ut sua præsentia per Sacrificium Deum honoret, vel per illud beneficia impetret, aut gratias agat, pro peccatis satisfaciat, impleat præceptum. Item qui adivit templum ex nulla alia causa &c. adivit enim ex aliqua. Unde insaniæ species est scrupulari de intentione, si non constet de contraria.

Attentio. 2. Etsi moderata sollicitudo adhibenda sit, ut habeatur attentio tum externa, tum interna aliqua; hæc tamen anxie quærenda non est: externa enim habetur, si modeste se gerat, & omittat omnem actionem incompossibilem cum attentione interna, seu, qua durante non possit attendere ad ea, quæ in altari aguntur, qualis est scriptio, pictio, confabulatio de re seria, lectio attenta libri profani &c. Attentio autem interna habetur, si quis externe se religiose gerendo sit ita constitutus, ut possit rationem reddere eorum, quæ geruntur in altari: hæc ordinarie stat cum distractione involuntaria; immo stare potest cum voluntaria. Docet enim experientia, quod simul ad plura possumus

attendere. Præterea docent non pauci AA. internam intentionem non requiri aliam, quam v. g. orandi, colendi Deum, ex qua procedat oratio, vel cultus Dei externus, & vi cujus quis dicatur existere sub specie & cultu externo religiose colentis Deum per Sacrificium.

3. Si parte, aut Missa tota peracta angatur, ne forte attentio requisita defuerit, non audiat aliud Sacrum, ut scrupulo satisfaciat; sed certo teneat, se satisfecisse: nec enim hoc difficile & periculosum est moderate sollicito, nec plus ab eo requirit Ecclesia; docetque experientia, quod isti scrupulo cedentes post secundum & tertium Sacrum auditum, non sint angore liberi; immo minus putent se satisfecisse audiendo ultimum, quam primum. Quod si & timeat, ne in pueritia attentio requisita in Missam defuerit, sciat quod pueri & rudes non teneantur ad tantam attentionem, ad quantam alii, quia talis, utpote moraliter illis impossibilis, ab iis non exigitur. Consultum tamen est pro majore animi quiete, si dubium sit prudens, de eo semel, prout conscientia dictat, in Confessione se accusare. In quo loco, qualis requiratur præsentia corporalis, doceat Confessarius pœnitentem, si dubitet; uti & cujus partis omissio constituat peccatum grave, & inducat obligationem audiendi aliud Sacrum.

Non audiendum aliud Sacrum ex scrupulo.

QUÆSTIO XIV.

Quomodo dirigendus scrupulosus circa fraternam correctionem, seu monitionem, qua proximus revocatur a peccato?

271. RESP. Dirigi poterit his Regulis. 1. Pro se loquendo non est obligatio in privatis corrigendi veniale proximi, nisi quis facile possit: esset enim onus nimis grave, obligatio corrigendi venialia singula passim occur-

Requisita ad obligationem fra-

terna charitatis. rentia, vergeretque potius in perturbationem pacis, quam fructum charitatis.

2. Ut sit obligatio corrigendi vel impediendi mortale proximi, facturus correctionem debet esse idoneus, & posse id facere sine gravi suo incommodo, juxta ordinem charitatis. Hinc scrupulosus raro tenetur statim corrigere; si enim sciatur esse nimis anxius, ridebitur, dein nimia sollicitudine sua impinget ipse, & fatigabitur.

3. Debet adesse spes fructus: desperato enim fine cessant media.

4. Peccatum proximi regulariter debet esse moraliter certum, ut teneatur privatus corrigere: unde errant scrupulosi, qui, dum audiunt alios loquentes, statim suspicantur, an non sint proferenda turpia aut detractoria; putantque debere se abire, vel monere: hæc enim suspicio sæpe temeraria est. Et quamquam referantur defectus & peccata proximi, tamen sæpe aut detractiones leves sunt, aut delicta sunt publica, quod nescit ille meticulosus. Unde non raro imprudenter, & non sine injuria loquentis corriget.

5. Si peccatum sit præteritum, ut sit obligatio corrigendi, proximus debet esse in gravi indigentia, qualis esset, si foret in certo vel probabili periculo relabendi, aut moriendi in peccato, nisi per se succurratur. Hinc si sit alius, qui prudenter credatur correcturus, aut si lapsum merito judicetur emendaturus, monitione opus non est, nisi aliud exigat bonum commune.

Potest quandoque differri. 6. Si revera sit obligatio corrigendi, correctio non ideo statim facienda est, quia sæpe in præsenti non est spes fructus; sed differri potest in tempus opportunum, ubi speratur fructus major. Unde iterum errant meticulosi, existimantes simul atque audiunt aliquid contra proximum, id sibi refutandum esse: tum quia sæpe melius consulitur proximo, si cœpta detractio sinatur absolvi, quam si abrumpatur; cum sæpe

in fine minus, quam in principio appareat delictum proximi, & relatæ circumstantiæ id imminuant; tum quia detrahentes sæpe nolunt videri erraſſe, & magis exaggerant, & confirmant delictum. Hinc æqualis raro, inferior rariſſime tenetur corrigere detrahentem.

QUÆSTIO XV.

Quæ ſint regulæ præcipuæ, quibus ſe ipſum dirigat ſcrupuloſus?

RESP. Colliguntur ex dictis, ſuntque ſequentes. 272. *Præcipua pro ſcrupuloſis dictamina.*

1. Frequenter a Deo magna cum humilitate, & plena reſignatione, petat lumen & gratiam ſe dirigendi, & obſequendi ſuo Confeſſario.

2. Uno eodemque docto & prudente utatur Confeſſario conſtanter, ejus ductum humiliter ſequatur exacte in omnibus, non petat, nec inquirat dictorum rationes, certoque ſibi perſuadeat, ſe ſequendo non peccaturum; etſi (quod non præſumat) eum errare contingeret. Hoc eſt medium præcipuum, ſine quo non liberabitur.

3. Ubi Confeſſarius edixerit, quod intelligat ſtatum pœnitentis jam ſatis, quodque is ſcrupulis angatur; id indubitate credat: alias Confeſſarium aut mendacii, aut temeritatis, vel ignorantiæ temere arguet, & dictis ejus aliis non obſequetur, fruſtraque laborabitur.

4. Scrupulis numquam cedat, ſed eos velut inania phantaſmata contemnat, & contra operetur: alias habitum acquiret, & de uno labetur in alium. Unde

5. Ut ſatisfaciat ſcrupulo, nullius peccati dubii apud Confeſſarium mentionem faciat; ſi ſcrupulus pergat vellicare, ferat æquo animo moleſtiam, ſibique perſuadeat, ſi huic cedat, alium ſecuturum, ut experientia docet. Si ergo non poteſt eſſe liber omni inquietudine,

ferat hanc lubens pro expiatione peccatorum suorum, cum firma spe quietis tandem futuræ.

6. Discat, se ipsum dirigere ex principiis a Confessario datis, nec ad eum recurrat, nisi dum Confessio peragenda est.

7. Sit brevis in examinanda conscientia. Si occurrat cogitatio de examinando aliquo peccato, eam rejiciat ad tempus ordinarii examinis, nec judicet se peccasse graviter, nisi sine ullo examine, juramento, si necesse foret, id affirmare posset. Si timeat, ne jam peccaverit, dicat cum fiducia: Domine, ne irascaris, si cadant pupilli tui. Scis quam miserabilis sim, adjuva me, ne umquam offendam te: & durante anxietate non examinet, sed rejiciat in aliud tempus, quo caput erit serenum: in quo, si prudens sit dubium, examinare paucis poterit, sed petito prius a Deo lumine, qui suis deesse non solet: durante enim anxietate aptus non est ad ferendum judicium prudens.

8. Diligenter studeat mortificare judicium proprium, cujus si amator est, non curabitur, nisi aspiret specialis gratia, quam expectare non potest.

9. Vitet otium, & tristem solitudinem: unde semper habeat, quo occupetur; excitetque animum ad gaudium spirituale de Dei Domini nostri bonitate, clementia, misericordia, omnipotentia, & serviat Deo in lætitia: *Hilarem datorem diligit Deus.*

QUÆSTIO XVI.

Quibus pœnitens ad perfectionem tendens, inordinate tamen anxius de statu gratiæ, sit erigendus?

273. *Erigendus signis gratiæ.* RESP. Erigendus est signis seu effectibus præsentis gratiæ: quamvis enim Deus, ut in humilitate conservaret nos, noluerit nos esse certos de statu gratiæ, certitudine fidei, dicen-

dicente Eccles. cap. 9. *Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta;* sic tamen nos voluit esse humiles, ut non simus diffidentes, signisque præsentis gratiæ nos dignatus est, ex quibus de ejus statu moralis certitudo haberi possit. Signa autem sequentia:

1. Magnum peccati commissi odium, & horror admittendi, juxta illud Psal. 97. *Qui diligitis Dominum, odite malum;* si sincere abominaris quæcumque peccata, morique potius sis paratus, quam Deum gravi peccato offendere, sine dubio crede, inquit S. Basilius, te liberum esse a peccatis. 274. Quæ illa?

2. Observatio mandatorum, juxta illud Christi Joannis 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est; qui diligit me.* Certiorem te reddet hoc indicium, si accedat observatio consiliorum, vel serventur mandata ex puro Deo placendi desiderio etiam in naturæ contrariis. Hoc argumento Christus instante passione testatus est amorem suum erga Patrem dicendo: *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, surgite, eamus.*

3. Est proximi propter Deum dilectio non otiosa, sed laboriosa, juxta illud: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Itaque, si proximo propter Deum benefacis, si compateris, & succurris in miseriis, si bona reddis pro malis, noli diffidere de statu gratiæ: ignis pictus non urit, charitas ficta sic non operatur.

4. Sincera cum vero dolore firmoque proposito peccatorum omnium Confessio, ita ut nullius peccati gravis te conscientia accuset, juxta illud Joannis Epist. 1. cap. 3. *Charissimi, si non reprehendit nos cor nostrum, fiduciam habemus ad Deum.* Et illud Eccl. 13. *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Certius redditur hoc indicium, si accedat vita

diu nullo peccato gravi contaminata: nam juxta communem Theologorum sententiam, homo etiam fidelis in præsenti naturæ statu cum ordinariis gratiæ auxiliis non potest potentia morali per longum tempus sine gratia habituali abstinere ab omni peccato mortali, dicente Christo Joannis 15. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet.* Unde lapsus in mortale, ordinarie per notabile tempus non abstinebit a pluribus, quia cor habet a Deo aversum, creaturisque addictum, & deest specialis Dei protectio & gratia. Quare, qui Deo serviens diu non peccavit graviter, confidere merito potest, se in gratia esse Dei. *Da mihi animam*, inquit S. Bernardus, *cui vivere Christus non tantum sit, sed & jam diu fuerit, non ambigo sponsum adesse.*

5. Horror venialium, & amor Dei singularis; qui enim raro plene deliberate peccat venialiter, sique per subreptionem vel fragilitatem veniale admiserit, illico dolet, non acquiescens donec illud pœnitentia eluerit; qui Deum singulari amore complectitur, de ejus perfectionibus gaudet, de ejus cultu sollicitus est, deque illo Deus gratulatur, dubitare non potest, se a Deo amari, & in gratia esse. *Non dubitet anima*, inquit S. Bernardus, *se amari, si amet.*

Hæc moralem faciunt certitudinem de statu gratiæ, cui non parum accedit, si quis desiderium in se sentiat, magis & magis in spiritu proficiendi, plura & plura pro Christo patiendi: *Qui enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Et: *Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei.* Nec obstat, quod dicitur Ecclesiastici quinto, *De propitiato peccato noli esse sine metu*: nam, ut ex contextu patet, sensus est, noli ideo licentius vivere, & addere peccata peccatis.

F I N I S.

AP-

APPENDIX,

SEU

INSTRUCTIO PRACTICA,

ET

METHODUS

DISPENSATIONES

Aliasque gratias petendi, & impetratas exequendi.

CUM Instructionem Neo-Confessarii pro modulo meo jam absolvissem, placuit quibusdam, ut Methodus Dispensationes, aliasque Gratias a Prælatis Ecclesiasticis petendi, & impetratas exequendi subjungeretur in gratiam eorum, qui vel modum pro iis supplicandi, aut a quibus impetrari possint, ignorant; eorum voluntati ut obsequerer, quæ in auctoribus dispersa reperi, collegi in breve Compendium, cujus divisionem & seriem his subjicio.

DIVISIO ET SERIES.

IN-

INSTRUCTIO PRACTICA DE

Dispensationibus, aliisque gratiis petendis, & exequendis.

CUM dispensatio sit actus jurisdictionis, quo legis obligatio relaxatur in particulari casu, vel cum particulari persona, ita ut maneat quoad alios casus vel personas; hinc potestas dispensandi non competit, nisi habentibus jurisdictionem in foro externo, aut ab his privilegium: quia autem non omnibus est eadem facultas, sed quibusdam restricta, atque non pauci Confessarii & Pastores ignorant, quo in certis casibus recurrendum, quaque forma petenda dispensatio; existimavi rem me facturum non ingratam, si ea, quæ in Auctoribus dispersa leguntur, in brevi compendio exhiberem, remittendo potissima ad partes Theologiæ moralis, quæ ad validam licitamque dispensationem requiruntur.

§. I.

De Dispensatione in Festorum observatione.

IN hac potest dispensare, 1. Episcopus. 2. Parochus, etiam præsente Episcopo, quoad labores serviles, ubi sic consuetudo obtinet, aut non est facilis accessus ad Episcopum; secus si consuetudo sit contraria. Et quidem Episcopus, si causa justa adsit, in festis jure communi etiam inductis pro omnibus Diœcesanis; Parochus vero pro parochianis tantum dispensare potest. 3. Superior religio- *1. In Festis.*

sus

sus pro suis subditis, non tamen pro famulis sæcularibus. 4. Papa potest etiam sine causa valide dispensare pro omnibus. Deinde qui habet ordinariam dispensandi potestatem, potest eam delegare alteri, ut dispenset, si causam velut sufficientem approbaverit. Denique si adsit causa moraliter certo excusans, non est opus dispensatione Superioris, nisi forte ob scandalum, quod oriretur, si labor servilis publice exerceretur. *La-Croix l. 3. n.* 584.

§. II.

De Dispensatione in jejunio Ecclesiastico.

2. *In Jejunio.* RESp. Dispensare in hoc possunt. 1. Episcopi. 2. Parochi, ubi consuetudo legitima sic habet. 3. Prælati, & ejus Vicarii respectu suorum religiosorum, non tamen Confessarii, licet ceteroquin Privilegiati, qua Confessarii. Causæ autem dispensandi sunt, impotentia, debilitas, labor, & aliæ referendæ p. 2. Theol. Mor. Num. 177. Pro dispensatione universali in jejunio videtur requiri causa moraliter certa; pro dispensatione autem cum particularibus sufficit una ex causis non totaliter, attamen aliquo modo excusantibus a jejunio. Ratio primæ partis est, quia lex universalis est in possessione certa, a qua non debet universaliter dejici ob causam dubiam; & hinc Ecclesia sollicite inquirit causas majores pro dispensatione universali, quam pro particulari. Quare *juxta P. La-Croix l. 3. p. 2. n.* 1308. pro universali dispensatione non sufficit sola penuria piscium: illa enim uterentur multi nobiles & divites, in quibus forte causa illa non subsisteret. Videtur tamen sufficere certum periculum morborum ob pisces infectos. Ratio secundæ partis est, quia si cum particularibus tantum dispensetur, lex communis adhuc observatur ab aliis, sique adsit causa gravis cer-

ta; non esset opus dispensatione: quare satis est, si causa sit dubie sufficiens. Quod si advertatur minus sufficiens, misceri poterit commutatio, v. g, injungendo orationem vel eleemosynam. *La-Croix l. 3. p. n, 1038.* Qui ab initio Quadragesimæ obtinuit dispensationem ob morbum, si restituta valetudine causa dispensationis omnino cesset, cessat dispensatio; si autem dubium sit, adhuc potest esse illius usus. Qui dubitat, an ex jejunio secuturum sit grave damnum, tenetur recurrere ad Superiorem, nisi periculum sit in mora. Si Episcopus dispenset in Quadragesima in esu carnium, & dubitetur an sæpius de die iis vesci liceat, interrogandus est, quia dispensatio est strictæ interpretationis.

§. III.

De Dispensatione in impedimentis Matrimonii?

QUÆSTIO I.

Quis possit dispensare in impedimentis Matrimonii?

RESp. I. In omnibus impedimentis tantum impedientibus potest dispensare Summus Pontifex, Episcopus vero in aliquibus; non tamen in omnibus: nam potest dispensare in tempore sacro Adventus, & Quadragesimæ, in Proclamationibus, & interdicto a se vel inferiore lato, non vero regulariter in voto reservato; nec in sponsalibus, quia solus supremus Princeps potest ex gravi causa tollere jus acquisitum tertio; talis autem non est Episcopus, sed in spiritualibus solus summus Pontifex. 3. *Quis in impedientibus tantum.*

Resp. II. In impedimentis jure naturæ dirimentibus, uti sunt error, ligamen matrimonii consummati, ætas, impotentia, consanguinitas in- 4. *In dirimentibus*

Ecclesiastici Papa. in primo gradu lineæ rectæ nec summus Pontifex dispensare potest, attamen potest jure ordinario dispensare in omnibus jure tantum Ecclesiastico dirimentibus, nullus vero ipso inferior, nisi ex ejus concessione. Ratio primæ partis est, quia non potest supplere consensum errore impeditum, nec dissolvere matrimonium consummatum, aut facultatem dare viro ducendi plures uxores, nec ineptum ad matrimonium ex natura, vel aliunde perpetuo impotentem reddere aptum & potentem, nec in lege naturæ absoluta dispensare. Ratio 2. partis est, quia illa impedimenta libere sunt statuta ab Antecessoribus Pontificibus, quibus par est potestate Pontifex succedens. Ratio 3. partis est, quia inferior nihil potest in voluntatem Superioris sine hujus consensu.

5. *Et aliquando Episcopus.* Resp. III. Ex tacita concessione Pontificis; etiam seclusa speciali facultate, potest Episcopus pro foro conscientiæ tantum quandoque dispensare in impedimentis dirimentibus, in quibus solet Pontifex dispensare saltem post matrimonium bona fide invalide contractum; non vero in iis, quibus non solet, aut non nisi difficillime dispensat Pontifex. Prima pars constat ex consuetudine & praxi Episcoporum, sic exigente bono communi animarum. Ratio 2. partis est, quia non censetur Pontifex consentire, ut Episcopi dispensent in iis, in quibus ipse non solet dispensare, ut in impedimento consanguinitatis in gradu lineæ rectæ, & primo lineæ obliquæ, conjugicidii publici, disparis cultus, ex voto solemni, ordine sacro, clandestinitate; secus est de impedimentis affinitatis, publicæ honestatis, consanguinitatis in gradu remotiore lineæ obliquæ &c. Declaro assertionem.

6. *In quibus casibus?* 1. Potest Episcopus dispensare in ejusmodi impedimentis post contractum matrimonium, si hæc concurrant. 1. Si matrimonium sit publi-

blicum. 2. Si impedimentum sit occultum; ita ut duobus saltem testibus probari non possit. 3. Si matrimonium sit initum bona fide, seu cum ignorantia impedimenti. 4. Si ex separatione sequeretur scandalum. 5. Si non sit facilis accessus ad Papam ob paupertatem, vel ob aliam causam, vel certe ob periculum usus matrimonii putatitii, & peccatorum ex eo in tanta dilatione dispensationis. Atque his concurrentibus potest Episcopus dispensare etiam in primo affinitatis gradu, uti si Cajus cognovisset matrem, & dein duxisset filiam; aut filiam, & dein duxisset sororem. Ita Auctores apud *La-Croix hic num.* 835. & *Cardenam in 2. crisi diss.* 2. *art.* 13. *q.* 1. communissime. Et juxta plerosque sufficit, quod alteruter bona fide contraxerit cum inculpabili ignorantia impedimenti, etsi sciverit consanguinitatem; quia innocenti non debet nocere alterius malitia. Si autem uterque sciverit impedimentum, non poterit Episcopus dispensare, quia Tridentinum Sess. 24. de reformatione matrimonii cap. 5. excludit a spe dispensationis eos, qui scientes impedimentum, vel id ignorantes, neglectis proclamationibus contrahere præsumpserint. Dicitur autem, neglectis proclamationibus, quia si proclamationes cum licentia Superioris omissæ sint, spe dispensationis non privantur, sed potest Episcopus dispensare cum invalide bona fide conjunctis; quod & affirmat Gobat, Peretz & alii, etsi impedimentum sit publicum, quando separatio fieri non potest sine gravi damno, vel ob paupertatem solvi non possunt expensæ pro recursum ad Papam faciendæ; sique separentur, oriretur infamia, vel scandalum, immo & si conjuges divites separari non possent, & versarentur in periculo incontinentiæ ob moram temporis pro impetranda dispensatione a Papa necessarii. Ratio horum est; tum quia non censetur Pontifex potestatem sibi a Christo concessam

sam in bonum commune animarum, restringere in earum detrimentum; tum quia sic consuetudo Episcoporum habet, quæ utpote non ignota Pontifici declarat ejus consensum, quo confert jurisdictionem, & legi suæ derogat. Ob has rationes potest etiam Episcopus in ejusmodi impedimentis, occultis saltem, dispensare pro matrimonio contrahendo, quando est urgentissima necessitas salutis animæ, & non est aditus ad Papam, vel ob moram est periculum incontinentiæ, vel alterius mali gravis spiritualis, ita AA. communissime apud *La-Croix c.* 838. & ita declarasse Sixtum V. *Pyrrhus Corradus* testatur *in praxi dispensationum l.* 8. *cap.* 4. Dixi autem: *Si versatur in periculo ob moram*. Nam si casus moram patiatur, & Episcopus non habeat specialem facultatem, eam autem habet Nuntius Apostolicus, ad hunc recurrendum foret; propterea enim illi pro his partibus datur specialis facultas; si tamen nec hic specialem facultatem haberet, posset in necessitate dispensare etiam Episcopus.

2. Potest probabiliter Episcopus habens potestatem dispensandi dispensare, si sit certus adesse causam dispensandi, etsi dubitet, an sit sufficiens. Ita cum *Sanch. Tamb. La-Croix l.* 1. *n.* 804. quia potestas dispensandi est latæ interpretationis, nec dispensaturus tenetur ad tam rigidum examen causæ: si autem postea deprehendatur, causam fuisse insufficientem, tenet *Sanch. Tamb. Gobat, Illsung. d.* 2. *n.* 54. dispensatum posse pergere uti dispensatione, eo quod ex pia interpretatione prudenter præsumatur consensus Superioris; verum La-Croix cum aliis negat, saltem si appareat nullam adfuisse causam, quia Superior non censetur consentire in dispensationem sine causa factam.

3. In dubio, an opus sit dispensatione, quia reservatio potestatis dispensandi est odiosa, & Ecclesia merito præsumitur non reservare dispensationem casus dubii, ita

Krimer hic numer. 2043. *Barbosa* & alii.

4. Valide dispensat Episcopus, quando adest error communis cum titulo colorato, quod possit dispensare, quia Ecclesia tunc supplet defectum; secus dicendum, si tantum sit error in Episcopo, v. g. si valens tantum dispensare cum pauperibus, putavit esse pauperem, cum quo dispensavit, & reipsa talis non fuit; quia deest Episcopi intentio, quæ se non extendit ultra facultatem sibi concessam.

5. Si Episcopus putans se posse dispensare in impedimento publico, dispensarit, & postea matrimonio jam a multis annis in facie Ecclesiæ contracto, intelligat se non posse dispensare in eo; poterit jam in impedimento, quod creditur sublatum, dispensare, quia jam est occultum. Ita *La-Croix num.* 844.

Ceterum quando Episcopus dispensat in casibus occultis ex tacita concessione Papæ, hoc tantum juvat pro foro conscientiæ, sique impedimentum dein publicum fieret, & si dispensatio in suo valore persisteret; tamen sequentes Episcopi, si nollent credere dispensationem intervenisse, possent ad vitandum scandalum separationem imperare. *La-Croix num.* 845.

Quando Episcopi Germaniæ extra necessitatem?

Resp. IV. Episcopi in Germania communiter per extraordinariam facultatem, a Sede Apostolica concessam possunt extra necessitatem dispensare pro foro externo, 1. cum pauperibus & miserabilibus in 3. & 4. consanguinitatis & affinitatis gradu simplici & mixto cum 3. non in 3. mixto cum 2. ut Roma declaravit apud *La-Croix num.* 863. pro matrimoniis etiam contrahendis. Pro contracto autem revalidando dispensare possunt cum hæreticis pauperibus conversis etiam in secundo simplici & mixto, dummodo non attingat gradum primum, & in his casibus declarare prolem legitimam; non tamen cum pauperibus hæreticis nondum conversis. 3. Possunt dispensare cum

divi-

Civitibus etiam super impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus proveniente, sine tamen præjudicio alterius. Item in impedimento criminis, neutro tamen Conjuge machinante. Denique in impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter levantem & levatum. Hæ tamen facultates non conceduntur, si mulier rapta sit, & adhuc existat in potestate raptoris.

8. *Quid si una pars sit acatholica.* Colliges, non posse Episcopum dispensare in matrimonio contrahendo, si una pars sit acatholica, quia Papa non solet cum iis dispensare; immo nec videtur Episcopus posse dispensare pro foro interno cum talibus post contractum bona fide cum impedimento occulto, v. g. affinitatis, quia nec Sacra Pœnitentiaria dispensat, nisi pars acatholica convertatur. An Episcopus potens dispensare in singulis impedimentis, v. g. ex incestu & adulterio seorsim, possit si utrumque concurrat, dubium est: negat communior. Vide tamen *La-Croix num.* 920.

9. *Quis possit restituere jus petendi debitum.* Resp. V. Possunt Episcopi etiam citra specialem facultatem dispensare cum impeditis ad petendum debitum, ut habet communissima: etsi enim id non habeatur jure scripto, ita tamen habet consuetudo & praxis Pontifici nota. Idque tenent DD. sive matrimonium tantum sit ratum, sive consummato superveniat impedimentum affinitatis, vel cognationis spiritualis. Idem tenet Castropalao, si quis contraxerit matrimonium obstrictus simplici castitatis voto. Possunt quoque Regulares, quibus facultas a suis Superioribus communicatur, restituere jus petendi debitum, non tamen vi privilegiorum suorum in impedimento aliquo dirimente dispensare etiam pro foro interno; quia non satis constat facultatem illam esse iis concessam, aitque Cardenas, oppositum esse vix tenuiter probabile.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quæ exprimenda sint in supplicatione pro dispensatione in impedimentis dirimentibus matrimonium?

NOta. Duplex pro concedendis dispensationibus a Pontifice Romæ erectum est tribunal. Primum dicitur *Sacra Pœnitentiaria*, secundum *Dataria*, ad quam quoque pertinet Cancellaria & præfectura Brevium, vocaturque etiam officium minoris gratiæ. Sacra Pœnitentiaria dispensat tantum pro foro interno in impedimentis omnibus juris Ecclesiastici, occultis tamen dumtaxat, tam ad contrahendum matrimonium, quam revalidandum nulliter contractum, excepto impedimento consanguinitatis, in quo non dispensat ad contrahendum, sed solum ad permanendum in contracto, & quidem in tertio tantum vel quarto gradu: si ab hoc tribunali petatur dispensatio, non exprimuntur vera nomina dispensandorum, sed solum ficta, v. gr. Titius, Berta, aut per litteras A. B. C. scribi autem potest a quocumque & quacumque lingua: nam sacra Pœnitentiaria suos ex quacumque regione Pœnitentiarios subordinatos habet. Dataria seu Cancellaria dispensat in impedimentis notoriis & publicis pro foro etiam externo, & pro foro interno in secundo gradu consanguinitatis, quamvis occulto; scribi autem debet ad aliquem alium, qui Romæ tradat libellum supplicem.

10. *Sacra Pœnitentiaria & Dataria in quibus dispenset?*

Nota 2. Impedimentum, ob quod invalidaretur matrimonium, occultum dicitur, quod vel nulli notum est, vel si uni alterive innotuerit, ad forum contentiosum nondum est deductum; unde si nequeat probari duobus saltem testibus, aut licet probari possit, si necdum sit probatum, non censetur adhuc publicum facto, vel jure: sed nisi sit fama publicum,

11. *Impedimentum occultum.*

censetur adhuc occultum; etsi foret violenta suspicio, vel mussitatio de eo, quia posset adhuc aliqua tergiversatione celari; utque hoc censeatur publicum, debet sciri a multis: quamdiu enim aliquis non laborat infamia publica, tamdiu obviatur publico scandalo, adeoque censeri debet occultum, dummodo personæ, quibus notum est, sint infra decem, inquit Pignatelli. Ita *La-Croix l. 6. p. 3. n. 870.* Immo licet aliquod sit natura sua publicum, v. g. cognatio spiritualis, utpote contracta in facie Ecclesiæ, fieri tamen potest per accidens, ut sit occultum, v. g. ob diuturnitatem temporis, in quo contractum est, ob distantiam loci a loco, in quo est contractum, per mortem eorum, qui fuerunt conscii, per ignorantiam hujus contractionis.

12. *Forum internum & externum.* Nota 3. Per forum hic intelligitur judicium, jurisdictio, potestas; estque aliud externum, seu forum fori, in quo tractantur causæ in ordine ad externam gubernationem Reip. sive Ecclesiasticæ, sive Sæcularis; aliud internum, quod dicitur forum poli seu conscientiæ, in quo tractantur quæ præcise ad internum animæ statum pertinent: quod si interveniat Sacramentum pœnitentiæ, dicitur forum internum Sacramentale, secus non Sacramentale, ut si quis extra Sacramentum absolvatur a censura, vel reservatione peccati; quare forum conscientiæ est quid commune foro Sacramentali interno: & quando dicitur Pœnitentiariam absolvere in foro interno, sensus est quod absolvat in foro conscientiæ non Sacramentali in ordine ad conscientiam dirigendam, ut sine peccato procedat. His notatis

Resp. In supplice libello exprimenda sunt sequentia.

13. *Exprimenda.* Exprimendum 1. Nomen & cognomen Oratorum & nomen Diœcesis, si petatur dispensatio pro foro externo; si autem petatur pro foro interno, non est opus, ut dixi, ex-

pri-

primere vera nomina oratorum, nec Diœcesin, vel locum originis ipsorum, quia hæc reipsa non remittuntur ad Diœcesanum, sed ad Oratorem ipsum, vel quem is designaverit; quod ut recte fiat, debet exprimi in fine nomen & cognomen, cui rescribendum est, item nomen civitatis, oppidi, in quo moratur. Unde satis est, si petat Rescriptum dirigi, v. g. Treviros ad P. Societatis JESU, exprimendo nomen & cognomen, vel alium quemcumque, qui tradet illud Oratori, & Orator eliget Confessarium, qui dispensationem exequatur secundum dicenda.

2. Exprimendum est impedimentum ipsum, quale in se est, & unde proveniat, an ex matrimonio rato, an ex sponsalibus, an ex copula licita vel illicita; hinc si impedimentum sit affinitas, & scribatur consanguinitas, dispensatio est irrita, uti & si scribatur quartus gradus pro tertio; non vero si scribatur tertius pro quarto, quia remotior includitur in propinquiore ejusdem rationis: unde ab hoc ad illud valet argumentatio; secus si minus in majore non includatur.

3. Si adsint plura impedimenta sive ejusdem, sive diversæ rationis, verb. gr. cognatio carnalis & spiritualis, vel duplex consanguinitas, aut duplex affinitas, debet utraque exprimi, & super singulis peti dispensatio, ut si Titius ducat matrem Caji, & ex ea generet Petrum, & Cajus vicissim ducat matrem Titii, ex qua generet Catharinam, tum enim Petrus & Catharina sunt ex duplici capite consanguinei, potestque uxor Caji dicere de Petro: hic est filius filii mei, & frater mariti mei: uxor vero filii de Catharina: hæc est filia filii mei, & soror mariti mei: vel si quis cognoverit duas sorores, & cupiat ducere tertiam earum sororem; secus si quis ante executionem dispensationis unam tantum sæpius cognovisset: posset tamen, ubi duo impedimenta concurrunt, unum

occultum, alterum publicum pro foro externo peti dispensatio a Dataria in impedimento publico, & a sacra Pœnitentiaria pro cculto, si absque infamia publicari non posset, verb. grat. affinitas ex copula illicita; si autem copula foret publica, illius omissio redderet dispensationem invalidam, quia stylus curiæ exigit illius expressionem, uti declaravit S. Congreg. teste *Corrado l. 8. cap. 1. num. 37.* Nec opposita sententia aliorum apud *La-Croix num. 922.* est practice probabilis, teste Cardena.

4. Quando sponsus & sponsa conjuncti sunt in consanguinitatis vel affinitatis gradu inæquali, quamvis ad valorem dispensationis sufficiat, ut declaravit Pius V. anno 1566. exprimi remotiorem, quia tantum hujus, nisi propinquior sit primus, habetur ratio ex *Cap. finali de consang.* cum consanguinei distantes in gradu dispari intelligantur tantum distare inter se, quantum remotior distat a communi stipite, sicque gradus remotior trahat ad se proximiorem quoad rationem distandi, adeoque etiam quoad dispensationem; nihilominus expedit utrumque exprimere: nam alias, ut licite procedatur ad expeditionem dispensationis, requiruntur litteræ declarativæ, quod non obsit gradus propinquior, ut eorum qui putarent ex defectu dispensationis in gradu propinquiori matrimonium esse nullum, vitetur scandalum; quod quia non immineret si impedimentum esset occultum, aut crederetur per dispensationem esse sublatum, aut si aliter posset evitari scandalum, finem faciendo ex motu Pii V. gradum proximiorem non officere valori, possent juxta *Platellium p. 5. num. 1184. Aversam, Tamburinum, Pontium*, Oratores absque mortali negligere litteras illas declaratorias; Ordinarius tamen ex præcepto Papæ præcipientis declaratorias illas in ordine ad forum externum, non potest absque illis dispensare sine mortali peccato. *La-Croix sub num. 862. §. Non obstat*

stat 1. in fine. Dixi: *Nisi gradus propinquior sit primus:* nam hic necessario exprimendus est.

5. Exprimenda est causa motiva, v. g. *Incompetentia dotis, ætas sponsæ*, si sit superadulta, hoc est egressa annum 24. & paris conditionis sponsum non invenerit, *evitatio scandalorum, infamia mulieris*, ut si a sponso sit corrupta, vel ex familiari conversatione sit orta suspicio, etsi falsa, copulæ.

6. Qui petit dispensationem, ut ducat a se cognitam, consanguineam, vel affinem, juxta Sanch. debet exprimere copulam, quod negat Krimer cum aliis.

7. Qui secundam dispensationem petit, debet meminisse prioris, si hoc necesse sit ad impedimentum plene cognoscendum, vel jus hoc requirat secundum dicenda in Th. Moral. p. 2. n. 587.

8. Si petenda sit dispensatio pro pauperibus, exprimenda est paupertas, non quidem pro valore dispensationis, sed pro minuendis sumptibus.

9. Si petatur dispensatio pro matrimonio invalide contracto, exprimendum est, an sit contractum servata forma Tridentini in facie Ecclesiæ, sive præmissis proclamationibus, aut cum dispensatione in iis &c.

QUÆSTIO III.

Quid observandum sit ad impetrandam dispensationem matrimonialem in forma pauperum pro foro externo?

CUria Romana dispensationem concedere solet pro foro externo, vel in forma ordinaria, vel in forma pauperum. Quando eam concedit in forma ordinaria, certa taxa pecuniæ ponenda est, varia tamen pro diversi- 14. *Certa taxa cui quandoque solvenda.*

 tate

tate graduum, circumstantiarum personæ, causæ & temporum, vel in multam & pœnam, ut tales impediti abstineant, si nolint talem pœnam solvere, ac deterreantur a nimio lapsu, ne antiqui Canones, matrimonia cum tali impedimento ineunda improbantes, vilescant: impenditur autem in sustentationem officialium Curiæ Romanæ, tum in alias necessitates publicas, ut proinde tamquam injusta improbari non possit, cum occupatis in aliorum gratiam debeatur sustentatio, quam & Evangelii Prædicatoribus Christus concessit. Si vero concedat dispensationem in forma pauperum, concedit eam gratis, ita ut illa taxa non exigatur, etsi Agenti sit aliquid pendendum; fit autem ea dispensatio non solum a Papa, sed etiam ab Episcopis in casibus iis concessis, ut declarat consuetudo & praxis, & a Papa quidem nonnisi ob copulam, vel suspicionem copulæ ab Oratoribus habitæ, vel potius ob mulieris infamiam, & scandala verosimiliter, nisi matrimonio jungantur, secutura; a Nuntio autem Apostolico & Episcopis ex speciali privilegio dispensantibus etiam ex aliis causis. Immo si Episcopus vi specialis privilegij dispenset, dispensatio semper gratis, & sic in forma pauperum etiam cum divite fieri debet; quia specialibus facultatibus Episcopis Germaniæ concessis semper additur hæc clausula: *Et præfatæ facultates gratis, & sine ulla mercede exerceantur*. Cumque facultates illæ singulis quadrienniis vel quinquenniis exspirent, semperque cum dicta clausula concedantur, non potest consuetudine præscribi contra illam juxta *Reiffenstuel*.

15. *Quis sit canonice pauper?* Dubium hic est, quinam censeantur pauperes canonice, ut gaudere possint dispensatione in forma pauperum? Pauperes quidem canonice sunt non solum mendicantes, sed etiam qui absque diminutione sui status non possunt solvere jura ad obtinendam Roma dispen-

pensationem, ut fatentur omnes, teste *La-Croix*. Item qui non habent sufficientia, ut juxta status sui conditionem decenter vivere possint, quales etiam esse possunt nobiles. Quare ut decidatur quis hic censeatur pauper, personæ qualitas & circumstantiæ considerandæ sunt; difficultas tamen crescit ex eo, quod postquam deprehensum est, quosdam titulo paupertatis, impetrasse dispensationem in forma pauperum, qui revera pauperes non erant, sed solvere potuissent Romæ taxam, Urbanus VIII. loco clausulæ, *dummodo pauperes existant*, litteris dispensationis inferi solitæ, voluerit poni hanc: *Dummodo ipsi pauperes & miserabiles existant, ac ex solo labore ac industria tantum vivant.* In qua clausula explicanda non conveniunt DD. ut videre est apud *La-Croix hic num.* 857. Nam aliqui probabiliter dicunt pauperem censeri, qui labore suo debet simul victum quærere; miserabilem vero, qui tantum labore suo, & non alio modo sustentare se potest, cui non obstat, quod parvum proventum habeat. Alii tenent, si quis proventus annuos tam tenues habeat, ut deducto ære alieno impensis oneribus ordinariis & extraordinariis v. gr. tempore belli &c. ferendis cogatur labore victum quærere, censeri vere pauperem & miserabilem; nec ideo teneri vendere bonum (ut taxam solvat. Ita *La-Croix n. citato*. Dixi, *ut cogatur*: nam certum est hic non censeri pauperem, qui reipsa dives est, & vivit labore manuum: cum enim non ex necessitate, sed ex suo arbitrio vivat eo labore; nec pauper, nec miserabilis est.

Unde 1. Qui nulla bona possidet, sed tantum labore vivit, certo pauper & miserabilis est, etsi spem habeat pinguis hæreditatis, quia spes non liberat præsenti paupertate.

2. Si parentes habeant quidem multa bona, sed, deducto ære alieno & oneribus, tam exiguus sit proventus, ut simpliciter labore & in-

industria tantum vivant, vel ex bonis non habeant, quo annuatim per duos menses vivant, vere sunt pauperes & miserabiles, quia simpliciter vivunt ex labore suo; ex quibus sequitur non tantum Ruricolas, Opifices, Mechanicos, Milites, sed etiam multos Mercatores & Advocatos, aliosque esse canonice pauperes & miserabiles, eosque & eorum proles posse gaudere dispensatione in forma pauperum. His præmissis.

16. *Requisita, ut dispensetur in forma pauperū.*

Resp. Ad dispensationem in forma pauperum hæc quinque necessaria sunt, ita ut, uno deficiente, nihil sperari possit.

1. Debent Oratores esse vere pauperes & miserabiles, alias deest intentio Pontificis dispensandi.

2. Debet inter eos intervenisse copula, aut esse tam familiaris conversatio, quæ eos de copula suspectos reddat, aut saltem apud Nuntium vel Episcopum adduci alia gravis causa.

3. Debet addi, an copula intercesserit cum ignorantia, an cum scientia impedimenti dispensationis, sive an in fraudem & ad extorquendam facilius dispensationem; quia in hoc secundo casu aut non dispensatur, aut duplum solvendum est.

4. Debet mitti attestatum ab Ordinario, vel ejus Vicarios, quod Oratores sint pauperes ac miserabiles suo labore viventes. Debet quoque mitti arbor consanguinitatis aut affinitatis, aut saltem explicari in quo gradu se attingant dispensandi.

5. Si Oratores non sint quidem miserabiles, fortunæ tamen mediocris, sive non sufficientia habentes ad vivendum secundum status sui, v. g. nobilitatis conditionem, mitti debet attestatio Ordinarii vel Vicarii, in qua exprimantur annui reditus, quos habet Orator & Oratrix, non conjunctim, sed divisim, & significetur nobiles aut honestos esse, & dictos redi-

eus vix sufficere ad congruam sustentationem annuam: nam in tali casu unius anni reditus acceptare solet Dataria, excepto casu, quo Oratores se attingant in gradu 2. & 3. acceptat autem in 2. & 3. solo, ac etiam in aliis gradibus, sive conjunctis, sive divisis, modo non concurrat 2. & 3. Ita *P. La-Croix*, qui *n.* 929. suadet, ut sollicitetur dispensatio per Nuntiaturam, quia hujus litteræ certius diriguntur, ac supplicæ per Agentes proprios Romæ citius ac efficacius proponuntur, expeditiones obtinentur minori sumptu. Ceterum si responsio nimium differatur, monitio facienda est, ne forte supplica sit deperdita, aut in oblivionem venerit ob rerum multitudinem. Notandum præterea quod mortuo Papa obtineri non possint Romæ dispensationes matrimoniales: nam annulus Piscatoris, sive Sigillum Pontificis tunc frangitur.

17. *Quando scribendum ad S. Pœnitentiariam.*

Ex dictis colligitur, scribendum esse ad Sacram Pœnitentiariam, quando impedimentum est occultum, non vero quando est publicum & notorium, uti nec quando in secundo gradu consanguinitatis etiam occulto sunt sponsi conjuncti; immo nec pro ullo gradu consanguinitatis ad matrimonium contrahendum, sed quia in iis dispensat Papa, ad aliquem, qui loco convenienti tradat, libellum supplicem scribendum.

QUÆSTIO IV.

Quomodo formanda sit supplicatio pro impetranda Dispensatione matrimoniali?

RESP. Hoc dabunt sequentia Exemplaria, juxta quæ prudens Parochus, vel Confessarius facile faciet alia pro diversitate impedimentorum & causarum.

EXEMPLAR I.

Pro Dispensatione obtinenda Romæ per Datariam pro foro externo in forma ordinaria super impedimento publico & notorio.

BEATISSIME PATER.

18. *Forma ordinaria ad Datariam.* EXponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum ipsius Oratorum (*Ponuntur nomina eorum, Diœcesis, civitas, oppidum, & Parochia, quia Rescriptum dirigitur ordinarie ad Diœcesanum*) quod dicti Oratores orthodoxæ fidei cultores (*ponitur causa Dispensationis impetrandæ, v. g. quod oratrix dotem non habeat, qua juxta status sui conditionem nubere possit non conjuncto*) cupiant matrimonialiter copulari; sed quia (*ponitur impedimentum, v. g. quod in secundo consanguinitatis gradu conjuncti sunt*) & desiderium suum hac in parte adimplere non possunt sine Sedis Apostolicæ Dispensatione, supplicant humiliter Sanctitati Vestræ, quatenus cum iisdem super dicto impedimento benigne dispensare dignetur. Desuper. Sanctitatis Vestræ devoti Oratores, qui supra.

EXEMPLAR II.

Pro Dispensatione pro foro externo in forma Pauperum super impedimento publico & notorio per Datariam.

BEATISSIME PATER.

19. *Forma pro pauperibus.* EXponitur Sanctitati Vestræ humiliter pro parte illius devotorum Oratorum Petri N. & Catharinæ N. Diœcesis N. Parochiæ N. in oppido N. quod dicti Oratores orthodoxæ fidei cultores, vere pauperes ac miserabiles, & la-

labore suo & industria tantum viventes, conscii se in tertio consanguinitatis gradu, a communi stipite proveniente, conjunctos esse, se invicem, non quidem data opera, ut crimine admisso Sedem Apostolicam ad misericordiam & gratiam erga ipsos faciliorem redderent, sed solum vesana libidine victi carnaliter cognoverint, prolemque susceperint, cum autem, SS. Pater, nisi matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, innuptaque, & proles illegitima remaneret, graviaque inde scandala orirentur, cupiunt prædicti Oratores matrimonialiter copulari; sed quia obstante impedimento ejusmodi desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ Dispensatione, supplicant &c. ut supra.

Notandum, si copula sit habita cum ignorantia, vel sub spe facilitandi Dispensationem, exprimendum id esse, & quidem, an una tantum, an utraque pars cum ea ignorantia vel intentione copulam habuerit. Dixi, *Sub spe facilitandi Dispensationem*, non vero cum spe: primum enim intentionem significat facilitandi Dispensationem, hancque difficiliorem reddit, non vero secundum.

EXEMPLAR III.

Pro Dispensatione super impedimento notorio in secundo & tertio gradu impetranda per Datariam.

BEATISSIME PATER.

EXponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum illius Oratorum &c. *ut supra*, quod prædicti Oratores orthodoxæ fidei cultores, & (*si sint tales, id quod tunc semper addi potest*) vere pauperes ac miserabiles, cupiant matrimonialiter copulari, quia 20. *Pro gradu* 2. *cum* 3.

(*ponitur causa:*) cum autem sint in secundo & tertio consanguinitatis gradu conjuncti, ideoque desiderium suum hac in parte implere non possint absque Sedis Apostolicæ Dispensatione, hinc supplicant humiliter Sanctitati Vestræ præscripti Oratores, quatenus cum iisdem in ejusmodi impedimento ex tertio consanguinitatis gradu dispensare, & quod distantia secundi gradus non obstet, declarare, prolemque exinde suscipiendam legitimam renuntiare de speciali gratia dignetur &c. ut supra.

In his supplicationibus ad Datariam scribitur: BEATISSIME PATER; quia non inscribuntur summo Datario, sicut inscribuntur summo Pœnitentiario, quando petitur a sacra Pœnitentiaria Dispensatio pro foro interno in impedimentis occultis, sed ipsi Papæ, qui ipse dispensat, licet supplicationes per manus Officialium transeant; debet tamen Romæ constitui, qui porrigat Supplicationem, & Dispensationem sollicitet, nisi mittatur supplica per Nuntiaturam.

EXEMPLAR IV.

Pro dispensatione impetranda a sacra Pœnitentiaria pro foro interno super impedimento occulto ad matrimonium contrahendum.

Eminentissime & Reverendissime Domine &c.

21. *Ad pœnitentiariam pro contrahẽdo matrimonio.* EXponitur humiliter Eminentiæ Vestræ, quod, postquam Cajus laicus Titiam carnaliter cognovit, impedimenti ignarus (*vel si ita non est, ponatur conscius*) tractatum habuerit cum sorore dictæ Titiæ de contrahendo matrimonio, qui tractatus cum publicus sit, impedimentum vero occultum, & nisi Cajus & Titia matrimonialiter copulentur, exinde verisimiliter oritura sint scandala;

cupit

cupit Orator, ad scandala vitanda, & pro conscientiæ quiete a præmissis, de quibus summe dolet, absolvi, & secum dispensari. Quare Eminentiæ Vestræ humiliter supplicat, ut super his de opportuno remedio auctoritate Apostolica providere dignetur. Desuper

Eminentiæ vestræ devotus Orator,
Qui supra.

EXEMPLAR V.

Pro dispensatione super impedimento occulto post contractum matrimonium, a S. Pœnitentiaria impetranda.

Eminentissime, & Reverendissime Domine &c.

EXponitur humiliter Eminentiæ Vestræ pro parte devoti illius Oratoris, Caji laici, quod ipse, alias impedimenti conscius (*vel ignarus*) matrimonium per verba de præsenti in facie Ecclesiæ contraxerit, & successive consummarit cum muliere, cujus matrem ante carnaliter cognoverat; cum autem dictus Orator ob affinitatis impedimentum ex dictis proveniens, quod occultum est, in eo matrimonio remanere non possit absque Sedis Apostolicæ Dispensatione; & si divortium inter eos fieret, scandala exinde orirentur; cupit a præmissis, de quibus summe dolet, absolvi, & secum super impedimento ad remanendum in dicto matrimonio dispensari (*si proles ex eo suscepta sit, addatur*) prolemque legitimari, Quare Eminentiæ Vestræ &c. ut supra. 22. *Pro revalidando.*

EXEMPLAR VI.

Super eodem brevius.

Eminentissime & Reverendissime Domine &c.

23. *Forma brevior.* Titius laicus conscius (*vel ignarus*) impedimenti contraxit in facie Ecclesiæ matrimonium cum muliere, cujus matrem (*vel sororem aut filiam*) prius carnaliter cognovit: quare cum absque scandalo separari non possint, & impedimentum sit occultum, humillime supplicat absolvi & dispensari.

Nota. Epistola seu Supplicatio ad sacram Pœnitentiariam terminanda est hoc modo: Dignetur Eminentia Vestra rescribere NN. (*exprimatur nomen & cognomen, cui rescribendum est*) ad civitatem N. (*exprimatur nomen civitatis*) per oppidum (*exprimatur vulgare nomen oppidi*) & dirigere Breve simplici Confessario, seu Confessario Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, sive Parocho, cui pœnitens suam conscientiam aperuit, addatur nomen & cognomen Confessarii. Deinde foris Epistola inscribitur:

Eminentissimo & Reverendissimo Domino; Domino Cardinali majori Pœnitentiario. Romam.

Supplica etiam includi potest litteris ad Confessarium in Pœnitentiaria, quorum alii sunt ex Ordine S. Dominici, alii ex Ordine S. Francisci, alii ex Societate JESU.

EXEMPLAR VII.

Pro dispensatione in foro externo impetranda ab Episcopo, vel Nuntio Apostolico ad matrimonium contrahendum.

Reverendissime & Illustrissime (*vel* Celsissime *prout dignitas personæ exigit*) Domine.

EXponitur Reverendissimæ Dignitati (*vel* Celsitudini) Vestræ pro parte devotorum illius Oratorum Pauli N. & Margaritæ N. Diœcesis N. Parochiæ N. quod dicti Oratores orthodoxæ fidei cultores, vere pauperes ac miserabiles, ignorantes (*vel scientes*) inter se intercedere impedimentum (v. g. publicæ honestatis, consanguinitatis in tertio vel quarto gradu) sponsalia contraxerint, atque familiariter inter se conversati sint (*si sit suspicio copulæ, aut hæc habita, hoc addatur; & insuper, an sub spe facilioris Dispensationis vel non*) & nisi matrimonium inter se contrahant, dicta mulier verisimiliter diffamata, & innupta remaneret, graviaque inde scandala orirentur: cum autem &c. (*hic ponatur impedimentum*) & desiderium suum hac in parte implere non possint absque Dispensatione, hinc supplicant Rmæ.... Vestræ, quatenus cum iisdem super dicto impedimento benigne dispensare dignetur. Desuper:

24. *Formæ ad Episcopum vel Nuntium pro foro externo ad contrahẽdum.*

Rmæ .... Vestræ devoti Oratores: Qui supra.

EXEMPLAR VIII.

Pro Dispensatione super impedimento publico ad manendum in matrimonio invalide contracto.

Reverendissime &c.

25. *Ad revalidandum.* EXponitur &c. quod dicti Oratores, ignorantes impedimentum, præmissis denuntiationibus, in facie Ecclesiæ bona fide contraxerint matrimonium, illudque consummarint (*suscepta prole vel prolibus:*) cum jam vero innotescat, eos esse consanguineos in quarto vel tertio gradu mixto cum quarto, adeoque absque dispensatione in matrimonio manere non possint; si vero separarentur, gravia inde scandala &c. orirentur. Quare supplicant Rmæ .... Vestræ, quatenus cum iisdem super memorato impedimento consanguinitatis in quarto gradu dispensare, & non obstare propinquiorem declarare de gratia speciali dignetur, ut in facie Ecclesiæ licite & valide rursum contrahere valeant &c.

Juxta Exempla jam data facile confici poterit libellus supplex pro Dispensatione in foro interno ad Ordinarium, in quo ponendum nomen Diœcesis, non vero nomina Oratorum & Parochiæ, ut, quoad potest, famæ Oratorum consulatur.

QUÆSTIO V.

Quæ taxæ & impensæ sint Romæ pendendæ pro Dispensationibus matrimonialibus in Dataria?

26. *Taxa.* REsp. Taxæ Jurium solvendorum, quæ tariffæ dicuntur, variæ sunt pro diversitate personarum, causarum, & temporum.

A P. La-Croix l. 6. P. III. sub n. 932. sic ex-
ponuntur.

Pro dispensatione matrimoniali in consanguinitate, vel affinitate cum pauperibus, Romæ.

	Imperiales
In 2. gradu æquali & copula licita.	14.
In 2. & copula illicita.	3. & 4. pars Imp.
In 3. & 2.	5.
In 3. æquali.	4.
In 3. & 4.	3. & med. Imp.
In 4.	3.
Pro cognatione spirituali.	4.
Super impedimento publicæ honestatis.	& med. Imp.

Pro Divitibus vel Nobilibus dispensandis.

	Scuta.
In 2. gradu quando copula præcessit.	540.
In 3. & 2. gradu sine causa.	530.
Cum causa.	45.
In 3. gradu cum causa.	45.
Sine causa.	30.
	28.

Pontifex dicitur dispensare sine causa, quando nulla ex prædictis, vel similis adest; ceterum numquam dispensat sine omni causa etiam extrinseca ipsum movente, quæ ordinarie est bonum publicum Ecclesiæ, aut alia pia causa, pro qua exigit multam a dispensandis divitibus.

Porro duo Scuta faciunt tres circiter nostræ monetæ Imperiales. 10. Julii seu Pauli faciunt Romæ unum Scutum. 10. Bajochi unum Julium. 5. Quatrini unum Bajochum. Ita Plettenberg in Notitia Curiæ Romanæ.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Qualis debeat esse ex commissione dispensaturus?

27. *Roma ordinarie non dispensat per se.* ORdinarie non dispensatur super impedimentis matrimonii Romæ, sed Episcopo, vel Vicario generali, quem Curia Romana Officialem vocat, committitur, præsertim si in foro externo sit dispensandum, vel dispensatio a S. Pœnitentiaria pro foro interno committitur facienda Confessario, aut alteri, quem dispensandus elegerit: litteræ enim S. Pœnitentiariæ diriguntur ad Oratorem, seu ad ipsum, qui dispensationem per se vel alium petiit, qui non debet eas resignare, sed eligere Confessorem talem, qualis inscribitur, qui eas sibi ab Oratore traditas resignet, legat, & deinde cum eo secundum commissionem dispenset. Licet vero quocumque casu ab alio aperiantur, non carent effectu, quia qualitas Doctoris non requiritur ad aperiendum, sed ad dispensandum.

Quæritur: *Qualis esse debeat executor eligendus?*

28. *Qualitas executoris.* Resp. Debet primo esse simpliciter approbatus ab Ordinario territorii, in quo est dispensaturus. 2. Debet regulariter esse Magister sive Doctor Theologiæ vel Juris Canonici, promotus in Academia, neque sufficit quod sit Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, vel Magister, seu Doctor Ordinis: quod enim talis in favorabilibus veniat nomine Doctoris, intelligitur tantum de iis, quæ ratione exercitii, non quæ ratione dignitatis committuntur. Dixi, *regulariter*: nam ex privilegio a Gregorio XIII. anno 1582. concesso possunt Confessarii Societatis JESU, quos Generalis, vel alius Superior de ejus licentia, quam Superiores habent,

bent; ad id designarit, dispensationem illam exequi; atque hoc alii Religiosi mendicantes quoque possunt per communicationem privilegiorum, si specialem a suis Superioribus ad hoc facultatem impetraverint; alias dispensatio erit nulla. 3. Debet esse specialiter ad hoc electus a dispensando, qui tamen semel electum, si deprehendat ignorantem vel nimis rigidum, mutare potest. Ita *Sanchez*, *Perez de matrimonio disp.* 48. *sess.* 5. *num.* 7. *Gobat*, *Krimer*, *La-Croix num.* 955. contra alios.

QUÆSTIO VII.

Quæ observanda sunt electo vel deputato ad dispensandum pro foro interno?

RESP. Sequentia. 1. Si expresse habeatur in Rescripto, ut dispensatio fiat in actu Confessionis Sacramentalis, vel in foro Pœnitentiæ, vel audita Confessione, requiritur Confessio sacramentalis velut conditio, eaque sincera & valida; non ex eo tamen, quod dicatur: Cum illis dispenses in foro conscientiæ, sequitur requiri Confessionem. *La-Croix n*, 956. 29. *Observãda septẽ.*

2. Confessarius, qui potest dispensare, etiam potest absolvere ab omnibus reservationibus & censuris, quæ proveniunt ex peccato, ob quod dispensatur; non tamen ab aliis, quæ aliunde proveniunt, nisi reservatio & censura impediret effectum gratiæ, quia in Rescripto additur, Quas propter præmissa quomodolibet incurrit.

3. Expendere debet diligenter clausulas Rescripti, & examinare desuper dispensandum: quamvis autem ordinarie non requiratur, posset tamen ex causa exposci juramentum.

4. Præmittat monita opportuna & consilia de fideliter respondendo, de implenda pœnitentia injungenda, de cavendo relapsu in delictum.

5. Si supplicans nollet umquam dispensari, aut non posset defectu conditionis, Confessarius.

rius non posset eum absolvere à reservatis & censuris, quia additur: *ad effectum concessæ gratiæ*. Quare dispensatio impedimenti, & revalidatio matrimonii, est causa finalis ceterorum, qua cessante, cessant reliqua. *La-Croix num.* 959. Quod si dispensatio facienda esset saltem post duos tresve annos, posset dispensandus ab nunc electo Confessario absolvi a reservatis & censuris pro dispensatione, dein ab eodem accipienda; cumque dispensatio non sit alligata tempori, posset diutius differri, modo a censuris absolvatur interea, ut satisfaciat præcepto annuæ Confessionis.

6. Debet Rescriptum lacerari, vel comburi; vel ita corrumpi ut non possit produci in foro externo, quod fit si detrahatur sigillum, laceretur per medium, indicantur lituræ, vel cancelli, quamvis retineatur. Tunc enim nullum ejus authenticum exstat exemplar. Hoc si negligeretur, valeret quidem dispensatio, peccaret tamen Confessarius graviter, quia præcipitur sub excommunicatione latæ sententiæ: non peccaret tamen, si illius exemplar pro se describeret; huic enim non haberetur fides in foro externo. *La-Croix num.* 966.

7. Si Confessarius minus bene peregerit officium suum, v. g. si dispensarit, sed non legitimarit prolem spuriam, poterit Rescriptum præsentari alteri Confessario qualificato, qui hoc acceptato supplere poterit; quia commissio imitatur forum Pœnitentiæ, in quo si unus non satisfecerit, poterit adiri alius.

QUÆSTIO VIII.

Quænam sint clausulæ, & quomodo intelligendæ, quæ Rescriptis pro dispensatione matrimoniali solent inseri.

36. *Variæ clausulæ* RESP. Sunt variæ, quæ pro diversitate dispensationum diversæ inseruntur. 1. est:

Qua-

Quatenus si ita est: hoc est, an vera sint narrata. 2. *Audita prius ejus sacramentali Confessione*: nimirum ante absolutionem & dispensationem. 3. *Sublata occasione peccandi*: vi hujus tolli debet occasio omnis proxima peccandi, v. g. cum sponsæ matre, vel sorore, vel alia, cum qua ante peccavit sponsus, & quidem ante absolutionem, quia est quid substantiale, & magni momenti; sufficit tamen, si permanens in eadem domo, ex occasione proxima ante faceret remotam, quia occasio proxima esset moraliter sublata; debet autem Confessarius media ad id præscribere. 4. *Ad vitanda scandala, quæ orirentur*: ubi nomine scandali non venit admiratio, aut prudens opinio de alterutrius improbitate, sed publica occasio peccandi per temeraria judicia, detractiones, odia, dissensiones, imitatio mali exempli. 5. *Hac vice absolvat*. Circa hanc docet *Krimer a n.* 2353. & probabile agnoscit *Gobat*, quod dispensandus si post concessionem gratiæ laberetur in plures censuras, vel reservata, possit etiam ab his absolvi; quia per hæc non est extincta gratia, cujus effectum cum impedirent alias reservata, debent posse tolli: hæcque potestas absolvendi durat, quamdiu ex rationabili causa differtur executio dispensationis. Nec obstat quod Confessarius accepta facultate absolvendi Titium a lapsu carnis reservato, non possit uti ad absolvendum ab aliis ante absolutionem interea commissis; quia facultas limitabatur ad peccatum manifestatum, & pro quo determinate petebatur, habetque sublatio reservati illius rationem finis: at in nostro casu sublatio censuræ habet rationem medii; ideo enim datur facultas absolvendi a censuris, ut absolvatur a peccatis, & in statu gratiæ revalidet matrimonium; facultas autem absolvendi mensuranda est secundum rationem finis, ut habet *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 27. *art.* 6. Cum ergo censuræ, quæ interveniunt, impediant finem, facultas se extendit etiam ad il-

expendendæ, & servandæ Commissario.

illas tollendas. De primo casu V. *La-Croix l. 6. p. 2. n.* 1692. 6. *Injuncta ei pro tam enormi libidinis excessu gravi pœnitentia salutari*: quæ pro prudentia Confessarii potest esse, v. g. jejunium per sex menses semel qualibet hebdomada, recitatio tertiæ partis, seu quinque Decadum Rosarii per tres menses tribus diebus in hebdomada; vel aliud pietatis opus, considerata qualitate, statu, sexu, ætate pœnitentis. Si tamen dispensandus jam ante confessus esset, & accepisset proportionatam pœnitentiam, vel si cum tali dispositione accederet, ob quam meretur minorem, posset levior imponi; quia clausula intelligitur de peccato non confesso secundum se. 7. *Injungatur Confessio saltem una singulis mensibus*. Hanc tenet *Gobat* durare tota vita; & quoties omittet, toties peccaturum mortaliter. *Krimer* putat probabiliter, si non addatur, *in perpetuum*, satis esse si injungatur ad annos secundum mensuram delicti. *La-Croix num.* 903. 8. *Demum, dummodo impedimentum ex dictis proveniens sit occultum*: quod proinde examinare debet Confessarius. 9. *Aliudque canonicum non obstet impedimentum*: puta, in quo dispensatum non sit, vel quod dispensatione egeat. Hinc non obstat, quamvis, cum affinitate jam dispensata, clandestine ante contractum sit matrimonium; quia impedimentum clandestinitatis potest per contrahentes tolli renovando consensum coram Parocho & testibus. 10. Si addatur hæc clausula: *Prolemque susciepiendam exinde legitimam nuntiando*, sensus est, ut declaret tantum legitimam; quia, sublato per dispensationem impedimento, ex matrimonio nascitur proles de jure legitima. 11. Quando dicitur, quod proles ex invalido matrimonio nata declarari debeat legitima *pro foro conscientiæ tantum*, sensus est, prolem talem pro utroque foro fuisse illegitimam, si uterque parens fuit conscius impedimenti, tumque esse legitimandam, in

quo casu Ecclesia tantum dispensat pro foro interno ; attamen juxta *Krimer* tum legitimatur quoad temporalia & spiritualia, juxta alios vero tantum ad Ordines sacros & beneficia. Quando vero saltem unus bona fide contraxit, putans matrimonium esse validum, proles censeri debeat legitima pro utroque foro. Idem dicendum, si non indicetur etiam mala fide impedimentum, quando revalidatur matrimonium. *La-Croix l.* 964. 12. Si ubi revalidandum est matrimonium, dicatur : *parte altera de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute ut Latoris delictum nusquam detegatur ;* debet alteri parti nullitas matrimonii ita aperiri, ut sit libera absolute ad consentiendum de novo, vel non consentiendum. Potest tamen a parte conscia impedimenti etiam pro altera ignara illius impetrari dispensatio ; dum enim inhabilitas relativa tollitur ab una, etiam tollitur ab altera : nec apparet, cur gratia non possit impetrari invito, quamvis ei liberam maneat ea uti, nisi jura requirant acceptationem gratia donandi, uti requirunt dum impetratur beneficium Ecclesiasticum. 13. Quando additur, *Tuam conscientiam oneramus*, eligitur industria personæ pro ipso actu dispensandi, hicque relinquitur ejus arbitrio sine cognitione judiciali; sufficitque prudens judicium de veritate narratorum, etsi non adsit certitudo, nec locus est appellationi. 14. Quando, ut solet, in Rescripto habetur : *Si per diligentem informationem compereris preces veritate niti ;* hoc spectat ad formam, & prærequiritur ad valorem, ut constat ex *Trid. Sess.* 22. *cap.* 5. *de reformat.* ; idque licet ex Confessione sponsorum, aut aliunde constaret ; non debet autem plus examinare, quam mandatur : unde sit, ut nunc fit, clausula non addatur : *dummodo copula non intercesserit* ; in eam inquirere non debet ; secus si apposita esset : quo tamen casu si ageretur de dispensatione pro foro externo,

& co-

& copula esset occulta, juxta *Sanch. Krimer*, & alios, reus non teneretur eam fateri, quia sensus esset: si intervenerit, & publice sit nota. Et idem esset, si Judex interrogaret de alio impedimento occulto, quod debito tempore tollendum esset. Econtra informatio pro foro externo capienda est ab aliis, quia in eo nemo admittitur ut testis in causa propria. Quod si per testes preces essent justificatæ, & delegatus extra sigillum Confessionis sciret eas non subsistere, non posset pergere; quia executio remittitur ejus judicio & discretioni, onerata ejus conscientia, id est, si in conscientia repererit preces veritate niti, & non sequi scandala. 15. Si dicatur: *si tibi videbitur expediens, dispenses*; dispensatio committitur ejus non libertati, sed prudenti judicio. 16. Si addatur: *ut asserunt, se de genere nobili ortos*; & alia causa movens Papam non addatur, debet nobilitas coram executore probari; sufficit autem, patrem esse nobilem, vel eos nobiliter vivere, & non exercere quæ populares exercent. Econtra viles censentur Alechanici: honesti, qui exercent artes ingenuas, seu plus ingenii requirentes, ut ars pictoria, &c. 17. Si dicatur in dispensatione cum illegitimo: *dummodo paternæ incontinentiæ imitator non est*; est tantum instructio & adhortatio, ut talis non sit; hinc, quamvis esset, adhuc valeret dispensatio. 18. Si dicatur: *dummodo per annum non insorduerit*; sensus est, si non permanserit toto anno in delicto sine pœnitentia; unde si intra annum sit confessus, non censetur insorduisse, etsi forte relapsus sit, modo in hoc iterum non permanserit per annum sine pœnitentia. 19. Si addatur: *gratis ubique, sub pœna invaliditatis sine mercede, sive præmio, sine munere, gratis sub communicatione &c.* prohibetur, ne admittatur quidquam. Pro foro externo spectanda est consuetudo quoad Officiales.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

Quomodo in praxi procedendum juxta doctrinam hactenus traditam?

RESP. Procedi potest hoc modo. 1. Si advertas inter aliquos, qui jam contraxerunt inter se matrimonium, esse impedimentum dirimens, expensis incommodis fortassis secuturis, vide quid magis expediat, an illis revelare impedimentum, aut potius illos relinquere in matrimonio bona fide contracto, sine impedimenti revelatione. 31. *Praxis secundum dicta procedendi.*

2. Si matrimonium primum intendant contrahere, quantum potes, nisi aliud exigant circumstantiæ, dissuade, quia plerumque infausta sunt matrimonia inter personas antecedenter impeditas, nisi adsit valde justa dispensationis petendæ causa: frequenter enim ducuntur motivis carnalibus aliis, mereque temporalibus, quæ a Deo non probantur, ideoque cælestem impediunt benedictionem.

3. Si in conjugato notes impedimentum, quod ipse sciat, & super quo dispensari cupiat, eo quod non possit separari sine scandalo, nec vivere cum putatitia uxore continenter, procura illi dispensationem, vel ab Episcopo, si impedimentum sit ejusmodi, in quo dispensare is possit; vel Roma saltem per pœnitentiarium religiosum, de quibus memini supra sub N. 295. Interim jube eum abstinere ab omni actu conjugali; quod securius obtinebitur, si negotiorum vel alia de causa alio abeat, ita ut non eodem lecto cum putatitia uxore utatur.

4. Ubi Rescriptum acceperis, si habeas qualitates requisitas, & Orator te ad exequendam dispensationem eligat, aperi ipso præsente litteras, expone omnes clausulas concernentes, quære an vera sint quæ illic asseruntur, & an præstare velit quæ injunguntur; si affirmet vera esse omnia,

seque paratum ad præstandum omnia offerrat; jube eum disponere se ad Confessionem, audi confitentem, impone præscriptas pœnitentias, adde debitas admonitiones, deinde absolve a censuris & peccatis forma consueta, & dispensa utens hac forma: *Insuper auctoritate Apostolica*

32. *Forma dispensandi.* *mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento*, v. g. affinitatis, ita ut, illo non obstante, matrimonium contrahere (vel renovato consensu in eo permanere) possis & valeas cum N. In nomine Patris, &c.

Eadem auctoritate prolem, si quam susceperis, legitimam declaro.

Si hac forma non lubet uti, poteris absolvere a censuris & peccatis cum intentione dispensandi, & dein declarare pœnitenti, cum ipso esse dispensatum, & proles fore legitimas. His peractis lacera litteras dispensationis.

§. IV.

De Dispensatione pro Ordinibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid pro Dispensatione super natalibus seu cum illegitimis sit observandum?

33. *Qui sunt illegitimi?* RESP. I. Illegitimi in genere dicuntur, qui non sunt nati ex vero, vel saltem putatitio matrimonio. Si sint ex parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec tempore nativitatis, nec intermedio legitimum potuit esse matrimonium, dicuntur spurii, nati ex damnato coitu: ut sunt nati ex adulterio, incestu, concubitu sacrilego. Si vero inter parentes tempore conceptionis, vel nativitatis, aut intermedio potuit esse legitimum matrimonium, naturales appellantur. Hi omnes sunt irregulares, & arcentur ab Ordinibus & beneficiis Ecclesiasticis; legitimantur tamen per subsequens

matrimonium inter parentes suos, postea etiam in articulo mortis bona fide contractum, etsi invalide, modo ab Ecclesia reputetur validum. Excipe tamen spurios, qui per subsequens matrimonium præcise non legitimantur spectato jure canonico ad Ordines & beneficia ex capite, *Cum tanta, qui filii sint legitimi;* nisi tempore conceptionis ab uno conjuge impedimentum fuerit ignoratum. *Palao tr.* 13. *punct.* 6. §. 2. *n.* 9.

Dixi in Responsione: *Ex matrimonio vero, vel saltem putatitio:* nam illegitimi non sunt 1. qui nati sunt ex matrimonio solum illicito, ut nati ex conjugibus voto simplici castitatis in sæculo obstrictis. 2. Nati ex parentibus judæis, vel infidelibus, quia eorum matrimonia in ratione contractus censentur valida. 3. Nati ex parentibus, qui matrimonium celebrarunt cum impedimento dirimente occulto præmissis proclamationibus. Secus, si hæ sunt omissæ. *Ex Cap. cum inter.* 4. Nati ex matrimonio reipsa quidem invalido, bona tamen fide saltem ab uno contrahentium celebrato. 5. In dubio, an quis sit illegitimus, habetur legitimus; quia in dubio vitium non præsumitur, & culpa parentum dubia non debet obesse prolibus cum detrimento certo; hinc etsi sciatur, quod uxor ante matrimonium se miscuerit pluribus, si tamen proles nascatur post septimum mensem a contracto matrimonio computatum, censetur legitima: nam licet a conceptione usque ad nativitatem prolis plerumque intercedere soleant novem menses lunares; attamen, ut ait *Aristoteles, lib.* 7. *de Animalibus cap.* 4. non unum tempus, sed multiplex pariendi homini a natura datum est: mulier enim mense septimo, octavo & nono parere potest, & quod plurimum decimo, nonnullæ enim mulieres undecimum attingunt: hinc si post contractum matrimonium proles nascatur ante septimum mensem, ordinarie non censetur legitima; secus si

34. *Qui ex matrimonio invalido censeantur legitimi?*

post illum, aut etiam in fine mensis decimi post mortem vel divortium mariti, *Laym. l. 5. p. 3. cap. 5. num. 22.* Excipe nisi contrarium constaret. Uti si notoria esset culpa a sponso cum sponsa ante matrimonium habita, &c. 6. 6. legitima censetur proles, si parentes contraxerint cum impedimento, & dubitetur an mala fide. Si quis tamen sciret se esse illegitimum, etsi publice putaretur legitimus, non posset gerere se velut legitimum; quia etiam illegitimi occulti sunt irregulares. *La-Croix lib. 4. num. 755.* cum communi contra aliquos, quos citat.

35. *Expositii an legitimi.* An expositii censendi sint irregulares, vel legitimi, controvertitur. Legitimos censeri negat *Suar. Vasq. & alii*, eo quod sæpius sint illegitimi; præsumptio autem capiatur ex frequenter contingentibus affirmant *Barbosa, Salas, Castrop. & alii apud La-Croix l. 3. num. 766.* Quia sæpe exponuntur legitimi ob paupertatem parentum vel aliis de causis; in dubio autem inclinandum est in favorem prolis, & quando præsumptio est contra præsumptionem, prævalere debet quæ favorem continet, & excludit delictum, cum delicta non præsumantur.

36. *Dispensare potens cum illegitimis.* Resp. II. Cum illegitimis dispensare potest Papa pro omnibus Ordinibus, & quibuscumque beneficiis; Episcopus vero 1. cum suis subditis ad Ordines minores & beneficia simplicia ex *Cap. Is qui 1. de filiis Presbyt. in 6.* Non tamen ad plura beneficia etiam tenuia ab uno eodemque possidenda. 2. Probabiliter etiam ad Ordines majores, beneficia curata & dignitates, si defectus natalium sit occultus. Ita *Diana, Avila, Barbosa, Laym. Engel, Franc. Schmier, Pichler & alii* contra communiorem. Rationem dant, quia *Trid. Sess. 24. cap. 6. de Reform.* dicit: *Liceat Episcopis in omnibus irregularitatibus & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis*

ad forum contentiosum, dispensare. Cum ergo irregularitas ob defectum natalium oriatur ex delicto, etsi non proprio, attamen parentum, recte videtur extendi dispositio Tridentini ad eam, utpote beneficium Principis & mera gratia, in nullius præjudicium cedens, adeoque largissimæ interpretationis *ex cap.* 16. *de v. s. Cap.* 22. *de Privileg.* Deinde si non extenderetur ad irregularitatem ex delicto alieno, irregulares ex delicto proprio essent melioris conditionis, quam irregulares ex delicto alieno. Ex eadem *Trid.* dispositione tenet *Pichler Tr.* 20. *num.* 3. citans *Pirrhing. Laym. Piasc.* posse Episcopum dispensare in irregularitate ob vitium corporis ortum ex delicto occulto. Atque hæc eadem facultas, sede vacante, conceditur Capitulo. Quamvis autem facultas illa Episcopis concessa sit latæ interpretationis; ipsa tamen dispensatio, cum deroget juri communi, est stricte accipienda. Hinc dispensatus ad Ordines & beneficia, præcise non censetur dispensatus ad Ordines majores & beneficia curata. *La-Croix l.* 6. *a n.* 2216.

Resp. III. Si petatur dispensatio super natalibus, exprimi debet, an is, pro quo petitur, sit natus ex utroque parente soluto, vel alterutro conjugato, aut constituto in sacris Ordinibus; alias dispensatio nulla est. 37. *Exprimenda in supplicatione.*

Resp. IV. Taxa Romæ solvenda, si tantum dispensetur ad sacros Ordines suscipiendos, sunt 7. Scuta & 50. Bajoci; si ad Ordines sacros & beneficia, Scuta 41. si simul ad dignitates Ecclesiasticas, 50. Scuta. Si dispensandum sit cum filio presbyteri, debet mitti attestatum Ordinarii vel ejus Vicarii, quod filius non sit imitaturus incontinentiam patris. Taxa sunt 20. Scuta ad Ordines tantum. 38. *Taxa solvenda.*

Resp. V. Modus petendi dispensationem hanc est hic: *Petitur dispensatio super natalibus ad Ordines minores & majores tantum* (vel *etiam ad beneficia*) *pro* N. N. exprimatur 39. *Forma supplicationis.*

nomen & cognomen) *Diœcesis N. natus ex simplici fornicatione*, vel *ex adulterio ex parte*, *&c.*

QUÆSTIO II.

Quid observandum pro impetranda Dispensatione ad Ordines extra tempora vel sine interstitiis suscipiendos?

40. *Motiva dispensandi.* RESp. Hæc datur Romæ propter unum ex his motivis. 1. Est solatium parentum, vel parentis senio confecti. 2. Ætas 27. annorum inchoata. 3. Doctoratus, vel Baccalaureatus Theologiæ. 4. Arctatio beneficii actualis. 5. Subdiaconatus, vel Diaconatus. 6. Nobilitas. Ex his motivis dispensat Dataria & Secretaria, quæ & dispensat tum ob magisterium artium, tum ob actuale studium Theologiæ.

41. *Expensæ.* Si Dataria dispenset, taxa sunt 4. Scuta; quibus duo sunt addenda, si dispensetur ob nobilitatem; dispensatio autem non expeditur, nisi intra 14. dies, si tamen Officialibus addantur 50. Bajochi, haberi expeditio potest intra dies octo. Si dispenset Secretaria Brevium, haberi potest intra diem, sed tunc pendenda sunt 9. Scuta.

42. *Modus petendi.* Modus petendi hic est: *Petitur Dispensatio in interstitiis, vel extra tempora pro N. N. Clerico, seu Scholari Diœcesis N. a parte Imperii (vel Reipubl.) in solatium parentis senio confecti, vel, quia jam est annorum 27. &c.*

Ceterum in Interstitiis ob causam dispensare etiam possint Episcopi Germaniæ.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quid observandum pro Dispensatione in ætate ad Ordines requisita a jure?

Resp. Hæc datur. 1. Ob penuriam Sacerdotum. 2. Ob utilitatem egregiam Ecclesiæ, quæ speratur a dispensando. 3. Ob solatium parentum saltem alterutrius viventis. 4. Ob arctationem beneficii actualis. 5. Ob Diaconatum, vel Subdiaconatum 6. Ob Doctoratum Theologiæ, vel Philosophiæ, ac etiam ob studium Theologicum. Non dispensatur autem nisi pro 13. mensibus ad summum. Taxa cum agentia sunt undecim Scuta. 43. *Motiva dispensandi Romæ.*

Modus petendi hic est: *Petitur Dispensatio in ætate 13. mensium pro N. N. Diœcesis N. v. gr. in solatium patris senio confecti, &c.* *Modus petendi.*

In ætate unius anni pro Ordinibus possunt etiam ex speciali facultate dispensare Episcopi Germaniæ, pendique solet pro quolibet mense Florenus Rhenanus. In ætate tamen ad beneficium curatum obtinendum Episcopi nec pro uno die dispensare possunt. 45. *Potest quoque Episcopus dispensare.*

QUÆSTIO IV.

Quid præterea notandum pro Dispensatione in irregularitate ex delicto vel defectu Romæ petenda?

Resp. Si delictum v. gr. homicidium, sit occultum, nec ad forum contentiosum deductum, dispensat Pœnitentiaria. Modus petendi hic est: Petitur dispensatio super irregularitate a Titio Diœcesis N. contracta ex homicidio voluntario (vel involuntario) quod sic accidit: *Narratur species facti, additurque quod casus sit occultus.* Taxa quidem nulla solvenda est pro dispensationibus in Pœnitentiaria. 46. *In occultis Pœnitentiaria, notoriis Dataria.*

Agentiæ tamen solvendum est juxta mensuram laboris & difficultatis. Suntque ordinarie 50. Bajoci.

Si vero delictum sit publicum, aut irregularitas proveniat ex defectu corporis, dispensat Dataria, & taxa cum Agentia sunt 12. Scuta. Si Laicus, qui uxorem habuit viduam, dispensationem petat Ordinibus, taxa quandoque ascendit ad 185. Scuta. De dispensatione in votis & juramentis vide Theolog. Moral. p. 2. num. 360.

§. V.

Praxis petendi alias gratias.

PRAXIS

Petendi Indulgentias plenarias.

47. *Forma petendi.* SUpplicatio. Petitur Indulgentia plenaria ad septennium (*perpetua enim vix datur*) pro Ecclesia Parochiali (vel filiali) v. gr. S. Petri, loci N. Diœcesis N. in festo S. Petri. Item si videatur, peti potest Indulgentia 100. dierum pro iis, qui singulis diebus Sabbati & festis B. Virginis intersunt Litaniis Lauretanis, recitari vel decantari solitis. Hæ binæ Indulgentiæ, quando simul petuntur, inseruntur uni eidemque Brevi, nec ideo plus Agenti solvendum.

48. *Quæ & quot Indulgentiæ pro singulis Ecclesiis impetrari possint?* *Notandum* autem 1. Cuivis Ecclesiæ sive Capellæ, quæ non sit Regularium, unica tantum conceditur Indulgentia pro omnibus per annum ad septennium duratura; Ecclesiis tamen Cathedralibus, Collegiatis, ac etiam Parochialibus possunt per Memoriale a Papa impetrari binæ ad septennium. 2. Cuivis Ecclesiæ tam Regularium, quam non Regularium sine Memoriali impetrari possunt Indulgentiæ ad septennium in precatione 40. horarum, & visi-

visitatione 7. Altarium lucrandæ. 3. Sine memoriali cuilibet Ecclesiæ impetrari potest 100. dierum indulgentia pro iis, qui intersunt Litaniis Lauretanis in festis B. V. M. & semel in hebdomada. 4. Si Agens in Curia Romana procuret Indulgentias, tum pro labore dantur 20. Bajoci, si autem debeat facere & porrigere Memoriale, 0. Bajoci. 5. Etsi fuerit communis sententia, quod septennium, pro quo conceduntur indulgentiæ, sit computandum a die promulgationis, eo quod concedi censeretur septennium fructuosum, tale autem non sit ante approbationem Episcopi & promulgationem ex Trid. Sess. 21. cap. 9. de Reform. nunc tamen computandum est a die datæ Brevis, ut declaravit S. Congregatio, approbante Pontifice Anno 1711. 18. Maji *La-Croix lib. 6. p. 2. n. 525.* 49. *Quando cessant septennales?*

6. Clausula Brevibus incerta: *Volumus autem, ut si alias Christi fidelibus in quocumque alio anni die dictam Ecclesiam, seu Capellam, aut Altare in ea situm, visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetuo vel ad tempus, nondum elapsum, duratura concessa fuerit .... præsentes nullæ sint*, non comprehendit Altaria privilegiata pro Defunctis, nec Indulgentias certo hominum generi, v. g. Confraternitati concessas, nec concessas certum pium opus in Ecclesia peragentibus, vel Litanias aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis qui Christiana doctrina erudiuntur, aut erudiunt, nec preces 40. horarum, nec denique quæ pro unica vice conceduntur. Ita S. Congreg. approbante Pontifice 1676. uti videre est apud *La-Croix l. 6. p. 2. sub num. 1379.* 50. *Clausula: Præsentes sint nullæ.*

PRAXIS

Petendi privilegium Altaris pro omnibus fidelibus defunctis.

51. *Forma supplicandi.* SUpplicatio. Petitur Altare privilegiatum ad septennium (*perpetuum enim vix est impetrabile*) pro Ecclesia, v. g. Parochiali S. Petri, loci N. Diœcesis N. & in ea sito Altari majori (*vel Christo Crucifixo*) pro singulis Feriis secundis, vel pro una in septimana, ab Ordinario determinanda, dicuntur in ea quotidie 7. *vel* 5. *vel* 4. Missæ. Scribatur, ut est.

52. *Missæ requisitæ.* *Notandum.* Altare privilegiatum non conceditur Ecclesiæ pro omnibus fidelibus Defunctis, nisi in ea dicantur per annum quotidie 7. Missæ. Si dicantur Missæ tantum 4. vel 5. debet Memoriale præsentari Pontifici. Si autem in ea celebrentur in dies 10. vel 9. Missæ, potest per Memoriale pro duabus Feriis in hebdomade impetrari, alias pro una tantum. Si quotidie dicantur 14. Missæ, potest sine Memoriali impetrari pro duabus in hebdomade diebus &c.

PRAXIS

Petendi Altare privilegiatum pro Confratribus & Consororibus alicujus Confraternitatis.

53. *Forma supplicandi.* SUpplicatio. Petitur Altare privilegiatum ad septennium pro Ecclesia Parochiali (vel filiali) S. Petri, Loci N. Diœcesis N. & in ea sito Altari Confraternitatis N. v. g. Rosarii &c. pro una feria hebdomadæ ab arbitrium Confratrum de consensu Ordinarii. Diem commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & illius Octavam non est opus exprimere, quia jam subintelligitur.

Notandum. Hoc Altare conceditur, etsi per

hebdo-

hebdomadam tantum unum in illa Ecclesia legatur Sacrum, modo dicatur in Altari privilegiato ea die, cui affixæ sunt Indulgentiæ ex determinatione Secretariæ Apostolicæ, vel Ordinarii.

Expensæ pro hoc & præcedente sunt eædem, quæ solvendæ sunt pro Indulgentiis. Quamvis Agens pro hujusmodi brevibus litteris in Secretaria debet solvere 10. Bajocos, Brevia tamen Indulgentiarum dantur gratis. 54. *Expensæ.*

PRAXIS

Petendi Breve Indulgentiæ perpetuæ pro Confraternitate quacumque erigenda, vel jam erecta.

Notandum. Hoc Breve petitur, quando aut jam erecta est, aut primo erigitur aliqua Confraternitas; Indulgentiæ autem conceduntur plenariæ perpetuæ Confratribus & Consororibus, 1. Indulgentia plenaria in die ingressus. 2. In articulo mortis. 3. In festo principali per annum. 4. Indulgentiæ septem annorum & septem quadragenarum, pro quatuor aliis festis minus principalibus per annum. 5. Indulgentiæ 60. dierum pro omni opere pio ex iis, quæ in Brevi specificantur. 55. *Quæ indulgentiæ?*

Supplicatio. Petitur Breve pro Ecclesia Parochiali, vel filiali, v. g. S. Petri non Regularium (vel Clericorum Regularium) Civitatis N. Diœcesis N. & in ea erecta vel erigenda Confraternitate, v. gr. B. M. V. sine labe originali conceptæ. Festa omnia ad arbitrium Confraternitatis, vel certe festum principale, Conceptio B. M. V. & quatuor minus principalia, Annuntiatio, Nativitas, Purificatio, & Assumptio ejusdem. Neque enim necesse est festa specificare; si non specificentur, relinquuntur arbitrio & determinationi Sodalium cum consensu Episcopi. 56. *Forma supplicandi.*

Taxa hujus Brevis cum agentia sunt 5. Scuta & 2. Bajoci, sed quia semper Altare privilegiatum per 20. Bajocos impetratur, hinc pro utroque solvuntur 5. Scuta & 22. Bajoci.

PRAXIS

Petendi Breve perpetuum pro Confraternitatibus Agoniæ, seu, ut dicitur, de bona morte.

58. *Forma supplicandi.* SUpplicatio. Petitur Breve perpetuum pro Ecclesia Clericorum Regularium Societatis JESU Civitatis N. & in ea erecta sive erigenda Confraternitate, seu Congregatione D. N. J. C. in Cruce moribundi, ac B. M. V. ejus Genitricis dolorosæ ad bene moriendum, pro semel quovis mense, id est, prima Dominica (vel Feria 6.) cujusvis mensis.

59. *Quæ Indulgentiæ.* Per hoc Breve conceduntur plenariæ Indulgentiæ perpetuæ pro aliquo die, qui in supplicatione determinari debet, in quovis mense: ordinarie solùm datur iis Confraternitatibus, quæ eriguntur in Ecclesiis Societatis JESU, seu in quibus ipsi Divina peragunt. Pro agentia & Altari privilegiato datur unum Scutum, vel quandoque Imperialis communis monetæ.

Praxis petendi Oratoria,

Oratorium pro rure, seu locis extra urbem & oppida sitis.

60. *Forma supplicandi.* SUpplicatio. Petitur Oratorium pro N. N. Diœcesis N. vigore cujus ipse, moderna conjux ipsius N. cum prolibus & familia possit curare celebrari Missam cum solitis clausulis & exceptionibus, in domo suæ habitationis rure extra urbem N. &c. taxa 12. Scuta. Hoc datur etiam personis non nobilibus, & nullam jurisdictionem temporalem in aliquo dominio exercentibus.

Pro Civitate & omnibus locis, in quibus supplicans jurisdictionem temporalem seu altam, seu bassam exercet.

SUpplicatio. Petitur Oratorium pro N. N. v. g. S. Rom. Imperii Comite, ejus moderna conjuge N. prolibus, familia, hospitibus, pro Civitate N. Loco N. Diœcesis N. in quo jurisdictionem temporalem exercent. Datur tantum personis nobilibus, jurisdictionem aliquam temporalem exercentibus, atque cum his restrictionibus. 1. Ut valeat tantum pro Civitate & locis unius Diœcesis. 2. Ut quotidie tantum una in eo Missa dicatur, per quod tamen non prohibentur celebrare ii Religiosi, qui privilegium habent personale celebrandi, ubicumque commoditatem nacti fuerint. 3. Ut locus sit muratus, decenter a domesticis aliis usibus separatus, & prius visitetur ab Ordinario, vel ejus Vicario. 4. Ut in festis solemnioribus anni istic Missa non celebretur. 5. Ut famuli & famulæ illo tempore ad servitia non necessarii diebus festis & Dominicis eant ad Ecclesiam publicam; filii autem & famuli necessarii, ac ruri etiam hospites nobiles possunt dictis diebus interesse privatæ Missæ, satisfaciuntque præcepto Ecclesiæ. Taxa sunt 12. Scuta.

61. *Forma supplicandi.*

62. *Servanda.*

Pro infirmis Nobilibus.

SUpplicatio. Petitur Oratorium pro N. N. & (si infirma etiam sit) ejusdem conjuge, Nobilibus, Diœcesis N. laborantibus quibusdam infirmitatibus, propter quas domo, Missam audiendi causa, exire non possunt, pro Civitate N. & tota Diœcesi N.

63. *Forma supplicandi.*

Hoc conceditur Nobilibus, etsi jurisdictionem nullam exerceant, convenitque cum secundo in omnibus, præterquam quod valeat tantum pro tempore infirmitatis ab auditione Missæ in Ecclesia impedientis, nulla tamen

64. *Observanda.*

men anni dies etiam solemnissima excipitur. Deinde diebus Dominicis restringitur tantum ad unam personam usibus necessariam; aliæ vero, ut satisfaciant præcepto Ecclesiæ, Missæ debent interesse in Ecclesia publica. Potest etiam impetrari pro matre, patre, filia, filio, fratre, sorore, infirmis. Taxa est eadem, quæ supra.

Pro Itinerantibus.

65. Forma supplicandi. SUpplicatio. Petitur Altare portabile, sive viatorium pro N. N. ejusdem moderna conjuge N. Nobilibus Diœcesis N. frequenter, aut subinde iter facientibus per v. g. Germaniam.

Datur tantum Nobilibus jurisdictionem etiam exercentibus; valet tantum in itinere, ubi commoditas non est audiendi Missam: quo casu eo gaudere possunt etiam omnes socii itineris. Taxa est eadem, quæ supra.

PRAXIS

Petendi Proto-Notariatum Apostolicum.

66. Forma. SUpplicatio. Petitur Proto-Notariatus Pontificius (vel Ducis Sforciæ) pro N. N. Diœcesis N. Canonico ibidem, vel Nobili, vel Magistro Philosophiæ.

Hic non datur, nisi personæ nobili, aut gradu aliquo Theologico, aut Juridico, vel Philosophico insignitæ, aut constitutæ in dignitate aliqua Ecclesiastica. Taxa sunt 24. Scuta, si
67. Quibus detur, qua taxa. detur a Pontifice; si a Duce Sfortiæ ex privilegio, quod habet a Pontifice, 6. vel 7. Scuta, & 50. Bajoci. Notariatus autem datur etiam non Nobilibus, nec Graduatis. Taxa cum agentia sunt 4. Scuta, 50. Bajoci; modus petendi idem, qui supra.

§. VI.

§. VI.

Breviaturæ in Pœnitentiaria usitatæ explicantur.

68. Breviaturæ quomodo legendæ.

A

Archiepus Archiepiscopus.
Alr Aliter.
Als alias.
Absoluo Absolutio.
Aptica Apostolica.
Appbatis Approbatis.
Autre Authoritate.

C

Cardlis Cardinalis.
Canice Canonice.
Cen Censuris.
Circumpeoni Circumspectioni.
Xstus Christus.
Confeone Confessione.
Confeori Confessori.
Coione Communione.
Consciæ Conscientiæ.
Constituonibus Constitutionibus.

D

Discreoni Discretioni.
Dispensao Dispensatio.
Dnus Dominus.

E

Ecliæ Ecclesiæ.
Effus Effectus.
Exit Existit.
Ecclis Ecclesiasticis.
Epus Episcopus.
Exioe Excommunicatione.

F

Fr Frater.
Frum Fratrum.

G

Gnali Generali.

H

Humoi Hujusmodi.
Humiler Humiliter.

I

Infraptum Infrascriptum.
Irregulte Irregularitate.
Igr Igitur.
Intrapta Intrascripta.

L

Lia Licentia.
Ltima Legitima.
Lræ Litteræ.
Lite Licite.

Mri-

M

Mrimonium	Matrimonium.
Magro	Magistro.
Miraone	Miseratione.
Mir	Misericordia.

N

Nulltus	Nullatenus.

O

Ordio	Ordinatio.
Ordinaoni	Ordinationi.

P

PP.	Papa.
Pr.	Pater.
Pontus	Pontificatus.
Ptus,	Præfatus, Prædictus.
Ptur	Præfertur, Prædicitur.
Pntium	Præsentium.
Pbter	Presbyter.
Pbricida	Præsbytericida.
Pœnia	Pœnitentia.
Pœniaria	Pœnitentiaria.
Poe	Posse.
Pror	Procurator.

Q

Qtnus	Quatenus.
Qmlbt	Quomodolibet.
Qd	Quod.

R

Relari	Regulari.
Relione	Religione.
Roma	Romana.

S

Sntæ, vel Stæ,	Sanctæ.
Saluri	Salutari.
Sentia	Sententia.
Speatr	Specialiter.
Spplionibus	Supplicationibus.
Spualibus	Spiritualibus.

T

Tn	Tamen.
Tm	Tantum.
Thia, vel	Theolia, Theologia.
Tli	Tituli.

V

Venebli	Venerabili.
Vræ	Vestræ.

Notandum in litteris S. Pœnitentiariæ non fieri virgulas, nec puncta, nec commata, nec Diphtongos, nec Accentus, sed sensum colligendum esse ex lectione. Ita testantur *Hunoldus*, *Plettenburg in notitia Congregationum pag.* 198. *& Viva in damnatam* 31. *ab Alexandro VIII. N. XIII.*

§. VII.

§. VIII.

Extraordinariæ facultates, Episcopis Germaniæ a Sede Apostolica concedi solitæ.

Ut sciatur in quibus ordinarie ad Episcopum recurri possit, existimavi referendas hic esse facultates speciales Episcoporum Germaniæ. Do autem illas, ut habentur apud *La-Croix part. 6. pag. 3. num.* 846. & sunt sequentes. 69.

1. Absolvendi ab hæresi & Apostasia a fide, & a schismate quoscumque etiam Ecclesiasticos tam sæculares, quam regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impune grassantur hæreses, deliquerint; nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi nati sint ubi impune grassantur hæreses, & post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantum.

2. Tenendi & legendi libros Hæreticorum ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinæi, & Nicolai Machiavelli, & libros de astrologia judiciaria, principaliter, aut incidenter, & alias quovis modo de ea tractantes; ita tamen, ut libri illis provinciis non efferantur.

3. Dispensandi in 3. & 4. simplici & mixto cum pauperibus tantum in contrahendis: in contractis vero cum hæreticis conversis etiam in 2. simplici & mixto, dummodo nullo modo attingat gradum 1.; & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

4. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justitiæ, ex sponsalibus proveniente.

5. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugium machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum.

6. Di-

6. Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, præter levantem & levatum.

7. Hæ vero dispensationes matrimoniales, videlicet 3. 4. 5. 6. non conceduntur nisi cum clausula: *Dummodo mulier rapta non fuerit, & si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat.* Et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas concedi tamquam a Sedis Apostolicæ Legato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ, alias nullæ sint.

Hac facultate juvari non possunt in matrimoniis contractis sine proclamationibus.

8. Dispensandi in irregularitatibus, ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea quæ ex homicidio voluntario contrahitur.

9. Dispensandi & commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis & religionis.

10. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam in Bulla Cœnæ, in locis tamen, ubi impune grassantur hæreses.

11. Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia, ad sacrificium necessaria, ubi non intervenit S. Unctio; & reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, & in casu necessitatis aqua etiam ab Episcopo non benedicta.

12. Conferendi Ordines extra tempora; & non servatis interstitiis usque ad Sacerdotium inclusive.

13. Dispensandi super ætate unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint.

14. Consecrandi Olea cum quinque saltem Sacerdotibus, non tamen extra Cœnam Domini, nisi necessitas illud urgeat.

15. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat; ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem; per unam horam ante auroram,

ram, & aliam post meridiem, sine ministro; sub dio, & sub terra, in loco tamen decenti, etiam si Altare sit fractum, vel sine reliquiis Sanctorum, & præsentibus Hæreticis, Schismaticis, Infidelibus, & Excommunicatis, si aliter celebrari non possit. Caveat autem, ne prædicta facultate seu dispensatione bis in die celebrandi aliter quam ex gravissimis causis & rarissime utatur, in quo graviter oneratur ipsius conscientia. Quod si hanc facultatem alteri Sacerdoti juxta facultatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a S. Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiæ injungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiæ ac zeli, qui absolute necessarii sunt; nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, & ad breve tempus eamdem communicet, aut respective causas approbet.

16. Deferendi SS. Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro iisdem infirmis in loco tamen decenti, si ab Hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

17. Induendi vestibus sæcularibus; si aliter vel ad loca eorum curæ commissa, vel in iis permanere non poterunt.

18. Recitandi Rosarium vel alias preces, si Breviarium transferre non poterunt, vel divinum Officium ob aliquod impedimentum recitare non valeant.

19 Dispensandi quando expedire videbitur; super esu carnium, ovorum, & lacticiniorum pro tempore jejunorum, & præsertim Quadragesimæ.

20. Communicandi has facultates in totum vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis, in conversione animarum laborantibus, & præsertim tempore sui obitus, ut, Sede vacante, sit, qui possit supplere, donec Sedes Aposto-

lica

lica certior facta, quod quamprimum fieri debebit, per delegatos, aut unum ex iis alio modo provideat.

21. Et prædictæ facultates gratis & sine ulla mercede exerceantur, ac tantum concessæ intelligantur ad quinquennium.

Utendi iisdem facultatibus in civitate, & Diœcesi N. tantum.

70. *Quandonam cessent hæ facultates?* Hæ facultates (quibus si restrictæ non sint, dispensare & absolvere potest Episcopus *juxta Pignatelli tom. 7. Consult.* etiam peregrinos in sua Diœcesi, & advenas, immo & religiosos exemptos) singulis quinquenniis, computatis a die acceptationis, renovantur; nec cessant mortuo Pontifice, vel novo electo: quamvis enim initio novi Pontificatus promulgetur Regula 13. vel 14. Cancellariæ, eaque revocentur variæ facultates, ab antecessore Pontifice concessæ; attamen Anno 1700. Roma interrogata respondit, nec revocari facultates a Sancto Officio concessas, quales ordinarie sunt, quæ Episcopis & Nuntiis Apostolicis conceduntur; sed eas tantum, quæ immediate a prædecessore Pontifice sunt concessæ. *La-Croix l. 6. p. 3. n. 848.*

Plerasque ex prædictis facultatibus, aliasque ampliores habere solet Nuntius Apostolicus, sed non quilibet easdem; hinc si in quo casu juvare non possit Episcopus, expedit recurrere, ut supra monui, ad Nuntium, qui si dispensare vel absolvere non possit, dispensationem aut absolutionem minoribus sumptibus Roma procurabit.

O. A. M. D. G.

IN-

INDEX UNIVERSALIS.

Cifra numerum marginalem;
A Appendicem designat.

A

Absolutio.

Ace-

Acedia.

Adolescentes.

Avaritia.

B

C

Confessarius.

Confessio.

Con-

Conjuges.

Consuetudinarius.

Contumelia.

D

Delectatio morosa.

Deliberatio.

Desperatio.

Devotio.

Dispensatio.

Dolor de peccatis.

E

Ebrietas.

Ra-

H

Hæreticus.

Herus.

I

Illegitimus.

Indulgentiæ.

Infirmus, moribundus.

Impedimentum matrimonii.

Odium.

Pœnitentia.

Pueri, Puellæ.

Reus, Captivus.

Restitutio.

Rustici, aliique plebeii.

S

Salarium.

Secretum.

Scrupulus, Scrupulosus.

Sponsus, Sponsa.

Superbia.

T

Tentatio.

F I N I S.

CASUS

CASUS CONSCIENTIÆ EX

Neo-Confessario, seu Methodo rite obeundi Munus Confessarii, resolvendi.

CASUS I.

Abelinus, nuper primum approbatus ad excipiendas Fidelium Sacramentales Confessiones, primum quem audit, longiorem peccatorum, quam Abelinus prævideat, protrahit Confessionem, & in quibusdam peccatis gravibus non exprimit, ut oportet, numerum & speciem infimam. Abelinus proponit sibi in fine jubere & interrogare, ut omnia rite fiant; interim in fine non recordatur omnium, quæ majori explicationis egebant.

Quæritur 1. Quæ generatim observanda sint Confessario in decursu Confessionis? An pœnitens is teneatur repetere Confessionem, saltem eorum peccatorum, de quibus dubium esse potest, an rite sint exposita? n. 3.

CASUS II.

Adolphus, novissime promotus ad sacrum Presbyteratus Ordinem, petit statim approbari ad excipiendas in subsidium Pastorum fidelium Confessiones, ejus petitioni, quia existimabatur habere sufficientem doctrinam, an-

nuitur; primum persuasus, quorumdam doctorum, male intellecta sententia, existimans se non teneri pœnitentes examinare, absolvit, quali quali pœnitentia injuncta, sibi confitentes, nulla data instructione; postmodum a viro docto & experto edoctus suam melius obligationem, anxie excutit omnes, & in specie conjuges, de actu conjugali, peccatis eorum specialibus, ab ipsis quandoque committi inter se solitis. Unde varii conjuges anxii alios interrogant, quibus peccare inter se possint conjuges.

Quæritur 1. An & quando teneatur examinare Confessarius pœnitentes? 2. Quomodo examinandi sint? 3. Quæ tum generatim, tum quibusdam in specie sit injungenda pœnitentia? 4. Quibus ex causis possit imponi minor? 5. An, quando, & quomodo conjugati sint examinandi circa peccata ipsis specialia, inter ipsos quandoque intervenientia, & quæ illa sint? Vide n. 4. a n. 119. ad n. 122. P. 4. n. 503. 514.

CASUS III.

Albanus, toto die sedens pro sacro tribunali, varios audivit pœnitentes. Unum ex iis reperit admodum rudem, qui nec actum Fidei, Spei, & Doloris noverat elicere, peccaverat quoque ex ignorantia in materia tum castitatis, tum aliis quibusdam. Alter faciens mentionem quorumdam ex vita præterita peccatorum, inter cetera confitebatur, se carnaliter ante matrimonium cum sorore suæ uxoris peccasse; Albanus advertens impedimentum contractum, tacet. Tertius pariter se accusat de peccato carnis cum matre uxoris suæ ante matrimonium; Albanus ex circumstantiis actus dubitat, an fuerit perfectus & sufficiens ad generationem prolis. Proinde & de hoc tacet.

Quæ-

Quæritur 1. Quomodo tractandus fuerit primus, & excitandus ad dolorem? 2. An monendus de peccatis ex ignorantia, etsi sint mere materialia? 3. An, & in quibus circumstantiis Albanus recte vel male fecerit tacendo ad casum secundi? 4. An recte dissimulaverit impedimentum dubium tertii? n. 5. 10. & parte 4. Th. Moral. n. 49.

CASUS IV.

Albertus a Confessario gravem, sibique valde difficilem accepit pœnitentiam: proinde vadit ad alium Confessarium, & eam sibi in aliam commutari petit.

Quæritur 1. Quæ sint pœnitentiæ inconvenientes, & convenientes? 2. An alius Confessarius possit mutare pœnitentiam, ab alio injunctam, si pœnitens non aperiat peccata, ob quæ imposita fuit? num. 15. 18. 19.

CASUS V.

Balduinus, Sacerdos religiosus, vesperi & matutino tempore in loco magnæ festivitatis fatigatus excipiendis Confessionibus, sumpto prandio, pro more suo sequens consilium S. Francisci Xaverii, de quo num. 55. expendit, an recte processerit cum pœnitentibus, & quomodo melius suo muneri potuisset satisfacere; & quia invenit, se aliquibus negasse, aliquibus distulisse absolutionem, aliis dedisse absolute, non satis certus de dispositione, aliis sub conditione, injuncta pœnitentia, ut ante Communionem eliciant dolorem novum de peccatis, firmumque concipiant emendationis propositum, illud Christo Eucharistico offerant in gratiarum actionem, & confirmandum, non

parum angitur, ne non rite sacro munere sit functus.

Quæritur 1. Quando danda absolute, quando sub conditione sit absolutio? 2. Quando neganda, aut saltem differenda? a num. 21. & 24.

CASUS VI.

Balthasar, & Benigna Sponsi, ultimo confessi pro Paschate Dominica in Albis, cogitant, factis proclamationibus, contrahere matrimonium, interim priusquam proclamationes sint peractæ, familiariter conversantur, & carnaliter peccant, Sponsus inducit Sponsam, ut secum eat ad Confessarium, virum probum & doctum, se cum Deo reconciliandi causa, ut benedictionem ab eo habeant in matrimonio, obsequitur Sponsa. Sponsus dicit diem ultimæ Confessionis, & confitetur lapsum carnalem cum Sponsa, venit dein Sponsa & diem eumdem suæ dicit Confessionis ultimæ, & peccatum carnale tacet.

Quæritur 1. An Confessarius possit Sponsam super illo peccato examinare, & quomodo? 2. An si tentatis omnibus, non fateatur, possit absolvi, aut sit dimittenda sine absolutione; An, si Confessarius petivisset veniam a Sponso, & obtinuisset loquendi sponsæ de illo peccato, potuisset, licite de eo cum sponsa loqui, & dicere, se ad id obtinuisse veniam a sponso? n. 36. & IV. parte Theologiæ Moral. sub n. 379. in fine pag. 461.

CASUS VII.

Bernardinus, audiens Confessiones æstivo tempore, cœlo calente, lapsus est in somnum, & unius peccata non audivit omnia, alterius audivit quidem peccata, sed ante absolutio-

lutionem de variis a pœnitente interrogatus, iisque expediendis occupatus, oblitus est pœnitentis peccata, hæretque, an possit absolvere. Denique pœnitentem habuit, qui peccatis multis per annum frequentatis in materia venerea, quæ numquam est confessus, gravatur; nunc autem vere pœnitens quidem, & statum animæ suæ miserabilem agnoscens, lacrymis ubertim manantibus, deflet peccata sua, sed prævidere se tamen ait, quod sit relapsurus ob inveterata consuetudine contractam fragilitatem.

Quæritur 1. An Confessarius possit jubere, ut pœnitens non percepta peccata repetat? 2. An, & quando oblitus Confessarius pœnitentis peccata possit eum absolvere? Quid agendum cum tertio illo pœnitente? num. 28. 33.

CASUS VIII.

Bonifacius, hactenus sacro Confessarii munere perfunctorie obito, varios commisit errores, ac 1. Quidem oscitanter absolutionem impertiens erravit in forma. 2. Non raro neglexit interrogare numerum & speciem infimam. 3. Neglexit monere de facienda restitutione. 4. Obligatos ad eam, pronuntiavit liberos; non obligatos, eidem obnoxios. 5. Vere obligatos obligavit tantum ad dandam eleemosynam. Tandem superno lumine illustratus, & sacro horrore perculsus cœpit gravitatem obligationis suæ perpendere, & periculosum animæ suæ statum agnoscere; proinde adit Benedictum virum doctum, & exponit ei suam hactenus in sacro Officio oscitantiam, petitque consilium. Benedictus, nolens statim eximere sagittam a Spiritu sancto cordi ejus infixam, jubet eum orationibus, jejuniis, &c. sibi Deum propitium reddere, & red-

& redire post octiduum, consideraturum se dicens, quid agendum sit.

Quæritur 1. Quomodo errores illi sint corrigendi? 2. Ad quid teneatur Bonifacius? 3. An debeat habere veniam a pœnitentibus, si in quibusdam errores commissos possit corrigere? a num. 48.

CASUS IX.

Calinus, Mercator, avare inhians divitiis; accusat se in Confessione, 1. Durus fui erga pauperes. 2. Meis in mercatura & negotiatione sociis secretum non servavi. 3. Alienas aperui, & legi litteras.

Quæritur 1. Quomodo Calinus examinandus? 2. Secretum non servare, quale peccatum sit? 3. Quomodo peccet, qui alienas aperit, & legit litteras? 4. Quomodo Calinus censendus sit peccasse, & ad quid teneatur? 5. Quæ sint remedia contra avaritiam? a n. 62. & 65.

CASUS X.

Cornutus homo effrons passim contemptim tractat proximos suos, gerit se, ac si a nemine esset dependens, nullius ope indigeret, gloriatur quomodo vindictam de suis sumpserit adversariis, eos verbis contumeliosis exceperit. Immo auditus est dicere: si essem Deus, talis furfuris nebulones mitterem ad infernum, &c.

Quæritur 1. Quid, & quotuplex sit superbia? 2. An & quomodo sit peccatum mortale, & quando tantum veniale? 3. Quomodo censendus sit peccasse Cornutus? 4. Quomodo sit examinandus, si in sacro pœnitentiæ tribunali compareat? Quæ remedia sint ei contra superbiam præscribenda? a n. 56. & P. 2. n. 150.

CA-

CASUS XI.

Cupedius sistens se Confessario, dicit: Domine! sum magnus peccator, intra tres annos non sum confessus, sæpe delectatus sum objectis turpibus, impura fovi desideria, sermones miscui impudicos, & quando alii me dehortabantur, irrisi illos, tamquam scrupulosos, & abjecti animi homines, obvias quasque concupivi, commisi fornicationes & adulteria, aliosque ad similia peccata seduxi. Hæc sunt potissima, quæ commisi.

Quæritur 1. An Cupedius recte omnia explicarit? vel quomodo examinandus? 2. Quas obligationes contraxerit erga proximos? 3. Quæ media illi sint præscribenda? 4. An expediat, eum statim, omnibus rite explicatis, absolvere, vel potius ad tempus differre absolutionem, ut media adhibeat, & horrorem turpitudinis suæ concipiat? a n. 66. n. 178. 188. & P. 2. a n. 190.

CASUS XII.

Custodius inter cetera confitetur inquiens: Fui invidus; petit Confessarius: In quo consistebat tua invidia? Reponit Custodius: 1. Ægre tuli, quando alii laudabantur, & vel laudem imminui, vel tacui, existimans inde æstimationem mei imminui. 2. Indignatus sum, quando vidi aliis sua melius, quam mihi mea, succedere. 3. Dolui ad officinam vicini nostri multos, ad officinam vero patris mei paucos venire emptores. 4. Optavi, ut fratres mei non essent diligentiores & devotiores me, ne ego vilipendar. 5. Male me habui, quod vicinus noster promotus sit ad Magistratum, quia adversatur domui nostræ, & jam facilius nocere poterit.

Quæ-

Quæritur 1. Quid, & quale peccatum sit invidia? 2. Quibus ex relatis jam Custodius peccarit peccato invidiæ gravi, vel levi? Quæ sint contra invidiam remedia? a num. 75.

CASUS XIII.

Fabius abdomini serviens in diem vivit; neglecta re domestica tractatur, & tractat, ut facile prævidere possit, se debitis solvendis, & liberis honesto in statu collocandis imparem propediem fore, monetur ab amicis, sed nihil impetratur. Vorat, ut non raro evomere debeat cibos ingestos. Tandem tempore Paschali confitetur. Confessarius eum graviter adhortatur, & injungit ei pro pœnitentia, ut vesperi decubiturus consideret, quo cibo & potu damnati in inferno, Caninam famem tolerantes, utantur, & incumbat uni lateri tota nocte sine commotione. Hanc pœnitentiam admisit quidem Fabius, sed visa est illi tam difficilis, ut mane accurrens ad Confessarium dixerit, sibi fuisse impossibile illam pœnitentiam implere; cui Confessarius: si non potuisti in plumeo lecto una nocte jacere immotus, quomodo jacebis per omnem æternitatem in igne devorante & ardoribus sempiternis immotus? atque ita eum ad frugem reduxit.

Quæritur 1. Quale peccatum sit gula? 2. Quomodo peccaverit Fabius, & quot modis ea peccetur? 3. Quæ remedia sint contra eam adhibenda? a n. 81.

CASUS XIV.

Fabricius, homo Cholericus, ad res vix ullius momenti ita exardescit ira, ut toto corpore contremiscat, unde in periculo est, ne morbum contrahat, quo impediatur ab officio

sibi

sibi tum ex justitia, tum ex pietate obeundo; verbis contumeliosis in proximos invehitur, liberis suis, uxori, aliisque omne malorum genus imprecatur, a Pastore suo sæpe monitus; nihil admonitionibus dedit.

Quæritur 1. Quomodo peccet ita iræ indulgendo, seque exponendo periculo gravis morbi? 2. An imprecando liberis, uxori, aliisque diversæ speciei peccata committat, tum ratione mali optati, tum ratione personarum, quibus male precatur? 3. An sit capax absolutionis, si non ante emendet, & scandalum tollat. 4. Quæ media serviant contra immoderatam iram? a 89. & P. 2. n. 223.

CASUS XV.

Firmundus illustris prosapiæ, adolescens dum studiis operam daret, a singulari morum ingenuitate, modestia, & pietate commendabatur, omnibusque frequentando Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ raro prælucebat exemplo. Absolutis studiis, nactus beneficium Ecclesiasticum cœpit frequentare consortia mundi, & commoditatem amantium, inde malo eorum exemplo successere, vix semel in anno prædicta Sacramenta suscipere; quin & terrenis jam inescatus, correptus est tædio & nausea Divinorum, ita ut in choro non compareret, nisi diebus, quibus, qui absunt, privantur proventibus beneficii. Tandem eo devenit, ut doleret, viam ad cælum esse viam abnegationis, & æternitatem tantum esse bipartitam, felicem scilicet, & infelicem, ita ut nisi ineat viam arctam & carni molestam, æternum cruciandus sit in inferno. Unde bruta æstimabat hominibus feliciora, utpote quæ voluptatibus sine periculo infelicis æternitatis possent indulgere. In hunc miserabilem statum Firmundus sensim sine sensu deductus, lethali

thali morbo corripitur ; advocatur Firminus Sacerdos ad excipiendam ejus Confessionem ; sed quia nec ante dedit, nec modo in præsenti ullum dat pœnitentiæ signum, nec Christiane vixit, Firminus eum absolvere non audet ; post horas aliquot, quæ Dei erat misericordia, respirat, & loquelæ restituitur : audiens hoc Firminus adit eum, & periculum exponit æternæ infelicitatis, in quo fuerat, & Dei ejus juventutem miserantis clementiam & misericordiam in mentem vocat, atque ad generalem totius vitæ Confessionem adhortatur : annuit Firmundus, & moram petit præparationi.

Quæritur 1. Quid & quotuplex sit accedia ? 2. Quomodo peccet, qui locum dat tædio contra Divina ? 3. Quomodo peccarit Firmundus ? 4. Quibus deducendus ad vitam deinceps homine Christiano & Canonico dignam ? a n. 95. n. 8, 38.

CASUS XVI.

Gaudentius, exiguæ adhuc experientiæ Parochus, ægre audit puerorum Confessiones, tum quia sæpe dubium est de usu rationis, ad meritum & demeritum sufficiente; tum quia, si forte absit, non facile est eos movere ad dolorem supernaturalem, propositum emendationis efficax, utpote minus apprehendentes motiva supernaturalia ; tum denique, quia sæpe peccant contra legem naturalem, & postea non recordantur : quare consuevit Gaudentius advocare Religiosum, qui eos audiat; sed & hic quæritur, putatque majorem sibi esse difficultatem, quam Pastori, qui in catechesi aliisque occasionibus possit melius explorare, quinam pueri jam pervenerint ad usum rationis. Quam ob rem Gaudentius in congregatione suorum dominorum Confratrum interrogat 1. Quid sit usus rationis ad meritum & demeritum sufficiens ?

ciens? 2. Quandonam pueri censeantur ad eum pervenisse? 3. Ex quibus indiciis colligi possit, quod eum jam habeant, aut non habeant? 4. Quandonam pueri teneantur legibus, tum naturalibus, tum positivis humanis, & Divinis? 5. Quomodo pueri examinandi, excitandi ad dolorem de peccatis, & propositum non peccandi deinceps, quæ monendi? 6. Quando & quomodo pueris danda absolutio, & quid si jam dein adoleverint?

Quæritur. Quid respondendum? Vide a n. 100. ad 101. & a n. 106. ad n. 110.

CASUS XVII.

Gaudiosus, sanguineæ complexionis, Sacerdos, moribus verbisque suavis, uti ejusmodi esse solent, ex naturali inclinatione amat agere cum personis alterius sexus: quare in excipiendis earum Confessionibus singulari eas suavitate tractat, nominibus compellat amorosis; peccata earum, ubi potest, extenuat, querulosis contra maritos facile credit, & ad illarum partem accedit. Ex hoc suo agendi modo non levibus quandoque pulsatur carnis tentationibus; sed piaculo id sibi non ducit, eo quod oriantur, ut putat, ex actione sacra, zeloque bono, qui causa illarum per se non sit. Quapropter inhæret suo agendi, & loquendi modo.

Quæritur 1. Quid specialiter observandum sit in excipiendis mulierum Confessionibus? 2. An Gaudiosus recte procedat? 3. An non, & quomodo peccet suavi illo modo tentationes excitando? 4. Quomodo respondendum mulierum contra viros suos querelis? a n. 110. 130. P. 1. n. 11. P. 2. n. 318.

CA-

CASUS XVIII.

Germanus, laudabilis vitæ Sacerdos, præ Dominorum mavult excipere rusticorum aliorumque plebejorum Confessiones, eo quod sine verborum fucis & ambagibus possit cum his agere, eos examinare, arguere, remedia præscribere, quibus non raro Domini offenduntur, & postmodum male garriunt apud alios, & explodunt Confessarium; ut autem Germanus securius procedat, suo agendi modo nolens fidere, aliorum praxim exquirit, ac 1. Quidem interrogat, quomodo examinandi sint plebeji? 2. De quibus? 3. Per quæ motiva ad dolorem, & propositum excitandi? 4. Quid si pœnitens sit omnino hebes, & nullum peccatum possit in specie elici? 5. Quæ satisfactio sit illis injungenda?

Quæritur: Quid respondendum? a num. 114. ad num. 119.

CASUS XIX.

Hartardus uxorem duxit Dorotheam, dolosam & pervicacem mulierem. Hæc primum viro suo placere studuit, sicque animum ejus lucrata plus æquo indulgentem sibi reddidit; unde paulatim arrogans mulier sibi dominatum, concessamque a Deo viro potestatem arrogavit; quod advertens Hartardus obstitit quidem, sed quia benignioris erat naturæ, nihil a superba muliere impetravit; tandem videns rem domesticam male administrari, atque de remedio desperans, animi levandi causa adit amicos & honesta concivium consortia, cum quibus quandoque vino conatur moderate tædia abluere, a quibus audax mulier eum non raro minacibus verbis avocat, sibique non obtemperanti

ti cœnam negat. Demum Hartardus, mœrore animi confectus moritur. Dorothea cum Hermanno, mercatore peregre adveniente, qui mulieris caput aspexerat, non inspexerat, transit ad secundas nuptias. Hermannus notans pervicacem uxoris suæ spiritum, & dominatus ambitionem, audiensque qualem se probaverit in conjugio cum Hartardo, primum eam benigne habet, monetque officii sui, & obligationis, ex Apostolo allegans, ex Dei ordinatione virum esse caput mulieris, mulierem esse sub potestate viri quamdiu hic vivit, mulieres oportere subditas esse viris suis, ne blasphemetur verbum Dei. Hæc si serventur, non defore Dei benedictionem. Vera isthæc esse fatetur quidem mulier, at sui impos non diu impetrare sibi potuit, quin se ingereret rei domesticæ administrationi pro arbitratu suo de omnibus attentans disponere, contempta, & improbata, tamquam non intelligentis, Hermanni ordinatione. Hermannus amandat eam ad colum, acum, & culinam, & quia verbis non flectitur, fuste aliquoties noviter excipit: dein cubiculo includit, jubens vitam tolerare pane arcto, & aqua brevi. Ex his animadvertens Dorothea, a viro suo sibi pileum non concessum iri, solandi animi causa adit Confessarium, cui inter cetera ait: Rixas habeo perpetuas cum viro meo. Habui primo virum bonum; quem vero nunc habeo, est instar Tyranni. Reponit Confessarius: Grates habeas Deo, quod unum habueris bonum; non sunt tot boni viri, ut quælibet mulier possit habere duos bonos: nec tot bonæ mulieres, ut quilibet vir vel unam habere possit bonam: mulieres effræni petulantique sua lingua, & superbia capitis sui pertinacia exasperant sæpe viros, redduntque severiores. Tu esto suavis erga virum; obedias ei in omnibus honestis, & licitis, devinciesque viri tui animum, ac facies,

cies, eo consentiente, quod prudenter exoptare potueris. His, quia Dorothea submurmurans, & repetens querelas, causamque suam reputans justam, videbatur non omnino flecti, Confessarius negavit ei absolutionem, donec redux, a viro petiisset offensæ remissionem, & emendasset in quibus contra eum deliquerat.

Quæritur 1. Quomodo peccet mulier contra viri prudentis voluntatem arrogans sibi capitis domus potestatem? 2. Quomodo peccarit Dorothea sic tractans virum suum primum Hartardum? 3. An Hermannus recte processerit cum Dorothea? 4. An mulier capax absolutionis, si recuset subesse viro, & concessam illi a Deo potestatem sibi arroget? Vid. num. 119. 131. 132. *Vide etiam Partem tertiam Casuum. Casu* 9. 10. 11.

CASUS XX.

Honoratus ex uxore sua Bibiana suscepit tres filios: natu majorem Antonium, absolutis studiis Humanioribus & Philosophicis, ut suo tempore sibi succedere in officio, & domui præesse valeat, misit ad Academiam acatholicam, Jurisprudentia imbuendum. Is, conversatus cum heterodoxis, audiensque a Professoribus dicteria contra Sedem Apostolicam, cœpit flaccessere, & plus deficere ab orthodoxa Religione, quam proficere in Jurisprudentia, jam inclinatus in Syncretismum. Hæc audiens Honoratus, revocat eum ad Universitatem Catholicam, in qua (id quod tamen Honoratus non inquisivit) exigua est Professorum ad Candidatos Juris Vigilantia, disciplina fere eorum nulla, periculum seductionis non leve. Natu secundum Bernardum, quia videbatur minus aptus, ad se, suæ conditioni, & natalibus

bus convenienter sustentandum in sæculo, conatus est primum blanditiis ad amplectendum statum Religiosum in Monasterio opulento, in quo in Hymnis & Canticis laudaret Deum, adducere. His, quia Bernardus recusavit annuere, pater cœpit eum dure tractare, ad nihil eum applicare, & velut non filium aspicere, & habere. Hoc aliquot annis expertus Bernardus, timuit ne continuaretur perpetuo, maneretque ineptus ad honeste se in sæculo alendum, annuit intentioni patris. Hic id intelligens per dolum fallacem eum induxit, ut ante ingressum Monasterii renuntiaret hæreditati; ajebat enim: nemo potest verus fieri Religiosus, nisi renuntiet omnibus, juxta illud Christi: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Quæritur 1. Quæ sint universim obligationes parentum erga liberos suos? 2. An & quomodo peccent parentes, qui filios suos mittunt ad Academias heterodoxas imbuendos Jurisprudentia, vel ad Universitates licet Catholicas, juventuti periculosas, non inquirendo quæ servetur disciplina, quæ sit cura Professorum, ut discipuli dent se studiis, Divina frequentent, pecuniam parentum non dilapident? 3. Quomodo peccarit Honoratuus sic inducendo filium suum ad statum Religiosum, & hæreditati renuntiandum? 4. An Professio Bernardi, & renuntiatio hæreditatis sit valida? a num. 128. ad numer. 130.

CASUS XXI.

Hedvvigis, sicut a teneris annis devotioni dedita, sollicite omnem Dei offensam studuit vitare, præsertim gravem; ita nunc, nuper matrimonio juncta, quantum status permittit, devotionis exercitia continuare, & animam suam

a pec-

a peccatis mundam servare, desiderat: quare; cum intellexerit, varias esse conjugum mutuas obligationes, posseque peccari per actus conjugii, interrogat 1. Confessarium: Quæ sint obligationes uxoris? 2. an teneatur semper viro suo petenti, reddere conjugale debitum, vel sint causæ quandoque excusantes, & quæ illæ? 3. Qua ratione peccent conjuges per actum conjugii, seu usum matrimonii?

Quæritur. Quid & quomodo ei sit respondendum? a n. 119. & 122. Item p: 4. 503. *Vide etiam ex parte* 3. *Casum* 9. 10. 11.

CASUS XXII.

Jacobus, & Anna in matrimonio tres genuerunt filias: has cum indulgentius educassent, & vanitati magis, quam Divino cultui addictas, ad ætatem nubilem pervenisse cernerent, permiserunt iis cum adolescentibus conversationem, accessum ad nocturnas juventutis utriusque sexus conventiones, saltus, & ludos: in his filia natu major Agatha cujusdam officialis bellici, conditionis inferioris, blanditiis capta, & amore quodammodo fascinata, promittit ei matrimonium; obsistit familia utpote prænobilis, obsistit & mater & pater, sed frustra: filia ab officiali impraegnata, obtenta licentia, coram Missionario castrensi cum officiali iniit matrimonium. Hoc indigne ferens familia, accessum, & conspectum negat Agathæ; post annum tamen mitigata, velut consanguineam recipit, mater vero Agathæ nec deprecatione & remissionis offensæ humili petitione, nec lacrymis flecti se passa, statuit in perpetuum ad conspectum suum Agatham non admittere.

Quæritur 1. Quomodo peccent ejusmodi parentes? 2. An peccarit Agatha contrahendo matrimonium contra voluntatem parentum?

3. An

3. An recte fecerit familia negando Agathæ ad tempus accessum? 4. An mater peccet, perpetuo offensam puniens, conspectum negando? num. 129. §. 9. num. 136. & sub num. 138.

CASUS XXIII.

Joachimus, Mercatoris filius, cum in studiis à patre suo Joanne parce, & studiis ex parte absolutis durius esset habitus, aversus a patre abiit in aliam regionem, susceptus a viro illustri ad informandos ejus filios, studia jurisprudentiæ prosequitur, in qua cum excelleret, opulenti Senatoris filiam accepit uxorem; interim Joannes ejus parens per sinistros casus in mercatura foro cedere cogitur, & ad incitas redigitur: quare auxilio destitutus inquirit in Joachimum filium suum, tandemque invenenit, & accessum petit. Joachimus duritiem patris in animum revocans, reputansque sibi dedecori, si se parentis pauperis filium fateatur, dissimulat se novisse patrem, illi accessum negat obtendendo patrem suum jam pridem defunctum esse.

Quæritur 1. Quæ sint obligationes filiorum erga parentes, eorumque specialia peccata? 2. Quomodo peccarit Joachimus? a num. 137. vide insuper ex Parte 3. Casum sextum, reliquosque usque ad 9.

CASUS XXIV.

Jodocus, opificio ædilis, potissimo anni tempore domo abest foris, tum ædibus, tum templis ædificandis, cum tribus famulis Damiano, Sebastiano & Cosma occupatus, videtque famulos suos in popina diebus Festis & Dominicis ludendo, & potando dilapidare pecuniam, diebus operariis acquisitam, & sacrifi-

cium reliquaque Divina non raro negligere ; Cosmam insuper furtis esse deditum, & clanculum subducere externis, quæ sine periculo deprehensionis potest; nec tamen eos monet, aut corrigit. Justina ejus uxor domi ancillas, quas habere duas debet, ita habet, ut nulla per plures menses iram ejus, maledictiones, tenacitatem in subministrando victu tolerare valeat, sed ante finem temporis conducti cogantur discedere.

Quæritur 1. Quæ sint obligationes patrum & matrum familias? 2. An Jodochus teneatur sub gravi famulos corrigere? 3. An teneatur damna in defectu Cosmæ ab hoc aliis illata compensare? 4. An Justina non teneatur salarium integrum, de quo pro anno conventum est, solvere ancillis, quas inhumano suo agendi modo coegit intra annum discedere? a numer. 148.

CASUS XXV.

Lambertus, Famulus, 1. plus avenæ apposuit equis domini sui, ut pinguescant, quam dominus voluerat; prætereа videns ab externis domini sui pratis & agris inferri damna, tacuit, nec impedivit, nec Domino indicavit. 2. Putans evidens esse, sibi dari salarium justo minus, auferendo successive parva compensat sibi defectum.

Quæritur. An, & quomodo his peccarit Lambertus, teneaturque ad restitutionem? sub n. 152. §. 2. 4. 5.

CASUS XXVI.

Laurentius, Famulus Liberii, 1. missus ut emeret bovem, illum emit primum infimo pretio sibi, deinde vendendo illum Liberio exigit summum pretium justum, 2. Jussus ferre de-

bitum

bitum creditori Liberii in moneta aurea, in via pecuniam cum lucro permutavit, & lucrum retinuit. Idemque 3. fecit, quando exegit a Liberii debitore 300. debitos, & acceptam pecuniam ferre debebat Liberio.

Quæritur: An Laurentius hæc licite fecerit? sub n. 152. §. 7. 9. 10. plura de famulis vide p. 3. Casu 65. 66.

CASUS XXVII.

Circa urbem celebrem variæ sunt Parochiæ, quæ administrantur tum a Regularibus, in Monasteriis extra urbem sitis, tum ab Ecclesiasticis in eadem habitantibus. Dum Parochiani infirmitate vel subito corripiuntur, vel ad extrema inopinato perveniunt, nec Monasteria, nec urbs intrari potest ab advocante Pastorem, coguntur que non raro etiam de nocte petere vicinorum Parochorum subsidium charitatis, quorum aliqui vel senes, vel infirmi, vel impediti sunt, atque ita fit, ut quidam sine Sacramentis extremis & consolatione a Pastoribus ipsis debita decedant in æternitatem.

Quæritur 1. Quæ sint obligationes Pastorum? 2. In quo, & quali loco teneantur residere? 3. An tuti sint in conscientia tum Superiores, qui per ejusmodi tali modo Parochias administrant, tum ii, quorum est Superior istos corrigere & adigere, ut juri Parochianorum, qui ideo dant decimas &c. ut sibi administrentur Divina, satisfaciant. Sub num. 154.

CASUS XXVIII.

Ludovicus, Theologiæ auditor, a P. Præfecto Gymnasii commissos sibi habuit adolescentes e scholis humanioribus, instruendos extra tempus scholæ præceptis linguæ latinæ &c. at

ille negligens desesque fuit, & non raro à suis absens; unde contigit, ut alii minus, alii tam parum profecerint, ut annum alterum priori in eadem classe addere debuerint, cum sumptibus parentum, his non levibus.

Quæritur 1. Ad qualem diligentiam in commissis sibi instruendis adolescentibus teneantur Præceptores, & Pædagogi? 2. An salva religione possit admittere totum minerval, dari solitum? 3. An non teneatur compensare damna, parentibus inde nata? num. 151. 155.

CASUS XXIX.

Lucius ligna pro domo ædificanda, tali tempore cæsa, ut vetustatem non ferre dicantur, sed facile carie infici, & putrescere, vendidit Lubentio; tempus autem, quo ligna cæsa essent, periculumque tacuit, id quod tamen postea aperuit ædili, qui id parvi pendens perrexit in ædificanda domo; post annos aliquot trabes carie infici, & in putredinem vergere cœperunt.

Quæritur 1. Quæ sint obligationes & peccata specialia Mercatorum? 2. Quis ex prædictis peccarit, & ferre damnum debeat? a numer. 157. Plura de his vide P. 3. a Casu 58. ad 64.

CASUS XXX.

Lucretius, Lanio, carnes sic partitas vendidit, ut ditiores, qui ejus macellum frequentant, accipiant portiones meliores, reliqui vero plebeji deteriores, eodem pretio solvendas: præterea, quando famulus ejus, emissus ad emendum pro Macello pecora, majore pretio eadem emit, quam Lucretio placeat, ipsa relinquit famulo, non raro cum ejus damno; quia

non habet, unde illa ad tempus alat: quare famulus, dum infimo pretio emit, auctum domino suo annotat, & ab eo exigit, vel plus consumit in itinere, quam alias consumpturus fuisset.

Quæritur. Quis ex his duobus peccet contra justitiam, & teneatur ad restitutionem? sub n. 613. §. 7. sub n. 152. §. 6.

CASUS XXXI.

Maximus, in subsidium Pastoris ad excipiendas in oppido populoso tempore Paschali Confessiones fidelium vocatus, varios audivit Opifices confitentes: 1. Sutor jurato promiserat calceos pro sponso & sponsa, proxima Dominica matrimonio jungendis, die Sabbati fore paratos, sed fidem fefellit. 2. Sartor retinuit fragmenta, seu partes reliquas de panno, in commissis habens emere pannum, emit majore pretio ad gratificandum Mercatori, eumque addictum sibi reddendum, cum minore potuisset emere, qui & remisit quandoque de pretio majore, quod sibi sartor retinuit. 3. Pistor panes pinsuit justo minores, eo quod Magistratus taxaverit pretium tam exiguum, ut nullus posset sine detrimento panes in ordinario pondere pinsere.

Quæritur 1. Quæ sint obligationes, & specialia peccata Opificum? 2. An, & quomodo prædicti peccaverint, & ad quid teneantur? a num. 162.

Quæ ad belli Officiales, militesque pertinent, habentur tum hic num. 164. tum Parte 3. Casu 131. 132. tum apud *La-Croix l. 3. p. 1. n.* 876. 867. 883.

CASUS XXXII.

Mauritius, Juris Candidatus, cum filia domus, in qua victum habet, per singulos menses certa pecunia solvendum, cum libertate, mense finito, ad aliud hospitium discedendi, familiarius agit, & sæpe labitur in venereas delectationes, & turpia desideria, quæ exponit in Confessione: Confessarius graviter eum adhortatur ad majorem erga Deum reverentiam, curamque animæ suæ; & injuncta satisfactione cum absolvit. Hic, benignitate Confessarii ductus, post mensem redit, lapsus in eadem peccata; Confessarius difficilem se ostendit in danda absolutione: Mauritius per omnia sacra & profana promittit emendationem, & absolvitur iterum.

Quæritur 1. Quæ dicatur occasio proxima, & periculum proximum peccandi? 2. An Confessarius bene fecerit dando absolutionem non deserenti prius occasionem proximam continuam, quam Mauritius facile deserere poterat? 3. An Mauritius deinceps absolvi possit, manens in ista occasione? n. 168. 171. 173.

CASUS XXXIII.

Melchior, perhonestæ familiæ juvenis, captus amore filiæ in vicina domo, frequenter eam adivit, & conversatus cum ea decies, lapsus est sexies, vel quinquies, eam cum turpi desiderio tangendo, osculando &c. Accedit dein Confessarium, qui frequenter ad domum parentum ejus venit; hic excipiens ejus Confessiones benigne cum eo agit ex respectu humano, suaviterque admonitum, ut occasionem, etsi interruptam, vitet, absolvit; idemque facit altera & tertia vice relapso in eadem peccata Melchiore.

Quæ-

Quæritur 1. An conversatio cum illa filia sit occasio proxima Melchiori, teneaturque eam vitare sub mortali? 2. An Confessarius recte sit functus suo officio, aut etiam primum absolvendo, priusquam probaverit Melchior, se vitasse conversationem cum illa filia? a num. 168. & num. 172.

CASUS XXXIV.

Menolphus, perditæ vitæ Parochus; ancilla sua per plures annos usus, tamquam concubina (ei persuadens, tantum peccatum id non esse) infirmitate quadam, necdum periculosa quidem, attamen diuturna corripitur: hac invalescente subit cogitatio mentem Menolphi de æternitate supplicii, impiis in inferno præparati; advocat confratrem quemdam suum, eique confitetur. Hinc anxius hæret, an eum possit absolvere, priusquam illam ancillam dimittat. Menolphus juramento confirmat eam dimittendam esse proxima, qua poterit, occasione. Hac promissione motus Confessarius, examinatis omnibus, eum absolvit. Post mensem Menolphus deducitur ad extrema, revocatur idem confrater, & invenit ancillam necdum esse e domo dimissam.

Quæritur. An recte fecerit Sacerdos, eum absolvendo, dimissa non prius ancilla, & quid nunc agendum? sub n. 173. Vide ex p. 1. Casus a 59. ad 62.

CASUS XXXV.

Medardus, Regularis, sedens in magna festivitate pro sacro tribunali, inter ceteros tres habuit juvenes, qui se fœdo mollitiei peccato contaminaverant. Medardus sollicitus de dispositione ad absolutionem necessaria, interrogat, num & alias peccato illo se conspurcaverint,

fintque consuetudinarii, auditque primum intra annum singulis mensibus, alterum intra triennium singulis circiter quatuordecim diebus, tertium per quinquennium intra dies octo peccatum illud commisisse: quare cum prudens judicium de eorum dispositione formare non possit, utpote qui sine ulla emendatione sic perrexerant, prævia gravi admonitione, injunctaque medicinali pœnitentia, eos dimisit sine absolutione, donec aliquod emendationis specimen dedissent.

Quæritur 1. Quis censendus sit consuetudinarius? 2. Quando neganda, vel danda, aut differenda sit tali absolutio? 3. Ex quibus indiciis colligi possit esse rite dispositum? num. 175. 176. 177.

CASUS XXXVI.

Modestus suspirans & lacrymans dicit Confessario: Ah! a nequam sodali meo seductus sum in peccatum pollutionis, & per tres annos singulis fere mensibus ter me contaminavi, persuasus a sodali non esse peccatum, nihilominus sæpe id feci cum angore & dubio de gravi malitia, rogo, adjuvet me, & liberet gravi illo onere. Confessarius præscribit ei media, injunctaque pœnitentia simul vindicativa absolvit, & jubet post dies quatuordecim ad se redire; paret Modestus, & ait Confessario: Media præscripta adhibui; attamen graviter tentatus semel, iterum succubui; paratus sum quæcumque media adhibere, modo reconcilier nunc Deo, & tandem emergam ex hac animæ meæ miseria; Confessarius præscriptis mediis iterum eum absolvit.

Quæritur 1. An, qui prima vice suam consuetudinem confitetur, statim sit absolvendus, si videatur dispositus? 2. An relapsus, si media adhibuit, & numerum imminuit, absol-

vi statim possit, recteque processerit Modesti Confessarius? Sub num. 177. Regula 1. Quæ cavenda sint Confessario, si pœnitens prima vice suam peccandi consuetudinem confiteatur? n. 179. & 180.

CASUS XXXVII.

Mucius, consuetudinarius in materia lubrica, confitetur, quod ab ultima Confessione, ante tres menses peracta, decies peccato mollitiei se inquinaverit, interrogatus, quot annis continuaverit illam consuetudinem, quæ media illi fuerint præscripta, an ea adhibuerit; respondet, sibi a Confessario injuncta fuisse quandoque duo, quandoque tria Rosaria dicenda; de aliis mediis se nihil audivisse.

Quæritur 1. An talis modo possit absolvi, si paratus sit adhibere media, promittatque emendationem? 2. Quæ media sint præscribenda consuetudinariis præsertim in materia venerea? 3. Quid agendum, si Confessarius dubitet de serio proposito emendationis? Sub n. 178. Reg. 1. & 3. n. 188.

CASUS XXXVIII.

Natalis eidem Confessario constanter, & frequenter confitetur, in eadem venialia relapsus, hæret quandoque Confessarius dubius de efficaci proposito, & requisita dispositione.

Quæritur 1. An idem sentiendum de frequenter relapso in eadem venialia, atque de relabente in eadem mortalia? 2. Quid agendum Confessario? a n. 187.

CASUS XXXIX.

Nabor, Pater-familias, sic orditur Confessionem: Ultimo confessus sum ante tres menses; habeo liberos sæpe parum obedientes, uxorem pervicacem, famulos parum de commodo domus meæ sollicitos, hinc impatientia victus decies ab ultima Confessione prorupi in verba blasphema, octies in diras imprecationes. Confessarius interrogat, an ejusmodi peccata etiam commiserit ante ultimam Confessionem, & quoties, adeoque consuetudinem contraxerit? Reponit Nabor: Quæ ante ultimam Confessionem commisi, confessus sum, consuetudo consistit vel in habitu malo nato ex actibus sæpe repetitis, inclinante ad actus similes, & is peccatum non est, adeoque nec confitendus; vel consistit in actibus frequentatis, & hoc dixi confitendo numerum meorum peccatorum.

Quæritur 1. Quid judicandum sit de statu Naboris? 2. Ad quid teneatur? 3. Quæ pœnitentia illi injungenda? 4. An non teneatur Confessario interroganti de consuetudine fateri veritatem? a n. 185. 188. P. 1. in Analysi n. 124. Coroll. 4. 161. p. 2. n. 441. 442.

CASUS XL.

Nicasius quindecim annos natus commisit peccatum carnis, quod ex pudore omisit confiteri per annos 25. sæpe rogavit B. Virginem, ut sibi gratiam impetraret vincendi pudorem, & peccatum illud confitendi, nunc tandem venit sui victor ad Confessarium animo plane perturbato, nescius qua ratione Confessionem generalem instituat.

Quæritur. Quomodo hic sit erigendus? quomodo, & de quibus examinandus? n. 189.

CASUS XLI.

Nicephorus ignorat quidem, se a juventute non rite esse confessum, attamen continuo angitur, ne aut propositum firmum non habuerit, aut non explicaverit, ut oportebat, speciem & numerum peccatorum.

Quæritur 1. An, & quando talis teneatur ad generalem Confessionem? 2. Quando ei suadenda aut dissuadenda? n. 190.

CASUS XLII.

Paulinus, distractus sat amplis Parochus, Parochianos suos moribundos extremis quidem munit Sacramentis, ac timens, ne morbo vel contagione inficiatur, neminem deinceps invisit: unde pronum est fieri, ut alii pusillanimes, dolores morbi impatienter ferant; alii de uxore & liberis inordinate solliciti parum suam Divinæ voluntati conforment; alii tentationibus & insultibus dæmonis succumbant.

Quæritur 1. An Paulinus suæ obligationi satisfaciat? 2. Quomodo moribundi excitandi sint ad patientiam, conjunctionem cum Deo, & resignationem fiduciamque in Deum? 3. Quæ cautela adhibenda, ne morbus, si contagiosus sit, inficiat alios? a n. 212. sub n. 227. §. 6. n. 154.

CASUS XLIII.

Quiriacus, vocatus ad Sebastianum infirmum, invenit illum valde perturbatum, & quasi desperabundum, excitat eum spe & fiducia in Deum, hortatur ut confiteatur, & animi sui vulnera detegat; at primum nihil impetrat, tandem intelligit, eum divitias corrasisse per varias fraudes & injurias, & non posse restitutionem fieri omnium, quin filii & filiæ omni

pœne sperata hæreditate priventur; & spe ad statum suæ apparenti conditioni convenientem perveniendi.

Quæritur. Quid hic agendum Pastori, & Sebastiano? n. 212. §. 236. 211. §. 6. 235.

CASUS XLIV.

Quinctinus, dato ab anno ætatis suæ 18. nomine militiæ, ad eam animæ suæ incuriam devenit, ut omnia Divina neglexerit, sceleribus ita conspurcatus, ut gratiæ non det locum; tandem annum agens 60. rure donatus, redit ad locum natalem. Parochus loci advertens ejus in Divinis socordiam, monet eum ut meliori sit exemplo, frequentando Sacra, sed nihil impetrat; tandem vocat eum ad se, exploratque animum, & invenit penitus induratum, & omnia Divina nauseantem.

Quæritur. Quomodo cum illo agendum? n. 206.

CASUS XLV.

Quirinum, corpore, & animo ægro, decumbentem uxor sua, dubia an intra plures annos exomologesi animam expiaverit, monet ut curet advocari D. suum Pastorem, & pro vita Christiano more terminanda, si coram Deo placitum sit, confiteatur; reponit Quirinus, horrens Confessionem, sat adhuc esse temporis. Post dies aliquot uxor videns ingravescere ægritudinem, advocat Pastorem; hic pauca prælocutus, invitat eum ad faciendam Confessionem; Quirinus ait, se necdum esse præparatum, mora sibi opus esse; interim dilabitur ad alium discursum, aitque: Reverende Domine Pastor! meæ facultates, ut adhuc apparet, fuere bonæ, sed nunc accisæ sunt, immo ære alieno omnino gravatæ. Villam habui leu-

leucis hinc 20. unde meus erat potissimus proventus, nobilis isthic litem contra me, tamquam illegitimum ejus possessorem, movit, & quia potentior me erat, corrupto judice, tractatis domi suæ assessoribus, litem eo protraxit, ut penitus me exhauserit, coactusque fuerim ab ea, ut oportebat, prosequenda cessare, tandemque causa ceciderim. Contra hunc fovi odium per annos tres, milleque diris eum miseria pressus, devovi, statui ei numquam ignoscere, & non ignoscam in æternum. Parochus eum ad meliora hortatus cum modo non expugnaret animum, suasit dicta ut consideraret, pollicitus, se altera die mane rediturum; at nocte ingruente Quirinus ad agonem deductus loquela destituitur, advocatur Parochus, videt eum pectus tundere, ratusque id ex pœnitentia procedere, absolutionem ei impertit, mortuumque more Christiano sepelit.

Quæritur 1. Quomodo agendum cum homine, volente differre pœnitentiam in finem vitæ? 2. Quomodo tractandus homo odio implacabili occupatus, & recusans offensam remittere? 3. An debite processerit Pastor? a n. 207. 228.

CASUS XLVI.

Regina, illustris familiæ mulier catholica, nuper ex Palatinatu, ubi domicilium habet, venit, ut quandoque consuevit, ad tractum Mosellæ in castrum seu villam suam, post dies aliquot morbo corripitur; Pastor loci sciens eam non abhorrere a Sacerdotibus Catholicis, adit eam, solaturque excitatam ad dolorem de peccatis, conjunctionemque cum Deo. Ipsa dein infert discursum de tribus religionibus ab Imperio, ut putabat, approbatis, tamquam salvificis; errorem eximit ei Pastor dicendo, tres religiones tolerari in Imperio, non approbari,

uni-

universam Catholicam habendam ab omnibus tamquam securiorem, quia fatentur omnes, in hac viam patere ad salutem, de aliis omnes Catholici inficiantur. Post hæc Parochus præit ei, & elicit cum ipsa actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis, aitque: si a me absolutionem a peccatis admitteres, securior fores; annuit Regina, aitque: si scirem me non esse in religione salvifica, amplecterer Catholicam; a juventute mea non raro offendi Deum variis peccatis, de quibus omnibus doleo, & veniam peto. Pastor his auditis absolvit eam, & dein petenti, ut si avocetur ad æternitatem sepeliatur corpus in cemeterio Catholicorum, cum aliud isthic non esset, annuit Pastor, & defunctam sepelit in eo more Catholico, requisito quidem Episcopo, sed responso ab eo, utpote absenti, non accepto.

Quæritur 1. An bene processerit Parochus sic Reginam absolvendo? 2. An licite eam sepeliverit in cemeterio Catholicorum, & more Catholico sine approbatione Episcopi? 3. An Episcopus potuisset ista permittere, nisi prius publice constitisset, eam certa ratione mortuam esse, ut Catholicam? n. 203. & p. 1. Theol. Mor. a n. 323.

CASUS XLVII.

Richardus, quia solet frequenter visitare captivos, eorumque Confessiones excipere, antequam ad supplicium extremum educatur, sæpe timuit, ne aliquando magiæ diabolicæ deditum cogatur audire. Quare interrogat, circa quæ talis potissimum sit examinandus, & ad quæ obligandus? Vide n. 242.

CASUS XLVIII.

Robertus, carcerum visitator, & captivorum Confessarius, ne quis periret, pro zelo suo varia tentavit: 1. suasit judici, ne sententiæ, qua reus erat condemnatus ad mortem, differret executionem, eo quod reus esset jam bene dispositus, posset autem, interveniente dilatione, labi in gravem mœrorem, animi perturbationem, aut etiam desperationem. 2. dum alius agendus esset in rotam, suasit carnifici ut primum ictum talem ei daret, quo turbaretur ratio, ne victus cruciatibus in blasphemias, dirasve imprecationes erumpens desperaret, & æternum periret. 3. Dum in curru cum reo sedens animadverterat, eum pusillanimitate corripi, monuit aurigam, ut viam quæ brevior erat, caperet, & citius pergeret.

Quæritur 1. An Robertus non peccarit sic accelerando reorum mortem? 2. An non incurreris irregularitatem ex defectu lenitatis saltem? n. 243.

De Regularibus, & devotis personis.

CASUS XLIX.

Nicetas, a suo Prælato nominatus Confessarius monialium sui Ordinis, approbatus ab Episcopo, varias invenit in Monasterio, variis tentationibus vexatas. 1. Magdalena cum quadam impatientia queritur, se diu, noctuque inquietari; nescire se, cur Deus, tam benignus pater, permittat famulas sibi servire cupientes ita torqueri; quæ sit tandem tentationum utilitas, & quæ media generatim sint adhibenda? 2. Agatha ait, se pati impura phantasmata, & carnis graves tentationes. 3. Lu-

cia

sia gemebunda dicit: Si molestia aliquâ â sorte afficiar, statim incitor ad vindictam, nec sinor de nocte, molestia mihi illa obversante, quiescere. 4. Agnes gemit dicens: Ego his cogitationibus frequenter affligor: quid te fatigas? si prædestinata sis, salva eris; si reprobata, æternum eris misera, & infelix. Prædestinatio, & probatio ab æterno a Deo facta est, neutram homo mutare potest. 5. Cæcilia ait, se ante Confessionem non, aut vix posse concipere emendationis propositum: semper enim sibi objici: Quid faceres, si vel detrudi in infernum, vel peccata, quæ modo vis confiteri, deberes repetere? Si aut comburi, aut mendacium jocosum admittere penes te foret eligere? 6. Catharina plorans inquit: Infelix sum; non possum aspicere Imaginem Christi Crucifixi, vel Beatissimæ Virginis, quin impuris vexer imaginationibus.

Quæritur 1. Quid respondendum Magdalenæ? Vide a n. 244. usque ad Regulam 6. 2. Quid Agathæ? ibid. Regula 6. 3. Quid Luciæ? Regula 7. 4. Quid Agneti? Regula 8. 5. Quid Cæciliæ? Regula 9. 6. Quid Catharinæ? Regula 10.

CASUS L.

Nicephorus, regularis Sacerdos, jussu Superioris sui se sistit examini pro facultate & approbatione ad audiendas Monialium Confessiones: Examinator interrogat 1. Quomodo persona religiosa ducenda ad perfectionem, & quæ in principiis docenda sit? 2. Si justa sit suspicio, aliquam non operari recta intentione, sed duci vana gloria, & sensualitate, propriique judicii amantem esse, & tenacem, quomodo probanda sit, & corrigenda? 3. Quibus tentationibus occultis incipientes, quibus proficientes, quibus in spiritu provectiores

impe-

impeti soleant, & quomodo in his dirigendæ & juvandæ sint? Ad hæc cum minus bene respondisset Nicephorus, remissus est ad dies quatuordecim, ut magis se præpararet, idoneumque redderet; itaque redux ad cœnobium refert interrogata suis confratribus, petitque, quid ad ea sit respondendum. Vide n. 244. 245. 246.

CASUS LI.

Narcissa, devotioni quidem dedita; tempore consolationis, & devotionis sensibilis læta, & alacriter obit exercitia spiritualia, cum non vulgari intensione; tempore autem ariditatis, & desolationis contrahit animum, languideque, & quasi perfunctorie peragit omnia.

Quæritur. Quomodo ducenda, & dirigenda sit, quæ regulæ tempore desolationis, & consolationis tenendæ? a num. 251. 252. 253.

CASUS LII.

Nicasius, vir à scientia, & prudentia celebris, approbatus ab Episcopo, ut si vocetur, vel a suo Superiore mittatur, Monialium, in urbe habitantium, excipere Confessiones valeat, accessit quandoque Monasterium Ordinis exempti, habuitque cum ejusdem religiosis colloquia spiritualia de profectu in spiritu, mortificandis inordinatis passionibus, aliisque perfectionis consequendæ mediis: unde apud Moniales, concepta magna ejus æstimatione, gratiam iniit, & quædam eum rogarunt, ut se audiret sacramentaliter confitentes; audivit non gravate, & absolvit, non reflectens ad ejusmodi absolvendas requiri non tantum approbationem Episcopi; sed etiam licentiam a

Supe-

Superiore; cui Moniales illæ exemptæ sunt subjectæ.

Quæritur. An licite & valide eas audiverit, & absolverit, si defuit licentia illius Superioris? Et quid, si quæ lapsa fuisset in casum, in ordine reservatum, & ad absolvendum ab hoc defuisset specialis a Superiore illo facultas? Vide P. 4. sub n. 352. §. *Porro*, in fine.

CASUS LIII.

Nicolaus, Regularium sui monasterii Confessarius, advertit, unum de monasterio religiosum remittere de fervore in Novitiatu concepto, & flaccessere: alterum jam animum in spiritu proficiendi abjecisse, & in profundum esse prolapsum.

Quæritur. Quomodo cum his agendum, quibus excitandi a torpore, & reducendi sint ad fervorem pristinum? sub n. 246. §. *Modus*, & §. *Si jam*.

CASUS LIV.

Narcissus, vir religiosus, hactenus de profectu in spiritu, ut decet, sollicitus, vitam duxit inculpatam; contigit, ut post plures a professione religiosa annos, cum licentia sui Superioris, foras excurreret recreationis honestæ causa, cumque minime timeret sibi a periculo labendi, potu non nihil calens, egit familiarius cum blandiente muliere: aspectu ejus manuumque attactu allectus, prolapsus est in turpe desiderium; domum rediens, quasi desperabundus dicebat intra se: quomodo cogitare poteram me, qui tam diu Deo servivi, prolapsurum ita esse; iis inhærens adit patrem spiritualem, domus religiosæ Confessarium, animo penitus dejecto, exponitque lapsum suum infelicem pudibundus, etiam eo, quod

exi-

existimaret se in casum in ordine suo reservatum incidisse, ideoque etiam Superiorem accedendum esse.

Quæritur 1. Quomodo talis erigendus, ut resumat animum, suumque pristinum, quo Deo servivit, fervorem augeat, ut obsequio duplicato Deo honorem, sibi damnum animæ recuperet? 2. An casum reservatum incurrerit, cum actus externus non fuerit objective graviter malus, sed indifferens. Vide num. 246. 1. 3. & P. 4. Theol. Moral. sub n. 359. §. 3.

CASUS LV.

Norberta, magnam præferens devotionem, venit ad Titum Confessarium, cum magnis humilitatis, & pœnitentiæ signis, confitetur peccata quædam levia, rogatque, ut sibi (quod alii Confessarii negaverant) permittat Communionem sacram accedere vel quotidie, aut minimum sæpius in hebdomade: Titus sine ulteriori examine, aut experimento, motus indiciis singularis devotionis, annuit petitioni, itaque aliquo tempore communicat diebus singulis; videntes hoc aliæ, quæ ejus vivendi rationem noverant, mirantur, referunt Tito, esse eam parentibus suis immorigeram, hærere diu mane in templo, dum ex parentum voluntate & mandato domi pro conservanda re domestica & necessariis vitæ laborandum esset; esse effrœnis linguæ, & diris imprecationibus assuetam, a prandio non raro frequentare mulierum consortia, quæ ludunt chartis pictis, re domestica neglecta, bibuntque potum illum peregrinum, quem Caffè appellant. His auditis, Titus eam ad se redeuntem graviter monet, serioque reprehendit, & datam toties communicandi licentiam revocat; illa indignabunda auditum a verita-

te avertit, & alium accedit, qui ejus se cerebro accommodet.

Quæritur 1. Quæ sint expendenda, priusquam ejusmodi mulieribus quotidiana, aut frequens in hebdomade Communio permittatur? 2. Quo modo probandæ sint earum virtutes, ut dignoscatur, quoties permittenda sit? 3. Quibus tam frequens Communio permitti possit, ac debeat? a num. 254. Vide etiam P. 4. n. 171. & a n. 177. ad n. 180. Item Casum XXXIII. ex illa parte.

Notandum quoque hic, ab otiosis, languidis, pigrisque mulieribus constitui mulierculas plebejas pauperes, pecuniaque conduci, ut pro ipsis communicent, ideoque eas frequenter in hebdomade communicare. Id quod & investigandum est, ut scandalosus ille abusus propulsetur.

CASUS LVI.

Nymphorosa venit ad Timotheum confitendi causa valde mœsta, & pusillanimis, queriturque, se continua premi anxietate, se non esse in statu gratiæ, hocque provenire ex sua culpa: eo quod exiguæ sit devotionis, indomitas adhuc habeat passiones, nec, ut vellet, proficiendi in virtutibus gratiam habeat.

Quæritur 1. Quomodo talis erigenda sit in fiduciam erga Deum? 2. Quomodo instruenda, ut sciat in quo consistat vera devotio, vitaque homini Christiano digna? 3. Quid ei dicendum de passionibus involuntariis, & cur Deus permittat eas in nobis excitari? 4. Ex quibus signis dignosci possit, haberique moralis certitudo, quod quis sit in statu gratiæ. Vide num. 237. 273. p. 1. sub num. 133. §. *Nec ideo* num. 372. Coroll. 3.

De

De Scrupulosis.

CASUS LVII.

Odo venit ad Gervasium, Confessarium a prudentia commendatum, & ait: Ego sum scrupulosus; reponit Confessarius: De hoc audiam te postea, modo confitere peccata tua; confitetur non omnino levia, quibus auditis, etsi Gervasius advertat, Odonem esse complexionis melancholicæ, judicare tamen necdum potest esse vere scrupulosum: quare excitat ad dolorem de peccatis, sincerumque emendationis propositum, jubetque eum ad se post octiduum redire, & absolvit, experturus an vere scrupulosus sit: postquam aliquoties reducem audivit, & examinasset, reperit vere eum agitari scrupulis; unde interrogat: Putasne, quod juvare te possim, promittisque quod in omnibus me velis adamussim sequi contra tuos scrupulos? Tergiversatur Odo ad postremum respondere, quare Gervasius ait illi: Vade in pace, & quære Confessarium, quem sequaris in omnibus cæca quadam obedientia; ego te juvare non possum, nec a quoquam juvaberis, nisi exacte, seposito judicio proprio, in omnibus obedias. Si æger non obediat Medico, exclusa est omnis spes valetudinis per eum recuperandæ. His dictis absolvit illum, & dimisit.

Quæritur. 1. Quæ sint causæ scrupulorum; ut vel oratione, vel medicamentis amoveantur? 2. Ex quibus indiciis aliquis cognoscatur esse scrupulosus? 3. An recte fecerit Gervasius dimittendo Odonem ad alium? num. 256. 257. 258.

CASUS LVIII.

Osvvaldus, Confessarius, a suavitate & benignitate erga anxiæ & scrupulosæ conscientiæ pœnitentes passim laudatur; ea propter plures ejusmodi ad eum confluunt, quorum inania phantasmata patienter audit, facileque iis condescendit; verum quia numquam scrupulos in se expertus est, nec multæ est lectionis, nulla media specialia iis præscribit, sat habens, si dicat: scrupuli sanitati obsunt, & devotionem minuunt, ora Deum ut te liberet.

Quæritur 1. Quæ sint damna scrupulorum? 2. Quomodo Confessarius agere cum scrupulosis debeat? 3. Quæ media iis sint præscribenda? 4. Quibus se ipsi dirigere debeant? n. 261. 262. 263. 272.

CASUS LIX.

Otto, homo timoratæ conscientiæ, accedit Odilonem, pro excipiendis fidelium Confessionibus ante mensem primum approbatum, & ait: ad omnia fere hæreo, & tamen operor, postmodum autem nescio, an cum dubio, vel prævia debita resolutione processerim; hinc instar Martyris continuo torqueor conflictantibus affectibus, in me contrariis, amore scilicet Deo placendi, & timore, ne offendam, aut offenderim. Hæc, reponit Odilo, insignis est strophа Dæmonis, ubique nobis insidiantis, & investigantis omnia, ut nostras propensiones & studia perspiciat; quosque reperit conscientiæ timoratæ, magis constringere, & implicare nititur, ut a profectu in spiritu impediat; quos vero laxæ advertit conscientiæ, magis laxare studet, ut in ruinam animæ præcipitet. Tu bono esto animo. Deus dignatus nos suscipere in filios, quos suscepit,

pit; non statim dimittit, & labi sinit, præsertim si bonæ sint voluntatis; sed quia exiguæ Odilo experientiæ erat, nec media alia statim in promptu habebat, injuncta pœnitentia absolvit, & dimittit. Omnibus expeditis Odilo adit virum doctum, & longæ experientiæ, &

Quæritur 1. Quomodo talis homo formare conscientiæ dictamen practicum possit, ac debeat, ne peccet? 2. Quomodo sit dirigendus? 3. Quid judicare ipse debeat, si post operationem anxietur, an cum dubio processerit? Vide sub n. 263. Remedio 7. §. *Si replicet scrupulosus*. Item n. 264. 265.

CASUS LX.

Parthenius, Ordinis religiosi Novitius, tentationibus quandoque ita obruitur, ut existimet se non posse resistere, hinc perpetuo angitur, & timet ne internis tentationibus consenserit.

Quæritur 1. Quid is judicare debeat? 2. Ex quibus concludere prudenter possit, quod non consenserit, n. 265.

CASUS LXI.

Patricius, homo scrupulosus, vehementer angitur circa Confessiones præteritas, putatque, se numquam rite, & integre confessum esse, eo quod speciem, numerum, & circumstantias non satis explicaverit, aut non, ut oportet, ad Confessionem se præparaverit: hinc veniens ad Confessarium, dicit se velle facere generalem Confessionem, omnesque Confessiones præteritas repetere.

Quæritur. An, quando, & quomodo id ei permittendum sit, aut negandum? n. 266.

QUÆ-

CASUS LXII.

Pancratius queritur Confessario, se diu noctuque continuis pulsari tentationibus: modo, inquit, contra fidem, modo contra spem, putoque me non posse elicere actum fiduciæ erga Deum: modo contra charitatem, videorque mihi velle blasphemare Deum, vel eum destruere; modo judiciis temerariis: dum enim audio aliquem liberius loquentem, statim mihi incidit: iste est homo luxuriosus; quandoque obversatur mihi, me velle peccare, mentique incidit: vellem, vel volo hoc agere, etsi foret, vel sit peccatum; non raro contra castitatem ita abripior, ut putem me actu consentire.

Quæritur. Quomodo talis pœnitens sit circa singula instruendus, & quomodo se gerere debeat? n. 244. Reg. 6. num. 267.

CASUS LXIII.

Primitivus, Neo-Presbyter, primam, & dein aliquot vicibus litando Deo hostiam, processit anxie hæsitando ad Offertorium, Consecrationem, &c. nuncque invalescente timore contraxit habitum, & inordinate, nec sine populi offendiculo, Missam peragit, timetque modo ne desit intentio, modo ne aliquid omiserit, modo an verba Consecrationis, recte pronuntiaverit, & repetit cum anhelitu tam alte, ut per Templum audiri possit, & tamen anceps hæret, an recte consecraverit, & hostiam adorare licite possit? &c.

Quæritur 1. An, & quomodo talis peccet sic peragendo sacratissimam actionem, & Christi Dei, & Domini nostri gerendo personam? 2. Quomodo talis sit dirigendus, ac se gerere debeat, ut discat ea quæ par

est,

est, reverentia sanctissimum offerre Sacrificium? num. 296.

CASUS LXIV.

Quiriacus, adolescens, in scholis audivit a suo Professore in lectione sacra de Missa devote & debite audienda, attendendum in primis esse, tum ad Offertorium ante & post Consecrationem, tum ad hanc & Sacerdotis Communionem; quia autem distra-abrectus, vel orationi ex libello suo precatorio intentus, ad ista omnia saepe non reflectit, angitur an Missam audiverit, praeceptoque satisfecerit, hinc interest quandoque tribus, vel quatuor Missis, & in posterioribus videtur sibi minus satisfecisse, quam in prima; quare abit prae taedio quandoque ex Templo cum scrupulo, vel, ut ipse putat, cum dubio an satisfecerit obligationi suae?

Quaeritur 1. Quae requirantur, & sufficiant ad satisfaciendum praecepto de audienda Missa? 2. Quomodo talis adolescens dirigendus, & instruendus sit? num. 270. & in 2. Parte numer. 270.

CASUS LXV.

Quinctinus in catechesi & concionibus audivit, esse obligationem proximum suum peccantem corrigendi, exigente charitate, ut mala corporis & animae ab eo avertamus; quare ubique haeret anxius dum videt quid ab aliis fieri, subit suspicio de periculo peccandi, & obligatione eos monendi, dum audit loquentes de proximo, timet ne detrahant famae; putatque se teneri praevertere & monere, ne sinistre loquantur de proximo; contigit non ita pridem, ut interesset consortio variorum cum Florentio juvene liberioris linguae,

 qui

qui referebat varia, male acta a variis. Quinctinus, recurrente cogitatione de obligatione corrigendi, & aliorum jacturam famæ avertendi, statim non attento, quod alii adessent majoris prudentiæ & æstimationis, Florentium reprehendit, dicens non nisi bene de proximo, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris; quod vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc regula universalis est charitatis erga proximum. Florentius ægre ferens, se corrigi & reprehendi in societate honestiorum & honoratorum hominum, ait: Quid tu idiota? quæ loquor vera sunt. Nocentes porro jus ad famam non habent. Hoc cum alii prudentes mirarentur, dicerentque hoc esse inauditum, reposuit Florentius; Sed non mihi: sic enim doctus sum a meo Professore, viro erudito: immo hoc legere fuit non ita pridem in Thesibus impressis, quas quidam de Juris Candidatis pro Doctoris gradu in utroque Jure publicæ disceptationi proposuit: nec solum hoc verum est pro foro externo, sed etiam pro interno: nam quod justum est in foro externo, etiam justum est in foro interno: quemadmodum fuit in Thesibus aliis publicis propositum.

Quæritur 1. Quomodo instruendus sit Quinctinus de obligatione corrigendi proximum? 2. Quid sentiendum de opinione Florentii? num. 271. & P. 2. a num. 98. P. 3. num. 395. 396.

De scrupuloso in dicendis Horis Canonicis, vide P. 2. Casum 45. & in Neo-Confess. num. 368.

Ex

Ex Appendice ad Neo-Confessarium.

CASUS LXVI.

Raymundus, instante Quadragesima, venit ad Episcopum, & ait: Complevi equidem sexaginta annos, attamen quia audio, sexagenarios teneri adhuc lege jejunii, si hoc sine singulari difficultate servare possint, peto mecum dispensari in Quadragesima in abstinentia a carnibus; quia in hac mea ætate piscibus vel mihi non conducit. Annuit petitioni Raymundi Episcopus, post dies paucos cum primoribus urbis interest Episcopus convivio, cumque incideret sermo de proximo jejunii tempore, quidam dixerunt, hoc anno fore penuriam piscium, & peregrinum, qui huc ex Hollandia venit, retulisse, anno hoc pisces marinos ut plurimum non valere, exceptis halecibus; æquum proinde fore, ut in abstinentia a carnibus dispensaretur. Reposuit Episcopus, vir a prudentia & vitæ sanctitate celebris: Urbani quidam non volunt, alii non possunt, ruriculæ nec possunt, nec volunt dispensationis beneficio uti, eo quod si vescerentur in Quadragesima carnibus, hæ plerisque post Pascha deessent: proinde dispensatio foret tantum pro divitibus, qui & piscibus & carnibus volunt vesci, & in utroque ciborum genere, quandoque non sine offendiculo timorati populi, tractant. His auditis omnes obmutuerunt.

Quæritur 1. An sexagenarii omnes sint exempti a lege jejunii? 2. Quæ causa requiratur, ut in Quadragesima dispensetur in abstinentia a carnibus tum cum privatis, tum universim? 3. An, ut dispensatio detur universalis, sufficiat penuria piscium, vel causa dubia, aut requiratur causa certa? Vide in Appendice n. 2. *La-Croix l. 3. P. 2. n.* 1308. *Theol. Mor. P.* 2. n. 181.

n. 181. & *Benedicti XIV. Papæ Epistolam Encyclicam*, quæ incipit, *In suprema*, aliamque, quæ incipit, *Non ambigimus*, infra referendas.

CASUS LXVII.

Rupertus & Rosalia, opinione communi conjuges, veniunt devotionis, & S. Petri venerandi causa in quamdam civitatem, utque voti compotes facilius fiant, volentes ad sacram Synaxin accedere, confitentur: Rosalia, dictis suis peccatis, ait: Angor circa matrimonii mei valorem, quia Pater mei mariti ante adhuc in matrimonio constitutus, quam matrimonio jungerer, me imprægnavit, timensque ne ob adulterium pœnam & infamiam incurreret, suasit filio suo, ut me uxorem duceret. Ego & meus maritus bona fide processimus: ego ignorans impedimentum, ille etiam adulterium patris sui mecum commissum. His auditis, Confessarius ait, opus esse dispensatione, acceditque Episcopum, & eam impetrat.

Quæritur 1. In quibus impedimentis possit dispensare Episcopus? 2. In quibus circumstantiis possit dispensare in omnibus, in quibus potest & solet Papa? 3. An possit Episcopus cum vagis & peregrinis, qui alibi domicilium, vel quasi domicilium habent, dipensare? Vide Appendicem a num. 5. ad 10. & Parte 4. a num. 567. ad num. 571. Parte 1. num. 239.

CASUS LXVIII.

Severinus aliquoties iteravit copulam carnalem cum Veronica, consanguinea sua in 3. gradu, mixto cum secundo, timensque ne forte sit imprægnata, rogat Parochum suum, ut impetret sibi dispensationem super impedimen-

mento consanguinitatis, quo possit Veronicam uxorem ducere. Annuit Parochus: cumque legisset, pro matrimonio contrahendo, non posse Episcopum dispensare in impedimento consanguinitatis in 3. gradu mixto cum secundo, ait, recurrendum esse Romam: scribit itaque Romam ad Datariam, caussis sufficientibus ad dispensandum allegatis, tacita tamen copula: Impetratur dispensatio, & Severinus cum Veronica jungitur matrimonio.

Quæritur. An, non expressa copula incestuosa, dispensatio fuerit valida, & matrimonium legitime contractum? Vid. Append. num. 13. Coroll. 6. P. 1. n. 241. La-Croix l. 6. P. 3. a num. 926. & num. 990.

CASUS LXIX.

Sebastianus, Parochus, petit Roma Indulgentias pro Confraternitate S. Sebastiani; quæ concessæ quidem ad septennium sunt, sed non subscriptæ ab Ordinario intra tres menses á die concessionis, ob ejus absentiam. Dein Brevi inserta fuit hæc clausula: *Volumus autem, ut, si alias Christi fidelibus, in quocumque alio anni die dictam Ecclesiam, seu Capellam, aut Altare, in ea situm, visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus, nondum elapsum, duratura concessa fuerit . . . præsentes nullæ sint*. Cum autem Parochiali Ecclesiæ S. Sebastiani concessæ sint Indulgentiæ pro omnibus Christi Fidelibus in Festo Dedicationis Templi, dubitatum fuit 1. an septennium incœperit currere a die dati Brevis, vel a die subscriptionis ab Ordinario, promulgationem permittente, factæ? 2. An Indulgentiæ 3. sint validæ? De his vide Appendicem n. 49. P. 4. n. 416. 417.

CASUS LXX.

Sigismundus, vir nobilis, impetravit privilegium, Oratorium privatum in sua arce, a Parochiali omnique alia Ecclesia, minimum hora distante, erigendi, in qua singulis diebus Missa celebrari possit, ea tamen, (quæ ordinarie addi solet) cum limitatione, ut tam privilegio decoratus, quam qui sunt de ejus familia, non possint audire Missam in Oratorio privato die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Festo Annuntiationis, Assumptionis B. V. Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, nisi privilegium datum esset ob infirmitatem, & infirmus Ecclesiam adire non posset: tunc enim & illis diebus celebrari posset, & is satisfaceret præcepto, uti & qui apud eum manere deberent. Secus est de aliis, qui Ecclesiam possent adire. Quod vero aliis diebus Festis & Dominicis, non exceptis, privilegiatus, & qui sunt de ejus familia, licite possint audire Missam, & hanc audiendo satisfacere præcepto, convenit inter AA.

Quæritur 1. Quæ servanda sit forma supplicationis pro Oratorio privato? Vide hic a n. 60. 2. Quinam dicantur esse de familia? P. 4. n. 286. La-Croix l. 6. p. 2. n. 272. 3. An qui non sunt de familia, satisfaciant præcepto de audienda Missa, si illi diebus etiam non exceptis in Oratorio intersint, dum alibi in Ecclesia interesse possunt? P. 4. n. 287. La-Croix l. 3. P. 1. n. 628. 4. An & quale peccatum sit, si in litteris concessionis privilegii permittatur una tantum Missa, & legantur plures? P. 4. sub n. 202. Dixi *una tantum*: nam, si ponatur, *una lege possit*, an tum eodem die plures ibi celebrari possint, controvertunt AA. apud La-Croix l. 6. p. 2. n. 268. communior

inter-

interpretatio permittit tantum unicam. Petrus March. in Resolut. Miscellaneis, Casu 3. negat, quod to *una* sit vox exclusiva plurium; uti si in fundatione dicatur: Volumus, ut una quotidie Missa dicatur in illo altari, non ideo prohibentur *plures*. Quare celebraturus in tali Oratorio bene se informet, quo tenore privilegium sit concessum: Episcopi enim id non concedunt, ut habitualiter ibi possit celebrari, sed ad tempus certum, vel dies certos tantum. Quoad Oratoria a S. Sede concessa observari debet, quod habet Decretum Clementis XI. apud La-Croix l. 6. P. 2. num. 158. de Privilegiis Regularium celebrandi extra Ecclesiam vide eumdem L. cit. a num. 273.

A Sede Apostolica resolutus.

CASUS LXXI.

Duo nobiles Conjuges obtinuerunt a Sede Apostolica Indultum pro celebratione Missæ in privato suæ domus Oratorio, quo concedebatur, ut una Missa pro unoquoque die per Sacerdotem sæcularem, vel Regularem, sine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, ac Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni Festis, in sua, ac Natorum, consanguineorum, & affinium, in eadem domo simul cum ipsis habitantium, familiæque, & quoad Oratoria, ruri existentia, etiam in hospitum nobilium, suorumque præsentia celebrari facere libere ac licite possint, ac valeant; ita tamen, ut famulares servitiis eorum actu tempore dictæ Missæ non necessarii, ibidem ejusmodi Missæ interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus Festis de præcepto minime liberi censeantur.

Circa hoc Indultum dubitatio fuit, an vi illius liceat celebrare Missam in privato Oratorio sine præsentia alterutrius dictorum conjugum; cumque varii varie opinarentur, alii affirmando, alii negando id licere, controversia delata fuit ad Sacram Congregationem Concilii, quæ An. 1740. die 3. Decembris respondit, non licere. Hanc responsionem Benedictus XIV. Papa non tantum approbavit, sed etiam Decreto, incipiente, *Cum duo nobiles conjuges*, dato die 7. Januarii 1741. & publice vulgato voluit omnibus notum fieri, non posse vigore similis Indulti celebrari Missam in privatis Oratoriis, quando eidem Missæ actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum concessum est; Indultum vero principaliter concessum intelligitur iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum personis illis, quæ a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine præsentia unius ex dictis personis minime liceat Missæ Sacrificium peragi, etiamsi præsens sit aliquis ex filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinibus, sive ex familiaribus, sive denique ex hospitibus nobilibus, in eodem Brevi memoratis; quippe quibus nihil aliud per ejusmodi Brevia conceditur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad familiares, juxta clausulam in iisdem Brevibus insertam, non sit ex illis actu non necessariis) assistens Missæ, quæ celebratur in Oratorio privato in præsentia alicujus ex personis, a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus Festis de præcepto; sublata igitur & proscripta quacumque minus germana interpretatione ejusmodi Brevium & Indultorum hactenus facta, Sanctitas Sua ita declaravit, & servari omnino mandavit, directe præcipiens, ut omnes Episcopi, aliique locorum Ordinarii, etiam tamquam a Sede Apostolica

stolica delegati, executioni & observantiæ hujus Decreti diligenter incumbant per Canonicas pœnas, contra inobedientes eorum arbitrio constituendas.

A. Cardinalis Gentili Præfectus.

C. A. Archi-Episcopus Philipp.
Secretarius.

Atque ex his iterum, quod jam ante monui, patet, qua opus sit circumspectione Sacerdotibus, qui Missam celebrare volunt in privatis Oratoriis, quibus & hoc animadvertendum, longe probabilius, & in praxi tenendum esse, si indulgeatur quolibet die Missa una, non licere plures eodem die in privato Oratorio celebrare; quia sic habet interpretatio communis, tum quia Indultum, cum sit contra legem, strictæ interpretationis est, tum quia alias frustra in Indulto adderetur to *una*: sufficisset dicere, ut quolibet die Missa celebretur. Vide Decretum Clementis XI. apud La-Crox l. 6. P. 2. post num. 258.

FINIS.

REUTER
NEO CO
N

FESSAR